D

25-H.19

Digitized by the Internet Archive
in 2013

http://archive.org/details/dechristianaexpe00ricc

18 -

VT POR- TENT. NOMEN. MEVM. CORAM. GENTIBVS & REGIBVS ACT. IX

DE CHRISTIANA EXPEDITIONE APVD. SINAS. SVSCEPTA. AB SOCIETATE IESV.


Ex P. Matthæi Ricij eiusdem Societatis Cōmentarijs.

LIBRI V

AD. S.D.N. PAVLVM. V.

In quibus Sinensis Regni mores, leges atq; instituta & novæ illius Ecclesiæ difficillima primordia accurate & summa fide describuntur.

Auctore P. Nicolao Trigautio Belga ex eadem Societate.



B.P. FRANCISCVS XAVERIVS.

R.P. MATTHAEVS RICIVS.

ANNO CHRISTI Augustæ Vind. apud Christoph. Mangium MDC[illegible]

Wolfg. Kilian

SANCTISSIMO,

BEATISSIMOQVE PATRI, AC DOMINO NOSTRO

PAVLO QVINTO

PONTIFICI MAXIMO

Nicolaus Trigautius Societatis IESV.

TObiæ ad ortum peregrinantis dux & comes Raphaël, B.me Pater, poſtquam reducem Parentibus filiũ incolumẽ, auctumq; reſtituerat, beneficio affectos ad benefici Numinis encomia cohortatus ait; *Opera Dei reuelare, & confiteri honorificum eſt.* Hæc vt mihi ab Sinis reduci dicta putem, facit inſtituta in extremum Orientem peregrinatio, duce & comite de ſupernis mentibus vno, innumera ab eodem vel beneficia procurata, vel pericula propulſata; reditus æquè fælix ad B. T.æ pedes. Ne igitur taceam, audacter, ſed verè tamen, cum peregrinantibus etiam Magis duce ſtella dico; *Vidimus ſtellam in oriente*, nondum quidem ſolem, qualis iam dudum orbi ſplendet Chriſtiano, ſed ſtellam tamẽ, nec amplius tetras illas tot ſæculorũ tenebras, ſed lucis Chriſtia-

næ crepuſcula: hac viſa, veni adorare Dominū, te inquam, B.^me Pater, Immortalis Dei vices obeuntem veneraturus. Et ne deeſſent munera, Societatis noſtræ tenuis apud Sinas manipulus, qui eam expeditionē Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ſuoq; inſtituto ſuſcepit, Sanctituti tuæ per me libellū offert, in quo Sinenſis opulentiæ, aurū, thus Chriſto recens nato, quia recens noto ab Neophytis incenſum, & laborum noſtrorum myrrha continetur.

Ideo nihil puduit Eccleſiæ Sinenſis infantiam legendam dare. Nam tametſi Nobiliſſimæ gentis ad Chriſti ſacra conuerſio narranda ſuſcipitur; quæ res habet ſuam ex ſeipſa maieſtatē; tamē, quæ hactenus in re tanta perfecta ſunt, ita ſunt exigua (ſi cum ea magnitudine, quæ vel à Dei benignitate primùm, vel ab gentis indole ſperari poteſt, comparentur) vt alicui fortaſſe nō ſatis digna videri poſſint, quę Sanctitatis tuæ, & Chriſtiani orbis oculis obtrudantur. Verùmenim verò magnitudo illa Romana à lupæ vberibus, à paſtorū latrocinijs, à mænibus ſaltu ſuperatis, ſine nota ſolet inchoari. Quocirca neq; me pudebit huius Eccleſiæ cunas, crepundia, vnguiculos, & ſi quid eſt infantilius proponere: nam etiam hæc in pueris ſolent, vt Ageſilao quondā equeſtris arundo, minimè diſplicere. Poſteri noſtri, dante Domino incrementum, cæteras infantiæ, prout res excreuerint, ſuperaddent ætates. Hæc

Hæc puſilla dona, oblaturus ne magnitudine deterrerer, effecit primus Tuſculi ad pedum oſculum admiſſi cōgreſſus, quo me humaniſſimè exceptum Tua Sanctitas ad audendū inuitauit. Et ſanè operis materia ſine dubio huic Sedi debebatur, vt excuſus ille, quem tenuimus, in Euangelio euulgando modus, Apoſtolicæ cenſuræ ſubiaceret. Oportebat quidem nobilem materiam operis elegantia cohoneſtari, ſed veniam mereor B.me Pater, ex eo ꝙ huius tumultuariæ ſcriptioni altera pars inter nauticos clamores ſcripta ſit, eo in mari, quod ex India in Armuzianam Perſici ſinus inſulam nauigatur; altera Romæ præpropera feſtinatione, poſt ægritudinem propè extremam, interrupta negotijs ſcriptione coaluerit. Quin etiam à nobis arbitror, quid agamus, non quo dicamus modo (non enim facile tempus vtriq; ſuppeteret) expectari, maximè cùm nuda veritas de rebus ad animos permouendos loquens, inornata videatur ornatior. Et ſanè ſanctè ſpondeo, quicquid eloquentiæ coloribus deerit, id omne veritatis candore compenſandum.

Hæc ſi B. T. vultu, quo ſolet, benigno ſuſcipiat, lætus accepto reſponſo, per aliam viam reuertar in regionem meam; & in alium propè orbem, recepta pro exiguis, de more Magorum, ingentia munera, non Oceano minus quàm laudibus euehens cele-

 berrimi

berrimi nominis tui famam, quò ulterius nemo, deportabo. Maximè quod à B. T. velut communi Eccleſiaſticæ familiæ Parente, tenella hæc Infans (cuius Diuino munere nos nutricij ſumus) poſtulatis adiuta ſubſidijs, infantiles nunc excutit faſcias, & in grandiorem adſpirat ætatem. Nam inuſitatis terram ſane auxiſti fauoribus, & nonnulla de Canonum rigore remittens, Apoſtolica liberalitate indulſiſti: iamq́ue etiam dignam Pontifice bibliothecam apud Sinas inſtruis, vt ea ſit perpetuum fidei, ab Sede Apoſtolica in eos terrarum fines deriuatæ, monimentum.

Fauſta igitur cum Socijs in ſubſidium adiunctis abeuntem B.^me Pater apprecatione proſequere. Nos quoque Deum Opt: Max: comprecabimur, vti Eccleſiæ ſuæ B. T. quàm diutiſſimè conſeruet. Romæ 14. Kalendas Februarias, Anno Salutis 1615.

Lectori Salutem.

LIber hic, Lector candide, poſthumus P. Matthæi Ricij partus, à me non ideo fuit adoptatus, vt dubium parentem, tam impari ſorte commutaret, ſed vt verum ac germanum huius fœtus parentem, notum ab ſuis initijs faciam, nam reliquũ eius vitæ curſum, ſequens narratio prope vnum commemorat, ita ille enim huius expeditionis primos impetus præ cæteris vnus generosè aggreſſus, cõſtanter æquè ad obitum vſque perduxit.

P. Matthæus Ricius, Italus, Maceratæ in agro Piceno, loco nobili, natus eſt anno 1552. pridie Nonas Octobris. Vbi inter ſuos prima grammaticæ rudimenta didicit, Magiſtro P. Nicolao Beniuegni, Sacerdote ſeculari, qui deinde Societatem noſtram eſt amplexatus. Inde in politiori litteratura apud noſtros, erecto ibidem Societatis noſtræ Collegio, eruditus, quo in genere ſanè inſignis fuit. Cum iam ſextum ſupra decimum ætatis annum attigiſſet, Romam à Parente mittitur, ſtudiorum cauſa. Legibus operam dedit Romæ prope trienniũ, quo tempore, tametſi ex parentis voluntate ea diſceret, quæ à noſtro aliena ſunt inſtituto, nihil ominus, qui ſemel animi ſui curam Patribus Maceratæ tradiderat, ab eo Romæ nunquam deflexit. Nam in ſodalitium Annunciatæ Virginis cooptatus, ex eorum Patrum, qui Sodalitio præerant, voluntate, ſuas quæ ad pietatem ſpectant actiones moderabatur. Demum à Domino ſegregatus, Societatem IESV, quam iam puer Maceratæ cogitauerat, petit ac impetrat à P. Ioanne Polanco, qui tum vniuerſæ Societati ProPræpoſito Generali in eo interregno, quod P. Franciſcum Borgiam inſecutum eſt, imperabat. Ingreſſus eſt Societatem die Aſſumptæ Virgini Sacro. Ac tametſi ſciret alia eſſe de ſe parentis ſui conſilia, non acquieuit tamen carni & ſanguini, ſed Parentem ſuum litteris ad perſuadendum appoſitis, de ſuo in Societatem ingreſſu reddidit certiorem. quo ille nuncio ita perculſus, vt ad iter ſeſe Romanum quamprimum accinxerit; certus quippe eum ſe Probationis domo erepturũ: peruenit igitur primo die Tolentinũ, ibiq; ſubita correptus febri, vindicem à tergo Deum ſenſit, nec vltra reluctatus, domum repetijt, ad filium ſcribit, ſe diuinæ voluntati, ſuam quoque, uti par eſt, libenter accommodare.

Magiſtrum habuit in Tyrocinio P. Alexandrum Valignanum, eum qui deinde tot annos Societatem in India & priuatim in Iaponia Chinaq;, maxi-

ma cum laude moderatus eſt. Inde Philoſophicis ac Theologicis ſtudijs in Collegio Romano dedit operã, ad annum vſq; Domini 1577. quo Romam peruenit P. Martinus à Silua Indiæ orientalis Procurator, cuius auxilio cum aliquot Socijs miſſionem Indicam à P. Euerardo Mercuriano Præpoſito Generali quarto impetrauit. Roma cum Genuam peteret, in Hiſpaniam tranſmiſſurus, adduci non potuit, vt prætextu viſendæ Virginis Loretanæ, ad ſuos Maceratam diuerteret, ſed bene apprecante prius illi ac Socijs, Gregorio XIII. Pontifice maximo, recto itinere in Luſitaniam properauit. Magnam eius anni partem Conimbricæ transegit, naues enim prius ſoluerant quam ipſi aduenirent. Ergo anno inſequente in Indiam ſoluturi, Olyſſipponam petiere. Hic ſileri non debet, quod ipſe ſæpè magno animi ſui ſenſu commemorabat. De Luſitaniæ Rege Sebaſtiano illo gentis etiamnũ ſuæ deſiderio. Nam cum ad eum ſalutandum ſe contuliſſent, & ex Procuratore audiſſet Rex, omnes qui ex Italia ſecum venerant nobili, nonnullos etiam illuſtri loco natos, Salutis Indorum procurandæ cupidiſſimos eſſe, & cum Luſitanis hoc in officio certare. Aderant enim Rudolphus Aquauiua, haud ſcio an ſanguine quàm martyrio illuſtrior. Nicolaus Spinola; Franciſcus Paſius, Michael Ruggerius, & noſter de quo nunc agimus. Qui omnes vel vitæ ſanctitate, vel obitis in ordine ſuo muneribus conſpicui fuerunt. Reſpondiſſe Rex fertur, Quam gratiã Præpoſito Generali referam, qui tam inſignia nobis ad rem Indicã, ſubſidia ſubmittit. Nouerat bonus Princeps vnam eſſe è varijs nationum turmis compaginatam ſub IESV vexillo Societatem. E Luſitania ergo ſoluentes, naui cui à D. Ludouico nomen erat, vecti, Goam Idibus Septembris anni 1578. tenuere. In India quadriennium exegit, partim cõficiendis ſacræ Theologiæ ſtudijs, partim in eloquentiæ profeſſione, vel Goæ vel Cocini, quibus ad maiora quodammodo proludebat. Inde Sinicæ expeditioni à Viſitatore deſtinatur, quam cum annos fere triginta tractaſſet, eo ſtudio ac euentu, quo mox narrabitur, ac ſupremum ſibi diem inſtare perſentiſceret, animum applicuit ad expeditionis huius primordia, in aliquem cõmentariorum ordinem redigendo eo conſilio, vt ſcriptori cuipiam materiam expeditam ſuppeditaret. erant enim cõplurima, quæ alius nemo facilè, niſi qui ea tractauerat, è principiorũ quodãmodo tenebris eruiſſet. Hos cõmentarios paucis ante obitũ menſibus, aut potius diebus, vtcumq; abſoluerat, relictis ſolũ aliquot lacunis, quæ ex annalibus domiciliorũ noſtrorũ ſerius ad eum miſſis, explerentur. Hæc

eius ſcripta in ſcrinio poſt mortem reperta ſunt, cum nonnullis alijs, quæ de expeditionis adminiſtratione tractabant.

Ea quoniam in Europam deſtinare animus erat, ne in longiſſimo itinere tãtisq; tot equorum periculis tanti viri monumẽtum intercideret, viſum fuit illud ex Italico ſermone, labore non impari, in Luſitanum idioma transferre. Scripſerat autem Pater Matthæus Ricius Italicè ea mente, ne ante legeretur vſpiam, quam à Præpoſito Generali reuiſum fuiſſet opus, quippe ſuæ conſulens modeſtiæ, etenim vniuerſa prope ſcriptio, res à ſeipſo geſtas continebat. Interim urgentibus expeditionis Chriſtianæ negotijs, deſtinandus in Europam Procurator neceſſario videbatur. Quam ad rem, cum ego fuiſſem authoritate ſuperiorũ nominatus, omnino mihi Autographos ipſos Patris Matthæi Ricij Cõmentarios, denuò euoluendos & in latinum ſermonem conuertendos putaui. Primũ quidẽ, quia ab alio qui rerum locorumq; eſſet imperitus, nullo modo poſſe concinnari probè intellexi: Deinde quod varijs in locis lacunæ, vt dixi erant explendæ, addenda multa, augenda pleraq; quæ viri modeſtia cum de ſe loqueretur, vel omiſerat, vel leuiter attigerat. Itaq; tametſi longiſſimæ nauigationes ſunt ſufficiens ſeipſis labor, aggreſſus ſum tamen cælo mariq; ſubinde mitiore, diſſimulato nauticorũ hominum tumultu, rem maiori otio dignam, conſcribere. & dubio procul antè finem libri quam itineris aſpexiſſem ſi perpetua nauigatione conſuetũ iter decurriſſem. Verum iuſtis ex cauſis, ex India in Sinum Perſicũ nauigaui, ac deinde terreſtre iter arripiens, per Perſidem, Arabiam deſertã, & Turcici imperij partem, Heliopolim deueni. Inde per Mediterraneũ mare, in Cyprũ, Cretã, Iacynthũ ac deniq; Hydruntũ, Deo duce, perueni. Intermiſſa igitur fuit ſcriptio, donec Romæ noctes negotijs ſuffurarer, quæ licet perturbata iterum fuerit, & ex recenti morbo, temporum anguſtijs coarctata nihil tamẽ dubitaui, vel importunis amicorum precibus cedere, vel maiorum voluntati neque enim id ago, vt te Lector diſcendi potius lepore quam veritate delectem.

De qua quidem veritate nihil eſt quod dubites, quantum quidem mortali licet aſſequi, nam neque Patri Matthæo virtus defuit, vt fallere voluiſſe, neq; experientia vt falli potuiſſe videretur. De me quoq; id aſſero ſi quid auxi, id mihi fuiſſe exploratum vel oculis teſtibus, vel reliquorum ſociorum fide aut denique annalium noſtrorum teſtimonijs comprobatum. In idem enim regnum non ingreſſus ſum ſolum, ſed etiam ſex nobiliſſimas eius Prouincias luſtraui,

domos

domos noſtras omnes percurri, & totius expeditionis negotia ſum, vt arbitror, aſſecutus. Hæc ideo te, Lector, monenda latius putaui, ne ſcriptorum quorundam qui hactenus de re Sinica prodierunt, varietate perturberis.

Ex ijs enim qui hactenus de rebus Sinicis ſcripſerunt, duo genera comperio. alterum eorum eſt, qui pleraque, vel ipſi commenti ſunt, vel audita nullo delectu pro veris euulgarunt. ab hoc numero ne noſtros quidem è Societate excludo, qui Sinarum Negotiatorum fide ſubnixi non aduertebant eos vel res ſuas, vt fit, augere, vel quæ non ſatis habebãt explorata, pro exploratis adferre. vnde cum tandem aliquando noſtris in regni interiora aditus patuiſſet, animaduerſum eſt multarum rerum fidem intercidere, quin etiam ex eo ipſo tempore, quo noſtris ingreſſus patuit, primis potiſſimum annis nonnulla fortaſſis non explorata cum litteris noſtris nauigaſſe. Neq; enim ſimul atq; Europam attigiſti, Europæa omnia pernoſcis, ſed oportet vt annorũ diuturnitas, Prouinciarum luſtratio, ſermonis patrij peritia, librorũ lectio, ad fidem faciendam accedat, quæ cum omnia ſimus hactenus aſſecuti, id ſanè conficitur, poſtremã hanc ſcriptionem, cæteras omnes ſuperiores authoritate ſuperare & ei nihil ad veritatem deeſſe, niſi quantum mortalis tenuitas veniâ digna erroris admiſit, quod ſi aliquando aduerterimus, curis poſterioribus, priorum Magiſtris, vti emendetur adlaborabimus. Interim his fruere Lector dum exactiora fuſioraq; præparamus. Si enim DEVS optimus maximus poſt tot itinerum anfractus ſtationi me antiquæ reſtituerit, ac vitam produxerit, ſpondeo me de Sinenſis regni moribus, volumen iuſtum, in quod etiam Sinarum Annales à quatuor fere annorum millibus per continuos ſæculorum gradus deductos, in compendium redacturũ: & ſimul ex Ethicis Sinarũ libris ſelectiores quaslibet ſententias Latino habitu transmiſſurum, vt intelligatur quam apta ſint ad rem Chriſtianam eius gentis ingenia, quæ ita appoſitè de moribus diſputauit. Interim hoc velut prægustatorio ferculo contentus eſto & breuitatem noſtram pijs rei Chriſtianæ negotijs ac Sociorum paucitati acceptam refer, & noſtram æqui boniq; barbariem conſulas velim, quæ peregrino ſermone perdiſcendo ſcribendiq; deſuetudine ſilueſcens, non potuit aurium tuarum acerrimo iudicio ſatis nitide ſeruire. Vale Romæ decimo quarto Kalendas Februarias anno Salutis humanæ CIↃ IↃC XV.

Nicolaus Trigautius.

INDEX

FERDINANDVS ALBERVS, SOCIETATIS IESV VICARIVS GENERALIS.

CVM opus, cui titulus eſt; *De Chriſtiana expeditione apud Sinas, ab Societate* IESV *ſuſcepta*, à PP. Matthæo Ricio, & Nicolao Trigault conſcriptum, tres eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 30. Maij, Anno 1615.

Ferdinandus Alber.

INDEX.
OMNIVM CAPITVM
HVIVS HISTORIÆ.

Capita Libri primi.

I. *Scriptionis huius cauſæ & modus.* fol. 1
II. *De nomine, ſitu, & magnitudine Regni Sinarum* 3
III. *Quarum rerum ſit ferax Sinenſis ager.* 9
IV. *De artibus apud Sinas Mechanicis.* 18
V. *De artibus apud Sinas liberalibus, deque litteratorum gradibus.* 25
VI. *De Sinenſis Reipub icæ adminiſtratione.* 42
VII. *De Sinarum ritibus nonnullis.* 63
VIII. *De corporis lineamentis, cultu habituque & aliis apud Sinas conſuetudine receptis.* 85
IX. *De ritibus apud Sinas ſuperſtitioſis & aliis erroribus.* 92
X. *Variæ apud Sinas falſæ Religionis ſectæ.* 104
XI. *De Saracenis ac Iudæis, ac fidei demum Chriſtianæ apud Sinas veſtigiis.* 116

Capita libri ſecundi.

I. *B. Franciſcus Xauerius Chriſtianam apud Sinas expeditionem aggreditur, ſed non ingreditur.* fol. 127
II. *Huius expeditionis principia iterum ab Societate IESV inſtaurantur.* 139
III. *Intra eundem annum tertio Patres in Sinarum regnum admiſſi, ſtationem tamen in eo nondum impetrarunt.* 148
IV. *Sciauquinum Patres euocantur, & facultatem impetrant ædis extruendæ, Sedisque figendæ.* 158
V. *Cum Sinis de legis noſtræ capitibus paulatim ab Sociis agi captum* 169
VI. *Abſente P. Michaele Ruggerio graui calumnia P. Matthæus Riccius liberatur, & Mathematicis operibus in ſtuporem Sinas adducit.* 175
VII. *Legationem Hiſpanis ad Sinarum Regem Patres impetrarunt.* 186
VIII. *Alij duo Socij huic expeditioni deſtinãtur, & in regnum admittuntur. In Prouinciã deinde Cequianã à noſtris excurritur* 191
IX. *E noua Sede dimittuntur. In Prouincia Quamſi P. Michael Ruggerius excurrit.* 197
X. *P. Eduardus Superior Amacaum remittitur, & Socij vexati graui deinde calumnia liberantur* 201
XI. *P. Michael Ruggerius Amacaum petit, ibiq; retinetur. P. Eduardus Sciaquinu redit, & Socij populari furore fatigãtur.* 208
XII. *Viſitator P. Michaelem Romam mittit, procuraturum à Pont. Max. ad Regem Sinarum legationem. P. Antonius Almeida Sinas petit, eaq; ſedes nouo ex Metropoli labore fatigatur.* 212
XIII. *Quanto cum fructu à Socijs id temporis in Sciauchienſi ſede laboratum.* 220
XIV. *Extremus Sciauchinæ Sedis labor & Sociorum expulſio.* 225

Capita libri tertij.

I. *Sinenſis expeditio Chriſtiana inſtauratur, & Xaucei noua ſedes erigitur.* 237
II. *Amacai Patres reuocatos auditur. Viſitator ad rem Sinicã ſtabilendã accingitur* 248
III. *Nobilis Magiſtratus filius, Chiutaiſo nomine, Xaucei ſe P. Matthæi diſcipulum profitetur, & cum eo in vicinam vrbem à P. excurritur.* 252

IV. *Ira-*

IV. *Primus in Xauceana ſede labor, & P. Eduardi Rectoris in eam aduentus.* 258

V. *P. Antonius Almeida moritur, P. Franciſcus de Petris ei ſufficitur.* 263

VI. *In Vrbem Nanchiunam excurrit P. Matthæus, & aliquot ibi Christo aggregat,* 268

VII. *Nocturni latrones domum inuadunt, Socium vtrumque vulnerant, & à iudicibus damnati, Noſtrorum ope liberantur.* 272

VIII. *P. Franciſcus de Petris moritur. P. Lazarus Cataneus in eius locum ſubrogatur.* 279

IX. *In Regiam Nanchinenſem P. Matthæus pergit.* 283

X. *P. Matthæus Ricius Nanchino turpiter eiectus, in Chiamſi Prouinciæ metropolim ſe recipit.* 294

XI. *In Chiamſi Prouinciæ metropoli noua Sedes erigitur.* 301

XII. *Cum Regiis propinquis & Matthæus familiaritatem contrahit, & cum aliis quibusdam, qui ſe cōcionatores appellabāt.* 307

XIII. *Socius P. Matthæi Nancianu mittitur, & à noſtris ædes propriæ cōparantur.* 311

XIV. *Xaucei P. Lazarus Cataneus ingenti labore fatigatur, Et alij duo Socij euocātur.* 314

Capita libri quarti.

I. *P. Matthæus ſecundo Nanchinu redit.* 319

II. *A Nanchienſi Prorege P. Matthæus euocatur, inde cum noſtris Pechinu nauigat.* 325

III. *Pechinenſi negocio fruſtra tentato Noſtri Nanchinum reuertuntur.* 336

IV. *Hyeme præuenti Noſtri in flumine hybernant. P. Matthæus itinere terreſtri Nanchinum repetens, tertiam ſedem erigit.* 344

V. *Ex Mathematicis diſciplinis magna Noſtris authoritas Nanchini acceſcit.* 355

VI. *Nanchini viri primores P. Matthæi familiaritatem ambierunt.* 364

VII. *P. Matthæus Ricius cum celebri ſacrificulo de lege noſtra diſceptat.* 370

VIII. *Ex Hybernis Noſtri Nanchinum incolumes appellunt, & ædes commodæ comparantur.* 377

IX. *P. Lazarus Cataneus Amacaum petit: Nauchini verò primitiæ Neophytorum baptizantur.* 383

X. *Expeditionem Pequinenſem Noſtri denuò aggrediuntur.* 389

XI. *Quæ Noſtris in arce Thiēſin cōtigerint.* 394

XII. *Noſtri ex improuiſo Pechinum ab Rege cū ſuis donis euocantur.* 405

XIII. *Noſtri à rituum Magiſtratibus comprehenſi, in arcem Legatorum retruſi ſunt.* 416

XIV. *Noſtrorum ſtatio in vrbe tandem poſt libellum à noſtris Regi datū confirmatur.* 426

XV. *Amicitia Noſtrorum cum viris duobus grauiſsimis arctiſsimè, & fru..u contracta.* 432

XVI. *Inſigni dedecore per eos dies notata ſimulacrorum ſecta Noſtros imminenti periculo liberauit.* 438

XVII. *In Xauceana Sede quid hactenus geſtum ſit.* 444

XVIII. *Quibus per eos annos laboribus Xauceana Sedes fuerit agitata.* 456

XIX. *Nanquienſis Eccleſiæ progreſsus.* 468

XX. *P. Emmanuel Diaz ab Amacaenſi Rectore in Sinenſem expeditionē mittitur.* 474

Capita libri quinti.

I. *E Iaponia reuerſus Amacaum Viſitator huius expeditionis res componit* 481

II. *Quanta legi Chriſtianæ dignitas è libris P. Matthæi hoc tempore excuſis acceſſerit.* 486

III. *Paulus in Philoſophico, Martinus in militari Senatu, Doctoru gradus aſſequūtur* 492

V. Quid

IV. *Quid ſuperioribus annis in Sede Nanciani geſtum fuerit.* 497
V. *Quid in Xauceano domicilio hoc ipſo tempore ageretur.* 503
VI. *Res Chriſtiana Nanchinenſis belle procedit, & amicus noſter Chiutaisò Chriſto aggregatur.* 509
VII. *Pechinenſis Domicilij res geſtæ. domus coëmpta. Euclides Sinicè editus.* 514
VIII. *P. Alexander Valignanus Viſitator, & primus expeditionis huius fundator moritur Amacai.* 522
IX. *In Cantonienſi Metropoli graui tumultu in Noſtros excitato Frater noſter Franciſcus Martinez occiditur.* 525
X. *Cantonienſi tumultu ſedato P. Cataneus cũ altero Socio ad ſtationem ſuam intra regnũ redijt.* 535
XI. *Ex India Cataium luſtraturus mittitur è noſtra Societate Benedictus Goëſius Luſitanus.* 544
XII. *Reliquum itineris Cataium vſque quod Sinarum regnum eſſe compertũ eſt.* 551
XIII. *Fratris noſtri Benedicti mors intra Sinẽſe regnum poſtquam ad eum excipiendum è Noſtris vnus Pechino miſſus aduenisſet.* 561
XIV. *Nanciani grauiſſimus in Noſtros tumultus exoritur.* 569
XV. *Nanciani exantlato labore geſta.* 579
XVI. *Geographicam orbis deſcriptionem à P. Matthæo editam Rex ipſe intra Palatiũ recudi iubet. Et Pechinenſis Eccleſia nouis incrementis augetur.* 583
XVII. *Rei Chriſtianæ apud Nanchinenſes progreſſus.* 590
XVIII. *In Patria Doctoris Pauli vrbe Scianhai nomine vtiliter biennii ſpacio P. Cataneus laborat.* 597
XIX. *In Sede Xauceana res eo tempore geſtæ narrantur.* 603
XX. *De felici P. Matthæi obitu.* 610
XXI. *P. Matthæo Ricio ab Rege ſepultura, Noſtris ædes ſacra & Profana deſignatur.* 616

FINIS CAPITVM.

DE

DE CHRISTIANA EXPEDITIONE APVD SINAS AB SOCIETATE IESV SVSCEPTA.

Liber primus.

Scriptionis huius cauſę & modus.

CAPVT PRIMVM.

NON rarò euênit, ut ingentium expeditionum, rerumq; magnarum, quæ labentibus ſeculis aſſurrexere, primordia poſteri penitùs ignorârint. Eius rei cauſam non ſemel mecum ipſe inueſtigans, vix aliam depręhendi, quàm rerum omnium initia [etiam earum quæ in immenſam deinde magnitudinem excreſcunt] in ortu ſuo, ita exigua eſſe & exilia, nihil vt minùs quàm ſecuturam deinde molem promittere videantur; qua ex cauſa qui res illas ex infantilibus, vt ita dicam, cunis educunt, nihil admodum laborant, res memoria tum quidem vt videtur indignas, memoriæ commendare. Niſi fortè magis placet, eiuſmodi negotiorum prima rudimenta, tot tantiſq; difficultatibus impediri; vt eorum auctores in agendo diſtentos, à ſcribendo non temporis minùs quàm virium penuria deterreri fateamur. Initia rerum magnarũ cur ſæpè ignorentur.

Quam ob rem, vt ſocietatis noſtræ ingreſſum in occluſos tot ſeculis vaſtiſſimi huius regni fines, & rei Chriſtianæ primitias, apud illuſtrem hanc gentem, ab hoc obliuionis interitu vindicarem, aggreſſus ſum ea, quæ à P. Matthæo Riccio ſuis commentarijs ad poſteritatis memoriam quotidianis, poſt obitum relicta, hiſtorica narratione complecti. Cauſæ huius ſcriptionis.

Id vt facerem, alia me quoque vel maximè cauſa permouit, vt ſi fortè Diuinæ bonitati viſum fuerit, ex hac minima Euangelij ſemente, lætam aliquando meſſem in Eccleſiæ Catholicæ horrea congregare, poſteri fideles intelligant, à quibus inde temporibus admiranda Dei opera in huius gentis conuerſione, ſint deprædicanda; deinde ſi ex euentu quodam, ſeu occulto Dei iudicio ſperati fructus non prouenerint, cognoſcant, quantum minima noſtra Societas IESV vel egerit, vel paſſa ſit ad hanc infidelitatis velut nemorum vaſtitatem perrumpendam, & quanto vel ſudore vel induſtria hoc ipſum nouale excolendo in ſpem magnam euocârit.

Porro totum hoc de quo agimus negotium, quis ambigat, diuinum eſſe, quando in animis ad Euangelij lucem adducendis, omnino verſatur, plus igitur veritatis candore, quam verborũ lenocinijs pium lectorem in re pia, delectare conabimur. Nihil præterea hac noſtra narratione detractum volo annalibus noſtris, aut priuatis ſociorum litteris, quin eam habeant quam habere par eſt in veritatis auctoritate firmitatem (niſi fortè cum his pugnauerint) neque enim inſtituti noſtri eſt in hac hiſtoria vel omnia perſequi, vel quæ perſequemur exhaurire, quin alia multa contigerint quæ narrari quoque potuiſſent.

Verum ex eo quod Sinicæ res, ferè non ratione minùs, quàm ipſo cælo ab Europæis diſtent, totaque hæc ſcriptio Europæ ſoli dedicetur, conſilium mihi fuit, antequam rem inſtitutam aggrediar, pauca de huius regni ſitu, ritibus, legibus, cæteriſq; id genus præmittere, ne hiſtoriæ deinde filum neceſſariò ſæpè, & non ſine nauſea, interrumpamus. qua in re eum modum ſeruabimus, vt non niſi quæ à noſtris diſcrepant, quantum ad hiſtoriæ lumen pertinebit, attingamus. Ac tametſi eiuſdem argumenti non pauca volumina in

Modus ſcribendi.

in Europa legantur, arbitror tamen nemini moleſtum fore, hæc eadem ab noſtris audire, quia iam annos omnino triginta in hoc regno viximus, nobiliores eius prouincias luſtrauimus, cum illius optimatibus ſummisq; Magiſtratibus ac viris litteratis quotidie familiariſſimè congredimur, vernacula Sinarum lingua loquimur, eorum ritus legesq; ex profeſſo didicimus, ac denique quod maximi refert, dies ac noctes eorum libros manibus terimus. Quæ omnia ijs defuêre qui nullo vnquam tempore in hunc propè alium orbem penetrârunt, quæque ſcripſerunt non oculis, ſed auribus acceperunt, aliorum fide ſubnixi. Verum hæc intra inſtitutæ breuitatis limites reſtringemus paucis huius primi libri capitibus, quæ non immeritò in ſingulos libros excreſcerent, ſi pro dignitate tractarentur.

Declaratur fides huius hiſtoriæ.

De nomine, ſitu, & magnitudine Regni Sinarum.

CAPVT SECVNDVM.

EXtremum hoc in Oriente Imperium, Europæ noſtræ innotuit varijs nominibus inſignitum. Antiquiſſimum eſt illud à temporibus Ptolomæi Sina. Poſtmodum à Marco Paulo Veneto, qui nonnullam huius regni notitiam Europæis ingeſſit, Cataium appellatur, ſed celeberrimum eſt China ab Luſitanis inductum, qui immenſam nauigationem emenſi, eo appulerunt, ibique ad Auſtralem eius partem in Canconienſi Prouincia hodieque negotiantur. Id nomen Itali & aliæ nonnullæ in Europa nationes nonnihil immutarunt, Hiſpanicæ pronunciationis ignari, quæ in nonnullis à Latina diſcrepat. China enim ab Hiſpanis omnibus ita effertur, vt ab Italis Cina.

Varia huius regni Sinenſis appellatio.

Nemini quoque dubium meo quidem iudicio videri de-

bet, hanc eſſe quam Hippophagorum regionem vocant, in hoc enim regno vniuerſo ad hæc vſque tempora equina, veſcuntur omnes æquè ac nos bubula. Nihil etiam dubitarim eandem regionem quoque eſſe Sericam: non enim alio in regno vllo ad Orientem, niſi apud Sinas, ſericum, eiuſque vis tanta reperitur, vt non incolæ ſolùm vniuerſi, opulenti æquè propè ac tenues eo induantur, ſed etiam in finitima omnia Regna exportetur. Luſitani ſane Negotiatores alia nulla merce onerarias ſuas libentiùs confarcinant, quàm Sinenſi ſerico, quod in Iaponiam Indiamque vniuerſum diſtrahendum immittant. Hiſpani quoque Philippinarum Inſularum incolæ, naues ſuas in nouam Hiſpaniam orbemque illum vniuerſum onuſtas Sinenſi ſerico transmittunt: In Sinarum quoque annalibus reperio operis artificium ſerici annis ante Chriſtum natum bis mille ſexcentis triginta & ſex. Et apparet ex hoc regno in reliquam Aſiam, noſtramq; Europam, imò & Africam id genus opificij transmigraſſe.

Serico abundat.

Verum in hac nominum varietate, nihil æquè mirum videri debet, quàm hæc omnia Sinis ipſis incognita eſſe & inaudita, cùm nullum apud eos veſtigium ſit harum appellationum, ac multò minùs qua ex cauſa toties variarint; cùm tamen alia multa Sinæ ipſi regno ſuo impoſuerint, ac fortaſſe in poſterum imponent. Eſt enim apud eos in more, ab omni memoria, poſitum, vt quoties imperandi ius ex vna familia in aliam, pro humanarum rerum viciſſitudine tranſit, ipſum quoque regnum nouo nomine, ac eo qui regnare occipit, inſigniatur, quod qui facit, ſpecioſum aliquem regno titulum pro arbitratu imponit. Ita olim Than appellari legimus, quod ſine termino latum ſonat, Alias Yu ac ſi quietem voces, deinde Hia quod idem eſt ac ſi magnum dicas. Poſtea Sciam, quæ vox ornatũ innuit. Tum Cheu, hoc eſt perfe-

Mos variandi nomen huius regni apud Sinas.

perfectum. Han vero Lacteam in cælo viam ſignat, aliaquè permulta. Ex quo verò hæc ipſa familia, penes quam hodie regnandi ius eſt, quæ Ciu dicitur, regnum vniuerſum Min, id eſt claritatis nomine inſignitur, cui tamen hodie ſyllabam ta adiunxerunt, & Ta-min id eſt magnæ claritatis regnum appellant.

E vicinis verò populis pauci has nominum varietates aduertunt, hinc fit, vt ſinguli propè ſingulis hoc regnũ nominibus inſigniant. Cocincinenſes & Siami (à quibus Luſitani Chinæ nomen didicerunt) Cin, Iapones Than, Tartari Han, Saraceni ab occaſu Cataium hodieque appellant.

Apud ipſos quoque Sinas (hoc enim Ptolomæi nomen video frequentius ab Latinis Scriptoribus vſurpari) præter illud quod eandem cum ipſis Regibus fortunam ſubit, alio quoque communi ſeculorum omnium, eoq; nec vno nomine compellatur. Nunc enim Ciumquo, nunc Chium hoa quotidiano nomine appellamus, prius regnum, poſterius nomen hortum, vtrumque in medio ſitum ſonat. huius nominis cauſam audio eſſe, quod Sinæ cælum quidem rotundum, terram verò quadratam eſſe arbitrentur, in cuius medio regnum ſitum eſſe ſibi fingunt, qua ex cauſa cum initio Geographicas noſtras deſcriptiones in plano poſitas aſpicerent, ſubſtomachabantur, regnum ſuum non in medio, ſed ad extremum Orientem demonſtrari, hanc ob cauſam cum Pater Matthæus Ricius, orbem terrarum Sinicis nominibus expreſſiſſet, ita diſpoſuit, vt Sinarum regnum in medio viſeretur, verùm ipſi nunc plerique errorem illum ſuum & agnoſcunt & irrident. *Error Sinenſium circa ſitum regni.*

Qui vniuerſum regnum cum ſummo imperio moderatur, Vniuerſitatis huius Dominus appellatur, ideo quod arbitrentur ipſi, regnum ſuum iiſdem prope terminis, quibus hoc vniuerſum claudi, nam vicina regna quæ pauca prius noue- *Moderator huius Regni, Dominus vniuerſitatis appellatur.*

nouerant, quam cum Europæis commercia miſcerent, vix regnorum nomine dignantur, quod ſi cui è noſtris mirum videatur, idem ſciat Sinis videri poſſe, ſi ſcierint tot è noſtris monarchas eodem titulo inſignitos, quibus in Sinarum ingens imperium nihil vnquam Iuris fuit. Atque hæc de Regni nomine perſtrinxiſſe ſit ſatis. Quod ſpectat ad amplitudinem, non immeritò Sinarum Imperium, Scriptorum & ſeculorum omnium calculo, magnum prænomen obtinuit; nam ſi agrorum ſitum ac limitum ſpectes, omnia orbis terrarum regna, vnam quidem appellationem ſortita, hodie ſuperat, & per omnia retrò ſecula (quantum quidem hactenus aſſecutus ſum) ſuperauit. Ad auſtrum enim in gradu nono ſupra decimum eleuati ſupra horizontem poli incipit, in Inſula quam ipſi Hainam vocant, quod auſtrale mare ſonat, & excurrit in Septentrionem, ad ſecundum & quadrageſimum, ad boreales illos muros, quibus à Tartaria Sinæ ſuum Imperium diuidunt ac tuentur. In longum incipit à centeſimo duodecimo ab Inſulis fortunatis, in Prouincia quam ipſi Yunan vocant, & in centeſimo triceſimo ac ſecundo, mari ad ſolis ortum terminatur. Hanc terminorum dimenſionem nos ipſi varijs in locis eiuſdem Regni, per quæ tranſire contigit, ad aſtrolabiorum & aliorum, quibus Mathematici vtuntur, inſtrumentorum normam, adiuncta Eclipſium fide, è Sinenſium faſtorum, in quibus nouilunia ſimul ac plenilunia ad amuſſim deſcribuntur, & maximè coſmographicorum planorum auctoritate, quam accuratiſſimè licuit, excuſſimus. Et quidem ab Auſtro in Boream, vbi noſtrorum hactenus deſudauit induſtria, nihil eſt quod addi poſſe videatur. Si verò in longitudine poſteri noſtri, cum in eas partes Euangelium, Deo volente, inuexerint, accuratiùs aliquid explorarint, quod erit vt arbitror diſcrimen exgiuum, eorum auctoritati libens cedo, & poſteriores curas prioribus iudico præferendas.

Amplitudo Regni Sinarũ.

Longitudo regni Sinarũ.

Ex

Ex his colligitur, hanc in vno regno amplitudinem, maxima ex parte intra zonæ temperatioris, benignius cælum continerí, eaque omnia climata, quæ ab extremo eius, quod à Meroe Nili Inſula nomen accepit, ad Romanum vſque excurrunt, continua excurſione complecti. Hæc tam ampla limitum circumſcriptio, ad Boream tamen anguſtior eſt, tertia ferè parte, quam nonnulli noſtri temporis Scriptores eam protenderunt, qui ad tertium ſupra quinquageſimum gradum eam protulerunt. Sina intra zonam temperatam ſita.

Verùm ne cui hæc etiam ipſa limitum laxitas, ſi non incredibilis poſt oculatos teſtes, tamen magnam aliquam partem deſerta incultaq; videatur, adſcribam hic quod in quodam Sinarum volumine excuſo, anno Domini 1579. cui Sinarum Regni deſcriptio titulus eſt, ſcriptum reperi. Id cum fide conuerſum ſic ſe habet: In Sinarum regno duæ ſunt Prouinciæ curiales ac Regiæ, Nanquinum, quod Regiam Auſtralem, & Pequinum, quod Borealem ſonat, præter has aliæ ſunt tredecim. In his quindecim prouincijs, (regna eas iure dixeris) alia diuiſione centum quinquaginta octo regiones aut potius prouinciæ minores (ipſi Fu vocant) numerantur. (Quarum pleræque duodecim quindecimue Vrbes benè magnas, præter Villas, pagos, caſtella & oppida, compræhendunt.) In his regionibus 247. Vrbes maiores titulo Cheu inſigniunt, tametſi à reliquis Vrbibus ſæpe dignitate potius, quam celebritate vel amplitudine diſtinguuntur, Vulgares Vrbes reliquæ, quas ipſi Hien vocant, mille ſupra centum & quinquaginta duæ continentur. Adultorum porro capita à quibus vectigal Regi ſingulatim penditur, 58. milliones (vulgus Su vocat) quingenta quinquaginta millia octingenta & vnum, eo tempore quo liber excuſus erat, numerabantur. Sed in his neque muliebris ſexus includitur. Et è virili pueri, Adoleſcentesq;, Eunuchi, mili- Deſcriptio amplitudinis. Vrbium numerus. Adultorum capita.

milites, propinqui Regis, Magiſtratus litteratique & alij permulti excipiuntur. Et militum quidem, tametſi alta & decrepita ferè pax eſt (exceptis Tartarorum inſultibus) ſupra decies centena millia, ſtipendio Regio aluntur, & perpetuò ſunt in armis, qui numerus vt nemini ſupra fidem videatur, aduerto tres ad Boream prouincias, qualis eſt vna quæ Leatum vocatur, propè dimidiatas, ſub vexillo ac ſtipendio regio militare.

Regna vectigalia.

Regna finitima Sinarum, Imperio vectigalia ad ortum tria, ad occaſum tria ſupra quinquaginta, ad auſtrum ſupra quinquaginta quinque, ad boream verò tria eodem volumine numerantur. Aduerto tamen hodie, longè pauciora debitum vectigal perſoluere, ea verò quæ hodieque perſoluunt, plus è Sinarum regno efferunt quàm afferant, ideoq; nihil admodum à Sinis laboratur, in vectigalium fide permaneant necne.

A munitionibus laudatur.

Ad huius regni amplitudinem, ac celebritatem accedit, quod vndique vel natura vel arte cingitur aptis ad ſe tuendum munitionibus. Ad auſtrum ſimul & ortum mari alluitur, eoque tot Inſulis diſtinctè, vt claſſibus ad continentem aditus ſit vbique perdifficilis. Ad Aquilonem ardua præcipitia, continuò quinque leucarum ſupra quadringentas eoque fortiſſimo muro coniuncta. Tartarorum propè continuos inſultus excludunt, ab occaſu qui aquiloni vicinior eſt, conterminus viſitur arenæ ſitientis ager, qui multorum dierum penuria aduenarum exercitus ab Sinarum regno aut deterret, aut ſepelit. Occaſus auſtralior ſaltibus & montibus frequens notatur, & exigua admodum regna finitima habet, quæ Sinæ negligunt, indigna ſuo vel metu vel cupiditate arbitrati.

Quarum

Quarum rerum ſit ferax Sinenſis ager.

CAPVT TERTIVM.

EX hac tanta huius regni amplitudine, non ab ortu ſolum in occaſum (prout noſtra excurrit Europa) verumetiam ab Auſtro in Aquilonem, cõtingit, vt alibi nuſq̃ toto orbe terrarũ, tanta ſit rerum naſcentiũ varietas, quæ ſub eiuſdem regni cælo producũtur; hinc enim climatũ diuerſitas, & ex ea diuerſarum rerum feracitas pendet, nam alia ſub torrido, alia ſub gelido, alia denique ſub Ioue temperato feliciùs educuntur.

Sinæ ipſi in ſuis chorographiæ voluminibus, fusè quid quæque Prouincia ferat, enumerant, quæ omnia hîc perſequi eſſet ab inſtituta breuitate alienũ. Illud in vniuerſum cum fide dici poteſt, quod ab omnibus ſcriptoribus aſſeritur, omnia quæ ad humanum cultum & victum, imò & delicias faciunt, nõ aliunde importari, ſed domi abundè naſci. Quin etiam auſim aſſerere, omnia propè quæ in Europa videmus, in hoc regno reperiri. Et ſi quæ deſunt, longè pluribus alijs quibus Europa caret, compenſari. Sina omnium rerum ferax.

In primis igitur omni triticio abundat apparatu frumentum, hordeum, milium panicum, ſiliginem, & alia id generis copiosè ſuppeditat. Oriza porrò, quæ quotidianus eſt eorum ferè cõmeatus, longe Europam ſuperat. Legumina verò, ſed maximè phaſeoli, quibus etiam ipſa iumenta armentaq; veſcuntur, & id generis in varijs prouincijs ſecundam ac tertiam quotannis ſementem ac meſſem patiuntur, ex quo non minùs agri cæliq; feracitas & clementia, quàm gentis induſtria colliguntur. Frumentum. Legumina.

Fructuum quoque ac pomorũ ſpecies, ſi oliuam excipias & amygdala, è primarijs nullæ deſunt. Importatę à noſtris ficulneæ, nolunt ſe ab Europæis ſuperari. Præter hæc alia ſunt poma noſtris incognita, qualia in Cantonienſi Prouincia ali- Fructus.

isq; Auſtralibus ſunt, quæ nomine ab Sinis accepto Licyas & Longanas appellamus, quæ mitiſſima ſunt in paucis, nec vſquam alibi generantur. Indicæ quoque illæ è palma nuces, & alia Indica poma ibidem viſuntur. Alia quoque ſpecies eſt, quam ficum Sinenſem, Luſitani Sucuſina vocāt, ſuauiſſimum ſimul ac ſpecioſiſſimum pomum. ficum ideò ſolum Luſitani vocant, quod ijs quoque paſſis veſci licet, aliàs enim nihil habet omninò ſimile, propiusque accedit ad malum perſicam grandem, ſed rubeam ac ſine lanugine vel nucleo. Aurea verò mala & citrea omneq; ſpinoſi nemoris pomum, omnem vbiq; terrarum in eo genere vel varietatem vel ſuauitatem longo ſuperant interuallo.

Ficus.

Aurea poma.

Idem quoque conſtanter videor de olerum varietate ac præſtantia, deque hortenſium herbarum apparatu poſſe confirmare, horũ enim apud Sinas, quam apud noſtrates, vſus eſt frequentior. Complures quippe de vulgo reperias, qui per vniuerſam vitam alia nulla re vel tenuitatis, vel etiam religionis cauſa veſcuntur.

Herbæ.

Nec omnium porrò florum varietas deſideratur, imò non pauci noſtris incogniti, non ſine voluptate conditorisq; laude viſuntur. Verùm Sinæ ferè magis eorum ſpecie, quàm odore delectantur; atque ita planè inaudita eſt apud eos (niſi ex quo cum Europæis commercia miſcuere) ars odoriferos ſuccos è floribus aut herbis lento igne educendi.

Flores.

In quatuor ad auſtrum prouincijs, nobile illud apud Indos folium quod Betre, & arbor quam Arequeiram vocant, reperitur. folium illud ſuauiter mordicãs, magna ſua voluptate, viuæ calci mixtum, totos ferè dies Indi mandunt, aſſeruntq; calore illo ſtomachum non parùm adiuuari.

Oleum ex oliua, vel in edulia, vel in lucernas variè ſupplent, ſed omnibus præſtat illud, quod è ſeſamo educitur, nã & odoriferum eſt, & ubiq; ferè abũdat. Horum vina longè noſtris ſunt

Oleum.

infe-

inferiora,tametſi contrarium ipſi ſibi perſuadent. Cum enim vua rarior ſit,nec admodum mitis, neglectu quodam ex ea vina non exprimunt,ſed ex oriza conficiunt alijsq; rebus, vnde fit vt nuſquam deſit. Eo vino mirè ſibi placent,& ſanè nec inſuaue eſt, nec ita vti Europæum adurit. Vina.

Suilla vulgò veſcuntur, ſed tamen aliæ quoq; carnes abundant. Bubula, ouilla, caprina multa eſt. Gallinæ, Anates, Anſeres vbique innumeræ. Quin etiam equis,mulis, aſellis,canibus æquè ferè vt reliquis carnibus veſcuntur, atque ita venales in macellis exponũtur. quibusdã tamen in locis ſuperſtitio vel agricultura,Bobus & bubalis parcit,ferina,ſed maximè ceruo, lepore varijsq; altilibus abũdat,viliq; omnia pretio cõparãtur. Carnes. Equis veſcuntur Sinenſes.

Equi & alia id generis iumenta, tametſi Europæis venuſtate cedant,numero tamen,& pretij vilitate vecturæq; facilitate præſtant,ſicubi flumina obuia non occurrant, nam ferè vniuerſa Regio ita fluuijs peruia eſt,vt peruadi ferè tota poſſit,ſiue ea flumina natura, ſiue ars fecerit. Ex quo incredibilis omnis generis nauigiorum multitudo vltro citroq; nauigat, eaque tanta, vt è noſtri temporis Scriptoribus vnus aſſerere non dubitauerit,nihilo pauciores in aquis, quàm in continenti commorari, quod etſi ſupra fidem eſt hyperbole, talis tamen eſt vt Sinenſia ſolum flumina nauiganti, minimè ſupra modum eſſe videatur. Ego aliud aſſerere fortè maiori fide auſim,non incredibile videri,tot in hoc vno regno nauigia, quot in reliquo terrarum orbe poſſe numerari, ſi de ijs ſolum agatur, quæ ab aqua potabili deferuntur, nam ea quæ apud Sinas maria permeant & pauciora ſunt, & cum noſtratibus nullo modo conferenda. Sed ad equos redeo. Eos Sinæ domare minimè norunt, caſtrati omnes manſueſcunt, quotquot ad vſus quotidianos adhibentur. Equi porrò militares ſunt propemodum innumerabiles, ſed ij ita degeneres atque imbelles, vt ne hinnitũ quidẽ equi Tartari ſine fuga ferant, vnde inepti ferè Equorum multitudo. Nauium copia. Equi ad prælia inepti.

ad prælia eſſe ſolent, præterquam quod, cum ferreis calcibus muniti non ſint, ſilices aut rupes in præruptis itineribus vngulæ teneritudo retinere diutiùs non poteſt.

Piſcium varietas. Magna eſt in tot fluminibus piſcium varietas & copia, nam præter piſcoſiſſimum mare, ad auſtrum ſolemq; naſcentem, & ea quæ dixi flumina, ſunt ingentes lacus, quos ob latitudinem & profunditatem, exigua propè maria dixeris. Et præter hæc ſuburbana viuaria, haud paulò frequentiora quàm apud noſtrates, è quibus in vſus mercatusq; quotidianos nullo non die piſcis educitur, qui etiam nunquã deficit, piſcãtesq; fruſtratur.

Nemora. Sinenſia nemora, Leones minimè alunt, ſed magno numero Tygres, Vrſos, Lupos, Vulpes. Elephantes non niſi Pequini in aula ad pompam multi educantur, ijq; aliunde addicti, nec toto regno vſpiam viſuntur.

Linum. Linum minimè norunt, è goſſipio vulgò ad amictũ pannus texitur, cuius ſemen tametſi ante quadringẽtos annos eſt ab externis importatum, ita tamen regio illius ferax fuiſſe reperta eſt, vt hodie orbi vniuerſo ſufficere poſſe videatur.

Bombyx. Operis bombycini tanta eſt copia, vt planè cum noſtra Europa (niſi fortè ſuperior eſt) certare poſſe videatur. Ex ijs byſſinos, atq; damaſceni operis pannos, quin etiam ad Europæ imitationẽ hodie quoq; holoſericos texunt, aliaq; opera conficiunt, quæ apud nos in vſu habentur; ſed in pretio tamen, tertiam partem ac ſæpè quartam viliùs diſtrahuntur.

Cannabus. Lana. E cannabo alijsq; quibuſdam herbis, varij panni texuntur, maximè in æſtiuos vſus, tametſi ex ouium lacte, caſeos non exprimant, & lacte non admodum veſcantur, eoq; ſolo quod turgidæ boues præbent, lanam tamen tondent, & in ea vtenda à noſtris longè ſuperantur, nondum enim ex ea pannos laneos intexunt, qui tamen apud Sinas in pretio importati habentur: è lana conficiunt tenuiores æſtiui temporis pannos, quibus vulgus ad pileos vtitur, & pro tapetibus, in quibus

bus vel de nocte iacẽt,vel vrbanos ritus ſuos, de quibus infra, peragunt,horum ad Boream frequentior eſt vſus; qui tametſi longius abſit ab Arctico polo,quam Europa noſtra habitetur, frigus tamen haud paulò videtur acrius, nam & flumina permagna lacusq; gelu concreſcunt,cuius rei cauſa nondum ſatis eſt nobis explorata,niſi eam in Tartariæ niuales montes non remotos referamus, ad quæ frigora propulſanda, non infimis vulpium & Scythicarum muſtelarum pellibus abundant.

Metalla apud Sinas omnia,nullo excepto,reperias licet. Præ- Metalla,
ter æs cuprumq; vulgare aliud cõficiunt,candidũ inſtar argenti, quod nihilo cariùs eſt ære flauo. E liquefacto verò ferro aliquanto plura opera quam noſtri conflant, vt lebetes, ollas, campanas,ac tintinnabula, mortaria,Cancellos,fornaces, bellica vel tormenta vel inſtrumenta, aliaq; complura, omnia noſtratis haud paulo viliora.

Aurum nec ignobile eſt,tamen noſtrate pretio longe infe- Aurum.
riùs. Argenti ad monetam vſus eſt, quæ pondere non etiam ſi-
gillo impreſſo diſtinguitur, atque ita in omni commercio ad Argenti vſus.
ſtateram pretium omne expenditur. quod eſt per ſe perincõmodum, & addita ipſius argenti nobilitate vel ignobilitate, quæ pretio addenda eſt vel detrahenda, quod etiam incomõdius, nam adulterina fraus nõ eſt infrequens. Pluribus tamen in locis quadrantium ex ære vſus, qui in ærario publico ad vſus minutiores excuduntur, argentea quoque vaſa, nec non aurea à potentioribus in vſum adhibẽtur, ſed in hac re parcior eſt Sinarum luxus Europæo. Muliebris tamen mundus etiam apud Sinas maximè in capitis ornatum auri argentiq; multum abſumit. Vulgaris porrò ad menſas ſupellex fictilis eſt, quam Europæi ferè neſcio qua ex cauſa Porcelanam vocant, cui parem inter fictilia vaſa nõ reperias, ſiue tenuitatẽ ſiue nitorem ſpectes. Nobiliſſima fingitur in Kiamſinenſis Prouinciæ agro, in quo maſſa lutea eſt, è qua fingi ſolet. Inde in vniuerſum re-

gnum finitimasq; Prouincias ac remotas in Europam vsq; diſtrahitur, & vbiq; habetur in pretio ab ijs, qui nitorem inter epulas pluris, quam pompam faciunt. Eduliorum etiam feruentium vim patitur, nec vnquam findi ſolet, imò quod mirere, fruſta inter ſe filo æreo aſſuta liquorem continent, nec transmittunt.

Aedificia Sinenſium.

Vitrum quoque Sinæ conflant, ſed in eo longè ab Europæis vincuntur. Ædificia vulgò lignea ſunt, etiam regia palatia, ita tamen, vt parietes è lateritio plerumque opere conſurgant, qui habitationem ſolùm diſcriminant, nam tectum columnis ligneis vt plurimum ſuſtinetur. Hinc, & ex nauigiorum multitudine facilè colligi poteſt, arborum quanta ſit vbique copia, nemorumq; felicitas, plerumque intra eas lignorum ſpecies quę in Europa viſuntur; Quercus eſt infrequens, ſed eius vicem ſupplet æterna quædam & duriſſima ligni ſpecies, quam ideò ferrum Luſitani vocant, nam & ipſo colore accedit, & quernam de quercu facilè coronam refert. Cedrum quoque videbis, funeſtam Sinis arborem. Ea maximè ad ſarcophagos cadauerum vtuntur, quæ ab Sinis tanti habentur, vt ſæpè in funebrem loculum, ſupra mille aureos non malè collocatos putent. Arundinum quoque genus eſt, Luſitani Bambu vocant, cuius durities ferrea propè eſt, eaque rotunda vix ambabus manibus cingitur, ſi maxima eſt, ac tametſi eſt inanis, ſuisq; nodis articulisq; diſtincta, ſua tamē firmitate pro ædium minorum ſæpè poſtibus ſtatuitur. Lancearum etiam haſtilia ex tenuioribus fiunt, & in ſexcentos alios vſus, quorum longa eſſet narratio, adhibetur. Hæ arundines non niſi in prouincijs auſtralibus gaudent, ſed earum tanta eſt copia, vt regno ſufficiant vniuerſo, vixque alterius ligni vſus vilius comparetur.

Arundinum genus.

Focus quibus rebus alatur.

In focum non lignum ſolùm, carbones, arundines, ſtipulamq; ſuppeditat, ſed bituminis genus eſt, quale apud Belgas maxi-

maximè in Epiſcopatu Leodienſi eruitur, ipſi Mui vocant, quod in omnem eius generis vſum accommodatiſſimè adhibetur, neque fumo moleſtiam faceſſit. In Borealibus tamen Prouincijs copioſius eſt ac præſtantius, natura ſcilicet neceſſitatem adiuuante. E terræ viſceribus eruitur, quæ longo tractu diſtracto eius vſum perpetuant, pretijq; moderatione copiam arguunt, & tenuiſſimo cuique materiam vel in culinam, vel in hypocauſta ſubminiſtrant.

Medicas herbas alit, quas aliæ regiones nō niſi importatas norunt, maximè Rhabarbarum, & Muſcum, quæ ab Occaſu Saraceni Aſiæ vniuerſæ, & exinde Europæ inferunt incredibili commercij lucro; cum hic viliſſimo pretio diſtrahantur. Nam Rhabarbari libram obolis decem emptam, ſenis ſeptenisque aureis in Europa diuendes. Hic etiam naſcitut celebre multorum morborum pharmacum: Luſitani lignum Sinicum, alij Sanctum vocant, ad illius, quod ex orbe nouo aduehitur medendi ſimilitudinem, & ita naſcitur, vt nullo colente è deſertis locis, ſolo labore, nullo pretio eruatur, indeq; incredibili lucro emolumentoq; diſtrahatur. Herbarum medicarum vſus.

Salem non in Maritimis ſolum Prouincijs conficiunt, ſed etiam in continente aquas inuenies, è quibus nullo negotio concreſcit. Itaq; vbique abundat, ac nihilominus ex eo, quod ſal in omnes propè humanos vſus adhibeatur, fit, vt in regios theſauros è ſalis commercio copioſum vectigal inferatur; & negotiatores qui in ſale negotiantur, dant operam ſint in primis copioſi. Saccari apud Sinas frequentior eſt vſus quam mellis, tametſi æquè vtrumque abundat. Cera verò non ea ſola quam apes concinnant, ſed alia eſt non candidior ſolùm, ſed etiam altera præſtantior, nam & minus glutinoſa eſt, & accenſa clariùs ſplendet. Ea è vermiculis quibusdam conficitur, quos in hunc vſum in arboribus educant. Sal. Saccarum. Cera qualis conficiatur.

Aliam

Aliam quoque conficiunt ex arboris cuiuſdam fructu, quæ ſuperiori minimè eſt in candore inferior, ſed tamen in ſplendore longo cedit interuallo.

Papyrus. Quoniam papyri vſus apud Sinas latius, quam apud nos pate, tita variè conficitur, ſed tamen quælibet eius ſpecies longè ab noſtra ſuperatur, nam nulla Sinarum charta præli patiens aut ſcriptionis ex utraq; parte, itaque folium vnum è noſtratibus Sinicis duobus æquiualet, facilè quoque laceratur, neque fert ætatem. Folia quædam quadrata conficiunt, quæ in vnius alteriúsue paſſus longitudinem vel latitudinem protenduntur, & ea quæ è goſſipio fit, candore ſuo ne à noſtrate quidem ſuperatur.

Lapides. Omitto neceſſaria multa, marmora varijs diſtincta coloribus, pyropos aliosq; lapillos & gemmas, colores ad pingendum non ineptos, odorifera ligna & bitumina, aliaq; ſexcenta. Sed tamē prætermittere nec poſſum nec debeo duo triaúe noſtris incognita. Ac primùm ſit frutex quidam, cuius frondibus celebris illa Sinarum Iaponumq; ac finitimarum gentium potio

Potio ex frutice celebris. quam Cia vocant, decoquitur. Eius vſus apud Sinas omninò eſſe non poteſt antiquiſſimus, nam in vetuſtis eorum voluminibus, nullus ad eam ſignificandam hieroglyphicus Caracter (quales ſunt omnes Sinarum litteræ) reperitur. Vnde fortaſſe noſtros etiam hac fronde, ſaltus minimè carere, licet ſuſpicari. Hæc folia verno cœlo legunt, eaq; in vmbra exſiccant, & ad quotidianam decoctionem aſſeruant, quam propè continuò in potum adhibent, non ſub menſas ſolùm, ſed quoties in ædes hoſpes amicum viſurus ingreditur, hac enim potione inuitatur, eaque ſecundò ac tertiò, ſi moram aliquam fecerit colloquendo. Calida ſemper bibitur aut potius ſorbetur, & palato non eſt temperata quadam amaritudine inſuauis, ſed reuera ſalutaris & ad multa frequentior illius vſus. Nec vna eſt huius frondis præſtantia, alia aliam ſolet ſuperare, atque ita libram

vno

vno aureo, & ſæpè duobus ac tribus, ſi præſtantior habita fuerit, comparabilis; apud Iapones præſtantiſſima decem ac ſæpè duodecim aureis vænit; apud quos etiã illius vſus aliquanto differt ab Sinenſi. Nam Iapones folia hæc in puluerem redacta feruentis aquæ cyatho immiſcent, quantum duobus aut tribus cochlearibus continetur, eamque potionem ita permixtam epotant. Sinæ verò in aquæ feruentis vaſculum aliquot eiuſmodi folia inijciunt. inde calida, poſtea aquam horum vim imbibit, epotatur, ipſa verò folia relinquuntur.

Alterum eſt bitumen quoddam (conſimile lacti) ex arboris cuiusdam cortice expreſſum, ac inſtar picis glutinoſum, ex eo conficiunt Sandaracham quandam, hoc Luſitani Ciaconem, Sinæ Cie vocant, eo menſas, lecticas, ſupellectilem, domos ipſas, & nauigia inficiunt, varioq; ad libitum colore; quæ omnia deinde adinſtar ſpeculi ſplendent, & nitore ſuo oculis, lęuitate etiam manibus, cum æquali maieſtate, blandiuntur, & multam ferunt ætatem. Hinc fit vt Sinarum Iaponumq; ædes ita ſplendeant, intuentibusq; arrideant: hoc enim velut pigmento, cuiuslibet ligni colorem cum ſplendore mentiuntur. Hanc etiam ob cauſam Sinæ minus, quàm reliqui populi apud quos eſt huius bituminis vſus, mappis inter edendum, menſas non inſternunt, nam ſplendentes ac velut cryſtallinæ menſæ, ſi quid ex eduliorum adipe de ſplendore deperdiderint, exigua purioris aquæ inſperſione leuiter affricta inſtaurantur, læuis enim illa duraq; ſuperficies, cuiuſuis rei permiſtionem excludit. facile fortaſſe arboris huius eſſet cum Europa comercium, magno ſanè bono, ſed hactenus inuentus eſt nemo, qui ad hanc rem, dignam ſanè cuiuspiam induſtria, animum applicarit. Præter hoc quod dixi bitumen, oleum eſſe reperio expreſſum è pomo alterius arboris, ſuperiori non admodum abſimile, eius decocti vſus eſt idem, ſed ſplendore inferior, copiâ verò ſuperior.

Bituminis genus, ad varios vſus.

Menſas non ſternunt.

Aromata varia.

Hæc eadem regio aromatis minimè caret, vel innatis vel importatis. Cinnamomum & zinziber vernacula ſunt, ideoq; copioſiora, poſterius quidem nusquam nobilius aut feracius. Piper, nux, aloe, ſimiliaq; permulta, vel ex Inſulis non procul Malucis, vel è vicinis regni importata, quantũ copia creſcũt, tantum opinione pretioq; decreſcunt. Abundat etiam nitro, cuius vſus minus frequens in puluere ad bella tormentaria (ignitis enim huiuſmodi machinis parcius & ineptius vtuntur) quam in ludis feſtisq; publicis, quæ ingenioſiſſimis ad intuentium admirationem ignibus apud Sinas celebrantur; nihil enim eſt, quod non his ignibus artificioſiſſimè mentiantur. Arbores, poma, prælia, igneosq; in gyrum globos feliciſſimè imitantur, ſumptu non paruo. Viſi ſunt nobis Nanquini tum degentibus, primo anni menſe, qui apud illos inprimis feſtus eſt, tantum pulueris inſumpſiſſe, quantus bienni prælio eoq; continuo ſuffeciſſet.

Nitri vſus magis ad feſtos ludos, quam ad prælia adhibetur.

De artibus apud Sinas Mechanicis.

Capvt Qvartvm.

Cvm & publica omnium fama, experientiaq; teſte, conſtet, hanc gentem in paucis eſſe induſtriam, facile ex ſuperiori capite colligitur, artes omnes illiberales apud eam reperiri, cum materia nulla deſit, merces quoque ipſa ingenia pelliciat, quæ duo, artes ſolent in ſummo collocare, de ijs hoc capite nonnulla attingam, in quibus à noſtris opificibus diſcrepare videntur. Ac inprimis ex eo, quod Sinæ in quotidiano ſumptu ferè parciùs viuunt, euenit, vt opifices, opera ſua non ad artis perfectionem, ſed ad emptorum accommodent voluntatem, ideò ea non adeò elaborant, vt precio moderentur. Inde fit vt operum ſuorum adulterent bonitatem, externa quadam venuſtate contenti; quod ipſum etiam libentiùs faciunt, cum Magiſtratuum rebus inſudant; nam & pretium ab

Opera opificum.

ijs

ijs exſoluitur ſæpè pro arbitratu, non pro merito, & inuiti ad opera euocantur.

In architectura ſunt omninò noſtris inferiores, non minus in ædificiorum ſplendore, quàm annorum perpetuitate: quâ in re dubium eſt, vtri alios ſuperent. Sinæ quippe, extruendas ædes, humanæ vitæ breuitate metiuntur, ſibi enim, non alijs ædificant: noſtri verò pro innata libidine adſpirant æternitatem. Hinc fit vt neque animo concipere, neque ſibi perſuadere poſſint, ædium noſtrarum ſiue publicarum, ſiue priuatarum ſplendorem; & ſi quando audiunt, moles noſtras plura ſæpè ferre ſæcula, imò nonnullas annos mille, alias bis mille durare, obſtupeſcunt; cuius durationis cauſam rogati, eam referimus in alta ſolidaq; fundamenta, quorum ptofunditas reliquam molem ſuperſtructam ſuſtinere poſſit. Sinæ contra vel nulla effodiunt, ſed ſolùm in concuſſo ſolo lapides prægrandes locant, vel ſi quæ fodiunt, vix aliquot cubitos ſolent penetrare, quantumuis moles, turresué futuræ ſint excelſiſſimæ, atque ita rarò vnius ſæculi ætatem ferunt, etiam ipſa mænia, quin ſæpiùs opus ſit inſtaurari. His accedit, quod, vt ſupra comemoraui, magnam partem ligneæ domus ſint, vel ligneis columnis ſuſtineantur, qua in re commoditas eſt non exigua ex eo, quod ferè parietes intacto ędificio reliquo poſſunt innouari, neque enim tecta parietibus ſed columnis innituntur. Architectura.

Typographiæ apud Sinas antiquior eſt aliquanto, quam apud Europæos, nam à quinque retrò ſeculis certum eſt, ab ijs vſu receptam, neque deſunt qui aſſerant, prius eo Sinas fuiſſe vſos, quam in hanc mortalitatem immortalis ſeſe Deus abiecisset. verùm à noſtra differt non parum, quæ hieroglyphicis eorum Characteribus ob multitudinem eſſet perdifficilis, quanquam hodie in breui aliqua, Characteres tabulæ læui ac enodi è pyro ferè maloue vel zizyzho, inſculpunt. Typographiæ antiquitas.

In hac tabula exſcriptum folium, ſed vniuerſum leuiter Libros imprimendi ratio.

 conglu-

conglutinant, inde magno artificio, iam ſiccam papyrum ita eradunt, vt nonniſi in tenuiſſima facie transparentes characteres remanere videantur, tum ſtylis ferreis ita tabulam illam exſculpunt, vt ſola characterum vel picturæ lineamenta emineant. Deinde incredibili facilitate, ac celeritate, folia pro arbitratu imprimunt, eaque ſæpè typographus vnus, die vno, quingenta ſupra mille expedit. In inſculpendis quoque tabulis ita expediti ſunt, vt nihilo plus mihi videantur temporis in ſculpenda, quam noſtri in componenda vna emendandaque conſumere. Hæc excudendi ratio ad Sinicos characteres ferè grandiuſculos accommodatior eſt, quàm ad noſtros; neque enim è tenuiſſimis noſtris elementis exſculpi ligneæ tabulæ commodè poſſe mihi videntur. Cæterum vnum eſt in hac re mirè commodum; cum enim tabulæ, ſemel inſculptæ, domi aſſeruentur, quoties libuerit, licet aliquid detrahere vel addere, non vnum ſolum verbulum, ſed periodos etiam integras, dum tabulæ nonnihil ſarciuntur; neque cogitur typographus, vel auctor cum primum excudit, ſimul ac ſemel ingentem librorum multitudinem typis edere, ſed quoties voluerit, aut opus fuerit volumina pro arbitratu plura paucioraúe excuduntur; quod nobis ſæpè contingit, nam libros de rebus ad noſtram religionem ſpectantibus, ſcientijsúe Europæis Sinicè à noſtris editos, domi excudimus, domeſticorum famulorum operâ. Tanta igitur huius typographiæ facilitas eſt, vt qui ſemel viderit, mox ad idem audendum ſe accingat. Ex hac commoditate naſcitur tanta Sinenſium librorum multitudo ac vilitas, quantam non facile eſt ei, qui non viderit, explicare.

Exſculpendi ratio in marmore & ligno.

Alia quoque eſt ratio in marmore lignoúe ſemel exſculpta imprimendi. Epitaphium aliquod, exempli cauſa, picturáue plano marmori inſculpta, ſuperpoſito humentis chartæ folio laneoq; panno medio, tamdiu malleolo percutitur, dum in

vacua

vacua picturæ Characterumúe lineamenta ſubtilis ſeſe papyrus inſinuet; Inde leui manu atramento alioúe colore quolibet, folium illud inficitur, eaq; ſola lineamenta in ſuo candore perſeuerant, ac prototypi formam referunt non ineleganter. Verum hæc ratio craſſiora lineamenta exigit, nec ad ſubtilioris laminæ ductus, adhiberi poteſt.

Picturæ (cuius frequentem in artificijs adhibent vſum) gens eſt addictiſſima, ſed omninò ab Europæa ac multo etiam magis in ſtatuaria fuſiliq; opere ſuperatur: magnificos fornices hominum animantiumq; figuris inſignit, templaque ſua inanium Deorum ſimulachris & ære campano nobilitat. Et quidem ſi rectè conijcio, videtur mihi gens, alioqui ingenioſiſſima, horum artificiorũ ideò rudis eſſe, quod illi nullũ vnquam cum exteris gentibus commercium fuerit, quo naturam, nulli aliâs inferiorem gentium omnium, arte adiuuaret. Picturas oleo vel vmbris inſignire genti ignotum, ideoque demortuis ſimiliores quam viuis. In ſtatuis etiam infeliciores mihi eſſe videntur, in quibus effingendis, omnia Symmetriæ præcepta oculo ſolo metiuntur, qui ſæpè fallitur, erroremque in magnis corporibus non paruum committit, ſed non ideò ab inſanis monſtrorum molibus abſtinent ex ære marmore ac luto educendis. Æra campana omnia ligneis malleis pulſantur, nec videntur poſſe ferreos tolerare; atque ita nec ſono poſſunt cum noſtratibus comparari.

Picturæ. *Statuæ.* *Aera campana.*

Inſtrumentorum apud eos muſicorum varietas eſt & copia, ſed organis carent atque clauichordijs & omni huiuſmodi inſtrumento. fides inſtrumentis omnibus adhibent è cruda byſſo retortas, ex animalium fibris ne confici quidem poſſe norant. Inſtrumentorum tamen concinnandorum ſymmetria noſtræ reſpondet. Muſica porrò ars omnis in vnius vocis ſono conſiſtit, vocum diuerſarum diſcordem concordiam planè ignorant. Et tamen ipſi de ſua muſica ſibi maximè blandiuntur,

Muſicorum inſtrumentorum varietas & copia. *Ars Muſica.*

tur, quæ noſtrorum aurium iudicio ſuperbiſſimo abſona omninò iudicatur. Et quanquam ipſi ſibi primas de muſicis concentibus arrogent, noſtratia tamen organa & cætera, quæ hactenus audierunt inſtrumenta, admirantur, idemq; fortaſſe de noſtrarum vocum harmonia iudicabunt, cum eius artificium ſonosq; perceperint, quos hactenus templa noſtra non audierunt, omnium quippe rerum fere muta ſunt rudimenta. Id vt ſuſpicor facit ingenua Sinarum indoles, quæ facilè peregrina ſuis præfert, vbi reuera iudicat præferenda. Eorum enim ſuperbiam à meliorum ignoratione, vicinarumq; gentium barbarie ortam reor.

Horarum dimenſiones variæ.

Horis metiendis vix habent inſtrumenta, quæ habent, vel aqua vel igne menſurantur. Aquea ſunt velut ingentes cleſpſydræ, Ignea ex odorifero cinere confecta, tormentorum noſtrorum fomites imitantur. Pauca etiam alia conficiunt rotulis ab arena velut aqua circumactis, ſed omnia ad noſtratia artificia, ſunt umbra, & ferè multum peccant in ipſa metiendi temporis ſymmetria. E ſciotericis ſolum norunt illud, quod ab æquatore nomen accepit, ſed neque illud pro ratione locorum didicerant collocare.

Comædiarum vſus frequens.

Spectandis comædijs ſunt addictiſſimi, eaq; re noſtrates ſuperant, atque ita innumerum adoleſcentum multitudo hoc exercitio diſtinetur, eorũ alij quaquaverſum libuerit, toto regno peregrinantur, alij in nobilioribus emporijs commorantur, & in publicas priuatasq; celebritates adhibentur. Sed omninò regni fæx eſt, nec alia facilè vitijs fædior reperitur, pleriq; enim ab his archimimis, pueruli pretio comparati choros ducere, mimos exercere, vocem inflectere, à teneris edocentur, Omnes hæ comædiæ antiquæ ferè ſunt, vel hiſtoriæ vel fictiones, & omninò paucæ recens ſcribuntur. Epulis quoque ferè celebrioribus adhibentur; ipſi mimi cum euocantnr, ad quamlibet è vulgatis agendam adueniunt comparati, itaque

comæ-

comædiarum volumen conuiuatori, quam ſpectare voluerit, electuro ferunt, ipſiq; conuiuæ inter edendum ac potandum ſpectant tanta ſua voluptate, vt cum horis ſæpè decem epulentur, tantundem temporis, expleto ſæpè epulo ſpectando inſumant, dum vna comædia ex alia trahitur. Canendo ferè omnia pronunciant & vix quicquam vulgari loquendi modo effertur.

Sigillorum apud Sinas vſus eſt nobilis & frequens, nec ijs ſolum literas ſuas muniunt, ſed & ſcriptiones, poëmata, picturas aliaq; complura, nec in his aliud inſculpitur præter nomen, cognomen: gradum, dignitatemq; auctoris, non vnum adhibent, pluribus ſæpè ſuorum operum principia finesq; inſigniunt, eaq; non in cera aut re ſimili quapiam imprimunt, ſed rubeo ſolum colore inficiunt; hinc fieri ſolet vt Viri primores vas habeant in menſa ſigillis plenum, quæ varia ſua nomina (nam Sinæ ſinguli pluribus nominibus appellantur) inſculpta habent, eaq; materia ferè nobiliore conſtant, ligno, marmore, ebore, ære, cryſtallo, corallio, alijsq; lapillis nobilioribus. Eorum quoque artifices plurimi reperiuntur, neque huiuſmodi opificium apud Sinas eſt illiberale, ex eo maximè quod ſigillorum characteres à vulgatis differant, & antiquitatem, cuius apud omnes gẽtes magna eſt veneratio, ſapiant, ideoq; eorum artifices non illiteratos eſſe neceſſe eſt.

Sigillorum vſus varius ac frequens.

Alia quoque ars eſt huic abſimilis, conficiendi ſcilicet ad omnem ſcriptionem atramenti, id exiguis velut panibus concinnant, ex olei fumo. Et quoniam ipſi ſuis characteribus venuſtè pingendis addicti ſunt præ reliquis gentibus, ideò fit vt non elegans tantum ſcriptor ab ijs æſtimetur, & paſſim omnibus officijs colatur, ſed etiam ipſi ſcriptorij atramenti opifices non illiberales habeantur. Eo vtuntur in marmorea lamina eaq; apprimè læui, cum aliquot aquæ guttulis, ſcriptorios illos paniculos affricant, laminamq; inficiunt, deinde penicillo è

Atramenti conficiendi ratio.

Tribus rebus ad ſcribendũ vtuntur.

pilis

pilis leporinis, quo ad ſcribendum vtuntur, atramentum excipiunt. harum quoque laminarum artifices permulti viſuntur, qui magno ſæpè pretio nobiliora ſaxa leuigant, & cum venuſtate concinnant. Denique tria hæc quæ ad ſcribendum adhibentur, pleráq; inſigni ornatu conſtant, & in pretio habentur, eò quod in rem ſuapte natura grauem, qualis eſt ſcriptio, à viris æquè grauibus in vſum adhibentur.

Flabellorum vſus.

Aliud quoque eſt opificium parum à noſtris vſurpatum, id in conficiendis ad conciliandum æſtiuo tempore ventum, flabellis verſatur, quibus omnis hominum conditio & ſexus, vti ſolet. In publicum nemini ſine flabello prodire fas eſt, tametſi cælo frigido ventos arceri quàm euocari melius eſſe videatur; ſed Maieſtatis potius alicuius maiorem, quàm neceſſitatis habent rationem. Ea variè conficiuntur, nam ſi materiam ſpectas, ex arundine, ligno, ebore, ebeno, adiuncta papyro, byſſo & odorifero etiam quodam ſtramine conſtant: ſi formam, alia ſunt rotunda, alia ouata, nonnulla etiam quadrata. Quæ ſunt ex vſu porrò primorum virorum, è charta candida eaq; inaurata, pereleganter ſunt confecta, pro arbitratu vel complicantur vel explicantur. In ijs exſcribi ſibi ſæpè iubent nobilem aliquam ſententiam, aut poëma. Et hoc eſt vulgatiſſimum munuſculum, quod ſibi inuicem in beneuolentiæ teſtimonium mittunt. Noſq; ipſi plenam ciſtulam, amicorum donaria, domi hodie habemus, quæ alijs deinde ſimili beneuolentia remittamus. In ijs porrò conficiendis, innumeri vbiq; opifices occupantur. Mihi ſemper viſum eſt, hunc apud Sinas flabellorum vſum cum noſtris chirothecis comparari poſſe, & licet vſus vtriuſq; primarius, contrarius eſſe videatur, nam illorum in propulſando æſtu, harum in arcendo frigore conſiſtit, tamen vſus vel maieſtatem vel munuſcula potiſſimum ſpectare videtur.

In his paucis Sinæ ab Europæis diſcrepant, in alijs longè

pluribus

pluribus in tanto terrarum interuallo mire conueniunt, maximè in veſcendi, ſedendi, dormiendiq́; ratione, in qua ipſi ſoli cum Europæis, è tot alijs gentibus, neſcio qua ratione conſpirarunt, nam & menſas, & ſedilia, & lectos adhibent, quibus omnibus finitimi omnes & reliqui populi minimè vtuntur, ſed in ipſo ſolo ſtoreis inſtrato ſedent, veſcuntur, ac dormiunt. quod ſanè notatu digniſſimum videtur, & vnde facile plurimarum rerum ſimilitudo, quam ne longior ſim omitto, colligetur.

De artibus apud Sinas Liberalibus ac Scientiis, deque Litteratorum gradibus.

Capvt Qvintvm.

PRivs ad huius Imperij adminiſtrationem quàm veniamus, omninò neceſſe eſt, vt de gentis litteris, ſcientijs, earumq́; gradibus pauca præmittamus, in quo magnam partē huius Reipublicæ regendæ ratio conſiſtit; quæ à reliquis orbis terrarum vbiuis gentibus, in hac parte magno diſcrepat interuallo. Ac tametſi huic regno Philoſophi non imperent, dici tamen debet Reges ipſos à Philoſophis gubernari. Eorum ſcribendi componendiq́; ratio, quæ Hieroglyphicis illis Aegyptiorum figuris ſimilis eſt, non parum à loquendi conſuetudine diſcrepat. Nullus enim omninò liber vulgato idiomate ſcribitur. Et ſi quis fortaſſe ad familiarem cõſuetudinem propiùs accedit, is neque materia, neque opinione ſeſe ſupra vulgus extollit. Et tamen omnes ferè vtriusque ſermonis voces communes ſunt familiari colloquio, & grauiori ſcriptioni. in ſola porrò vocum compoſitione hæc diuerſitas tota conſiſtit.

Scribendi apud Sinas ratio & loquendi.

Cuiuslibet autem apud Sinas ſermonis voces, ad vnam omnes monoſyllabæ ſunt, & ne vna quidem diſſyllaba vel polyſyllaba

Vocum ac dictionum vſus

laba reperitur, quanquã ſunt duarum ac ſæpè trium vocalium in vnam ſyllabam coëuntium non paucæ diphthongi. Diphthongos voco noſtro loquendi more; nam neque vocalium, neque conſonantium apud Sinas vlla mentio, ſed vt rerum, ita vocum ſingularum ſuus eſt hieroglyphicus character, nec pauciores litteræ quam voces numerantur, idemq; eſt apud eos dictio, ſyllaba, elementum. Si tamen in hoc opere voces Sinicas plurium aliquando ſyllabarum legeris; ſic habeto Sinicè ſingulas ſyllabas, ſingulas voces eſſe, ſed quia ad rem vnam ſignificandam inſtitutæ ſunt, à nobis latino more in vnam vocem eſſe compactas. Ac tametſi pro rerum multitudine ſit numerus characterum, eos tamen inter ſe componunt, vt ſeptuaginta octuagintáue millia nõ excedat. Et ex ijs qui decem millia nouerit, eos qui ferè neceſſarij ſunt ad ſcribendũ characteres eſt aſſecutus: nam omnes omninò noſſe nec opus eſt, nec eſt in vniuerſo fortaſſe regno qui nouerit. Horum etiam characterum plurimùm idem eſt ſonus, figura non eadem, imò etiam ſignificatio non vna. Vnde fit vt aliud nullum idioma æquiuocum æque reperiatur, neque à loquentis ore ſcriptio vlla excipi poteſt ab audientibus exſcribenda, nec liber vnus ab audientibus cum prælegitur intelligi, niſi librum eundem præ oculis habeant, vt æquiuocos vocum ſonos, quos aurium iudicio minimè diſtinguunt, oculorum fide figuras intuentium, internoſcant. Imò etiam inter loquendum non rarò euenit, vt alter alterius conceptum accuratè alioqui proferentis & politè loquentis minimè aſſequatur, ipſe non repetere ſolum cogatur, ſed etiam ſcribere, ac ſi non ſit ad manum ſcriptorius apparatus, vel aqua ſupra menſam, vel digito in aëre audientisúe manu, characteres effinguntur, idq; maximè inter litteratos & eloquentes alioqui viros accidit, quo purius ornatiusq; & ad librorum ſcriptionem propius colloquuntur. Hanc æquivocationem vtcumque tollunt accentibus

Aequivoca ratio in loquendo.

bus ac tonis quinq; , quos vtiq; ſubtiles non ita pronum eſt internoſcere, his ſonorum ſuorum paucitati vtcumq; ſubueniũt, nam ſyllabam apud noſtrates vnã, ſæpè hac tonorũ varietate quintuplicẽ faciunt ſignificatione inter ſe toto cælo differentem: nullaq; eſt omninò dictio, quæ non vno ex his accentibus efferatur. Vnde loquendi & intelligendi difficultas augetur, ita vt nulla mihi toto terrarum orbe lingua, aduenis æquè difficilis ad diſcendũ eſſe videatur. Sed ea tamen & diuino fauore & improbo labore ab ijs ſuperatur, qui ſe totos huius gentis ſaluti conſecrarunt, qui loqui ſolum, ſed & legere ac ſcribere, quotquot hactenus è noſtra ſocietate hîc ſunt, didicerũt.

Huius rei cauſam ego quidem eſſe ſuſpicor, quod ab omni ſæculorũ memoria, gens hæc ſcriptionẽ expolire magis, quam ſermonem procurarit, ex eo quod omnis eius eloquentia ad noſtra vſque tempora in ſola ſcriptione, non etiam in pronunciatione conſiſtat. Qualem Iſocratis fuiſſe apud Græcos legimus: hinc fit vt familiares etiam NuncIj non verbo, ſed ſcripto etiam intra eandem Vrbem ferè tranſmittantur.

Hic porrò ſcribendi modus, quo ſingulis rebus ſingulos appingimus characteres, etſi memoriæ ſit permoleſtus, tamẽ adfert ſecum inſignem quandam noſtriſq; inauditam cõmoditatem. Nam nationes alioqui ſermone inter ſe diuerſiſſimæ, ſi cõmunibus in ſcribendo characteribus vtantur, librorum litterarumq; cõmercio cõmunicant, tametſi alia aliam minimè aſſequatur colloquendo. Ita Iapones, Corai, Caucinciæ: Leuhiæi cõmunes habent libros, tametſi eos efferendo, ita inter ſe diſcrepent, vt alter alterius, ne verbum quidem intelligat, eundem tamen omnes librorum ſenſum aſſequantur, præter ſuum idioma aliudque nullum norint. In ipſo quoq; regno Sinarum Prouinciæ ſingulæ ita ferè ſermone inter ſe diſcrepant, vt nihil habeant omninò commune. Et tamen librorum ac litterarum eſt omnibus commune commercium.

Sermo vniuerſo regno communis.

Præter hunc tamen cuique Prouinciæ vernaculum ſermonem, alius eſt vniuerſo regno communis, quem ipſi Quonhoa vocant, quod curialem vel forenſem ſonat. Id ex eo euenit quod Magiſtratus omnes, vt infrà dicam, in ea Prouincia, in qua publicum munus gerunt externi ſint; ac ne peregrinum ſermonem ediſcere cogerentur, curiale eſt toto regno idioma, quo non forenſia ſolum negotia peraguntur, ſed vel politiores omnes, vel aduenæ cum indigenis in qualibet prouincia colloquuntur. Et hunc ſolum noſtri ſermonem ediſcunt, neque enim cuiuslibet Prouinciæ ſermo vſquam neceſſarius, ſed neque vrbanus eſt, aut à politioribus in colloquium, niſi fortè à contribulibus domi familiariter vel foris ad patriæ memoriam adhibetur. Eumq; ſermonem ipſi pueri ac mulieres omnes norunt frequentia ipſa difficultatem ſuperante.

Audio apud Iaponios ſupra characteres hos, qui ab Sinis eò penetrarunt, alphabeti, elementorumq; paucorũ, more noſtro vſum reperiri, quo ipſis ſuum idioma ſcribere ſine infinita illa Sinenſium characterum farragine licet; idem fortaſſe vicinis, quas ſupra memoraui gentibus commune, verum apud Sinas eiuſmodi elementorum nullus vſus, ſed neq; veſtigium; atque ideò Characteres ipſi ſuos, ac figuras, à prima pueritia ediſcunt, ad extremam propè ſenectutem, quotquot litteras profitentur. Id tametſi procul dubio ſcientijs melioribus, temporis multum detrahit, idem tamen eorum animos non omninò inutiliter diſtrahit, auertitq; à iuuenili licentia, in quam omnes quidẽ ſed ocioſi maximè propendemus. Ex hoc etiam characterum pingendorum pro litteris, modo naſcitur inſigne quoddam apud Sinas ſcriptionis genus, quo genere non paucis ſolum dictionibus, ſed ſyllabis, ea dicunt quæ nos longis ambagibus minus etiam ſignificanter fortaſſe diceremus.

Sinicæ ſcriptionis ſitus.

Sed quoniam de characteribus pingendis agimus, omittendum etiam non eſt, Sinicæ ſcriptionis ſitum è diametro noſtræ aduer-

aduerſarium; nam ad dexteram à ſummo ad imum, manum ducunt: nos à ſiniſtra in dexteram, in latum progredimur.

E nobiliſſimarum ſcientiarum varietate in ſolius prope Philoſophiæ moralis notitiam deuenêre, naturalem quippe varijs erroribus potius obſcurarunt quam illuſtrarunt. Ethica porro ipſa præcepta, ex eo quod de Dialectica nihil attigerunt, nullo doctrinæ ordine ſed confuſis fere ſententijs atque raciocinationibus tradunt, quantum duce illo quod à natura infundi ſolet, lumine aſſequuntur. Maximus inter omnes Philoſophus Sinenſis Confutius appellatur, quem inuenio quingentis quinquaginta vno annis ante Chriſti Seruatoris noſtri in terras aduentum in hanc lucem prodijſſe, & annis amplius ſeptuaginta ita vixiſſe, vt non exemplo minus, quam ſcriptis & congreſſibus omnes ad virtutis ſtudium incitaret. Ex qua viuendi ratione conſecutus eſt apud Sinas, vt mortales omnes quotquot vbique terrarum virtute præſtiterunt, vitæ ſanctimonia exceſſiſſe credatur. Et ſanè ſi eius dicta factaq; quæ leguntur attenderis, paucis è noſtratibus Philoſophis Ethnicis cedere, multos etiam eum ſuperare fatebimur. Eam ob rem tanta eſt viri opinio, vt nullum eius pronunciatum ab Sinenſibus litteratis, hodieq; in dubium reuocetur, ſed ab omnibus æquè in Magiſtri communis verba iuratur. Nec litterati viri ſolum, ſed ipſi quoq; Reges eum per tot retro ſecula, ſed mortalium tamen, non etiam numinis alicuius ritu venerantur, Et gratum animum acceptæ ab eo doctrinæ ſeſe exhibere profitentur. Nam & per tot temporum interualla, illius in hanc diem poſteri magno ſunt apud omnes loco. Et à Regibus familiæ capiti, honoris non exigui titulus hæreditario iure eſt attributus, quem cenſus permagni & immunitates conſequuntur.

Philoſophiæ moralis ſtudium quale?

Confutius author Philoſophiæ moralis apud Sinas.

Non Philoſophiæ ſolum Ethicæ, ſed Aſtrologiæ quoque ac multarum diſciplinarum mathematicarum non mediocrem ſunt

Mathematicarũ diſciplinarũ periti.

ſunt notitiam aſſecuti. In Arithmetica tamen ac Geometria feliciores aliquando extitere: ſed hæc etiam omnia vel conſecuti, vel etiam tradidere perturbatè. Conſtellationes ipſi diuerſo à noſtris modo partiuntur. Et in ſtellarum numero ſupra eas, de quibus Aſtrologi noſtri meminerunt, quadringentas addidere, in numerum enim tenuiores quaſdam vocant, quæ non ſemper apparent. Verum hi Aſtrologi nihil admodum de cæleſtibus phænomenis ad rationis calculos reuocandis adlaborant. Magnam partem in prædicendis Eclipſium momentis, & Planetarum ac ſtellarũ molibus occupantur. Sed hæc etiam omnia mille ſcatent erroribus. Deniq; omnem ferè ſuam de ſideribus cognoſcendis ſcientiam, in eam quæ à noſtris Iudiciaria eſt appellata, referunt, arbitrati, quæcunque in hoc elementari orbe fiunt, ab ſideribus dependere. In his tamen Mathematicis diſciplinis, aliquid ab Saracenis, qui ab occaſu venerant, accepere, ſed nihil illi demonſtrationum auctoritate confirmant, ſed ſolum tabulas quaſdam reliquerunt, ad quarum normam faſtos ſuos, Eclipſes vtriusq; planetæ, & omnium motus reuocantur.

Aſtrologia iudiciaria quib' conceſſa.

Auctor illius familiæ quæ hodie rerum potitur vetuit, ne quisſquam hæc Aſtrologiæ iudiciariæ præcepta ediſcat præter eos, qui ſunt hæreditario iure in eam rem deſignati; veritus ex hac ſiderum notitia, qui eam ſit conſecutus, res nouas in regno moliendi facultatem accipiat, & opportunitatem conſequatur. Qui tamen hodie regnat, varios magno cenſu Mathematicos alit, eosq; vel intra palatij fines Eunuchos, vel extra regios Magiſtratus, quorum duo ſunt hodie in Pequinenſi regia, tribunalia; alterum Sinarum, qui à ſuis acceptam faſtos Eclipſesq; ſubducendi rationem profitentur; alterum Saracenorum, quod eadem ad importatam ab occaſu diſciplinam eadem reuocat, ac vtriusque deinde tribunalis iudicium inter ſe conferunt, & alterum ab altero adiuuatur. Vtrique

etiam

etiam in modico colle aream ad contemplanda ſidera habent, in quo Mathematicas machinas inuſitatæ magnitudinis fuſili ære conſtruxerunt, quæ antiquitatem aliquam præ ſe ferunt. In eo colle ſemper vnus aliquis Collegarum, nocturnis horis excubat, ſi quid fortè cælum inuſiſitata ſiderum, vel alicuius Cometę nouitate portendat, quod ſi contigerit, die inſequenti, miſſo Regem libello admonent, ac ſimul exponunt, quæ ſiniſtri, quæ læti ominis ſignificatio videatur. Nanquinenſium Mathematicorum area, in edito colle intra Vrbem eminet, & Mathematicorum inſtrumentorum moles, Pequinenſium ſuperat elegantiam, quia eo tempore in ea Vrbe Reges contemplantur. Contemplantur ſidera.

Pequinenſium Aſtrologorum ius eſt, in ſolis ac lunæ defectionibus, toto regno, prædicendis, & lege lata, Magiſtratus ſimulacrorumq; Miniſtri, vbiq; iubentur certum in locum cogi, officiorum ſuorum cultu inſignes, & planetæ laboranti ſubuenire, quod æreis cymbalis ad numerum pulſatis, & ſæpè flexis poplitibus ſe facere arbitrantur, toto eo tempore, quo planetas illos deficiendo laborare credunt. Audio vereri eos, ne à ſerpente, neſcio quo, per id tempus ſorbeantur. Aſtrologorum officium.

Artis medicæ præcepta non parum à noſtratibus diſcrepant, verum non aliter ac noſtri venæ pulſum explorant. Et ſanè ſunt in medendo non infelices, Pharmacis porrò vtuntur ſimplicibus, herbis, radicibus, alijſque huiuſmodi; itaque ars tota Sinenſis medica herbariæ ferè noſtræ præceptis continetur. Huius artis nullus eſt publicus ludus, ſed quiſque priuatim à quolibet Magiſtro eruditur. In vtraque regia, arti medicæ gradus præuio examine conceduntur, ſed ita quaſi per tranſennam nulloq; delectu, nihil vt amplius auctoritatis opinioniſue conſequatur, qui eo gradu inſignitur, Artis medicæ vſus.

quam

quam qui eo caruerit, ex eo quod nemini ægris mederi interdicitur, ſiue peritus artis medicæ fuerit, ſiue imperitus. Denique hoc omnibus exploratum eſt, neminem vel Mathematicis, vel medicis præceptionibus, inſudare, qui quidem in Ethica eminere ſe poſſe ſperauerit. Atque ita nemo fere ijs dat operam, niſi quem vel rei familiaris vel ingenij tenuitas, à ſublimioribus diſciplinis deterruerit, vnde fit vt vix vllo ſint in pretio, nam honos alit artes, omnesq; accenduntur ad ſtudia gloria, ſpe præmiorum.

Id è contra in Ethica ſcientia videre licet, ad cuius celebriores gradus quiſquis euehitur, næ ille Sinicæ felicitatis apicem ſibi videtur conſecutus. De his fuſius paulo agendum mihi cenſeo, non enim id lectori minus iucundum fore arbitror, quam nouum. Sinenſium ille quem dixi Philoſophorum Princeps Confutius, quatuor antiquorum Philoſophorum volumina concinnauit, ipſeq; quintum ſuo marte conſcripſit. hos libros quinque doctrinas appellauit. In his Ethica benè viuendi & Reipublicæ gerendæ præcepta, veterumq; exempla, ritus, ac ſacrificia, quin & varia veterum poëmata, aliaque huiusmodi continentur. Præter hæc quinq; volumina è duobus tribúsue Philoſophis, Confutio ſcilicet, eiusq; diſcipulis in vnum volumen redacta ſunt, varia nullo ordine præcepta, ſimilia, ſententiæ de moribus è recta ratione inſtituendis, ſeq; ipſo, inde familia, denique regno ad virtutem componendo. Id volumen, quia libris quatuor continetur Tetrabiblion appellarunt. Hi nouem libri ſunt bibliothecarum Sinenſium antiquiſſimi, & è quibus propè reliqui prodierunt, hieroglyphicos item maximam partem continent characteres: & ſanè Philoſophiæ moralis præcepta, non parum Reipublicæ profutura præſcribunt. Itaq; lex ab antiquiſſimis Regibus lata eſt, multorum ſæculorum vſu confirmata, ut qui litteratus apud Sinas & eſſe & haberi velit, ex his libris ſuæ doctrinæ fundamenta

Philoſophiæ moralis authoritas.

habeat

habeat neceſſe eſt, in quibus non ſatis eſt, genuinum textus vt ſenſum aſſequantur; ſed etiam quod difficiliùs, ſubitò de ſingulis poſſint ſentētijs aptè ſcribere, ideò ſingulis Tetrabiblion illud, de quo ſuprà, ediſcendum, vt id præſtare poſſint.

Nullus porro ludus eſt aut academia publica (quod è noſtris ſcriptoribus aliqui aſſeruere) cuius Magiſtri hos ſibi libros ſuſceperint exponendos, ſed quiſque Pręceptorem ſibi pro arbitratu deligit, à quo domi ſuæ ſuoque ſumptu inſtruatur. Horum porro domeſticorum Ludimagiſtrorum ingens eſt multitudo, tum quod ab vno plures, characterū Sinenſium vitio, vix poſſint erudiri, tum maximè quod in more poſitum ſit, vt dixi, quemq; domi ſuæ filiorum duntaxat ludum aperire, tametſi vnus alteruenumeretur, ideò credo, ne aliorum commercio à ſtudendi contentione auertantur. Ludimagiſtri.

In hac ſcientiâ tres literarum gradus ijs, qui ex eorum numero examinandos ſeſe præbent, aptiq; fuerint iudicati, conferuntur. Id porrò examen in ſola ferè ſcriptione conſiſtit. Primus litteratorum gradus confertur in ſingulis Vrbibus, eo in loco, qui ludus appellatur. Eum confert inſignis aliquis litteratus ab Rege ipſo in eum finem nominatus. Is ex officio Tihio, gradus verò ipſe Sieucai dicitur, & Baccalaureatum noſtratem repræſentat. Tihio igitur omnes ſuæ prouincię Vrbes peragrat, eum gradum collaturus, cui triplex examen præmittitur. Vbi Cancellarius ille, vt noſtro more loquar, aduenit, quotquot ex ea Vrbe eiusq; finibus ad illum gradum adſpirāt, repentè concurrunt, ſeque examini ſubijciunt. Primum inſtituitur à Ludimagiſtris illis, qui Baccalaureis, cum gradum aſſecuti ſunt, præſunt, dum vlteriorem adipiſcantur. In hoc examen admittitur quilibet, & ſępè cōtingit, vt quatuor quinquéue millia ex vna vrbe numerentur. Hi Ludimagiſtri ſtipendio regio aluntur in hunc finem. Hi deinde ad quatuor vrbis præfectos (qui omnes ſunt litterati, alius enim nemo

Tres litterarum gradus.

Examen triplex pro gradu conſequendo Baccalaureatus.

Rempublicam attingit) à Ludimagiſtris remittuntur, qui denuò examinatos Cancellario præſentant, ſed ex vniuerſo numero non amplius ducentos, quos ex meliori ſcriptione digniſſimos iudicauerint. Cancellarij tertium eſt examen, & omninò reliquis auſterius, nam è ducentis viginti trigintáue, non plures, pro regionis magnitudine, quos eodem examine digniſſimos inuenerit, Baccalaureos appellat, & præteritorũ annorũ Baccalaureis aggregat, qui omnes non infimã vrbis partem dignitate repræſentant; nam ab omnibus coluntur ſpe futuræ, ad quã accedunt, dignitatis. Talarem, pileũ, & ocreas dignitatis inſigne peculiare induunt, eoq; cultu alium niſi Baccalaureũ prodire eſt nefas. In Magiſtratuum congreſſibus honoratius aſſident, & grauiores vrbanitatis ritus ijs exhibent, quibus vulgo vti non licet. Multis quoque im̃unitatibus gaudent, & præter Cancellarium ſuosq; illos quatuor Ludimagiſtros nemini ferè ſubſunt, nec facilè cæteri Magiſtratus de illorum cauſis delictisúe iudicant.

Examen Cancellarij.

Baccalaureorum habitus, eorumq; priuilegia.

Cancellarij munus nõ ſolum in nouos ſe Baccalaureos extendit, ſed antiquiores etiam ſuperiorum annorum illo gradu inſignitos, incudi reddit, & quid vel profecerint, vel defecerint, ſeuera trutina explorat. Ergo pro ſcriptionis bonitate quinque ordines inſtituit. Ijs qui primo cenſentur, præmio, poteſtatem facit munia quædam publica, ſed non maxima, ſine ſuperiore gradu gerendi; in ſecunda claſſe recenſitos, præmio quoque, ſed inferiore donat. Tertios nec præmio, ſed nec pœna dignos cenſet; Quarti publicè vapulant, ſocordiæ pœnam luentes; Poſtremi tandem Baccalaureatus inſignibus exuuntur, & in vulgi ordinem reijciuntur. Id faciunt ne poſtquam in Baccalaureos recenſiti fuerint, in otio deliteſcant, & quæ didicerint, obliuioni tradant.

Examen aliud antiquiorum Baccalaureorum ſeuerum.

Alter autem Sinenſium litteratorum gradus Kiugin appellatur,

latur, & cum noſtrorum Licentiatorum ordine comparatur. Is non niſi tertio quoque anno in Prouinciæ metropoli ſub octauam lunam, maiori etiam maieſtate confertur. Sed non ijs omnibus, qui eo digni cẽſentur, ſed q inter illos certo numero digniſſimi, pro Prouinciarum dignitate ac celebritate plures paucioresúe. Nam in vtraque Regia Pequinenſi ſcilicet atque Nanquinenſi quinquaginta ſupra centum ex omni Baccalaureorum numero Licentiati renunciantur; in Cequiana, Quiam Sinenſi, atque Fuquiama quinque ſupra nonaginta, in reliquis pro litteratorum numero ac Prouinciæ dignitate aliquanto pauciores. Alter gradus Licentiatus.

In hoc examen ſoli Baccalaurei, nec tamen omnes admittuntur, ſed è ſingulis Prouinciæ vrbibus aut ludis, vt iam dixi, ab Cancellario illo Baccalaureorum minimum triginta, ſummum quadraginta ex omni numero ad ſcriptionem excuſſi, ſeliguntur. Et tamen hac ratione in prouincijs celebrioribus ſæpè numerus eorum, qui ad Licentiatorum ordinem adſpirant, ad quatuor millia excreſcit. Igitur anno illo qui Licentiatis initiandis tertius quiſque recurrit, qualis exempli cauſa fuit annus Domini 1609. & proximè recurret 1612. paucis ante octauam lunam diebus, quæ ſæpè in Septembrem menſem incidit, Magiſtratus Pequinenſes ſelectiſſimos ex vniuerſo Regno Philoſophos ad centum Regi offerunt dato libello, vt ex ijs triginta in ſingulas nempe prouincias binos, nominet, qui huic Licentiatorum diſcuſſioni præſint. Eorum porrò alterum è Regio Collegio, quod Hanlinyuem vocant, eſſe neceſſe eſt, cuius Collegæ toto regno celeberrimi eſſe perhibentur. Eos verò Rex omninò non nominat niſi ſub idem temporis punctum, quo citatiſſimo itinere in deſignatam prouinciam poterunt peruenire, adhibitis quoq; permultis excubitoribus, ne quem ex ea prouincia vlla ex cauſa prius alloquantur, Soli Baccalaurei ad examen Licentiatus admittuntur.

quàm Licentiati ſint renunciati. Ex eadem quoque prouincia, ab Magiſtratibus Philoſophi celebriores euocantur, à quibus Regij illi examinatores duo, in hoc examine primaq; ſcriptionum diſcuſſione, cum fide adiuuentur.

Palatium pro examine extructum.

In qualibet porrò metropoli, palatium ingens pro hoc examine duntaxat extructū cernitur, altiſſimis muris cinctum. In eo domiciliorum ſtationes permultæ, & ab omni tumultu ſemotæ, in quibus examinatores, quos dixi, dum ſcriptiones diſcutiunt, commorantur. Præter has, in medio palatio ſunt cellulæ ſupra quater mille, quæ præter exiguam menſam & ſcabellum, & vnum hominem capere vltra nihil poſſunt, ex his cellulis nemo cum vicino colloqui, ſed nec videre quenquam poteſt.

Vbi examinatores & Vrbani & Regij, quos dixi, in Metropolim aduenerunt, prius in eo palatio, in ſua quiſque ſtatione includuntur, quàm cum vllo colloqui poſſint, imò à mutuis inter ſe colloquijs excludātur, toto eo tempore, quo in ſcriptionum diſcuſſione laboratur. Quin etiam id temporis nocturnę diurnæq; multorum militum & Magiſtratuum excubiæ, explorant & arcent omne litterarum ac ſermonum cōmercium eorum, qui intra palatij fines degunt, cum ijs, qui extra eos commorantur.

Tempus examinis.

In hoc porrò examen tres & ijdem vbiq; dies toto regno deputantur, nonus nempe ac 12. ac 15. octauæ lunæ dies. Et ab illuceſcente aurora in primam noctē tempus ſcriptioni conceditur, ianuis ſtudioſè occluſis. Scribentibus porrò leuis refectio pridie comparata ſumptu publico præbetur. Cum in palatij fines Baccalaurei admittuntur, ſeueriſſimè explorantur, ſecum aliquem librum aut ſcriptionem deferant nec ne. Et ſolum ſinuntur penicillos aliquot quibus ad ſcribendum vtuntur, & ſcriptoriam laminam, de qua ſupra, atramētum, chartamq; deferre. Eorum porrò veſtes penicilli, laminæ ſcripto-

Fraus in examine depræhenſa punitur.

riæ, ne quid per fraudem contineant, explorantur: ſi fraus aliqua depræhenſa fuerit, non excluduntur ſolum, ſed etiam acerrimè puniuntur.

Poſteaquam in palatium admiſſi Baccalaurei, & fores clauſæ, & publicis ſigillis obfirmatę, Duo illi ab regia examinis præſides, tres è Tetrabiblio illo ſententias in publicum exponunt ſuo arbitratu ſelectas, quas ſinguli totidem ſcriptionum ſibi thema proponunt; è qualibet item quinque illarũ doctrinarũ quaternas ſentẽtias, aliarum totidẽ ſcriptionum thema proponunt. Easq; ſibi quisq; deligit, quæ ex ea, quam profitetur doctrina, eruuntur. Septem has ſcriptiones oportet eſſe non verborum ſolum luminibus, ſed ſententiarum quoque pondere graues, obſeruatis accuratè Sinenſis facundiæ præceptionibus, nec vllam ſcriptionem oportet quingentos numero characteres ſuperare, quorum ſinguli ſingulas dictiones noſtras exæquant. Examinandi modus.

Die altero, qui biduum ad examinandorum quietem conſequitur, eundem in modum recluſis, tria proponuntur, quæ olim ex Veterum annalibus eruta contigêre, vel alia quædam, quæ impoſterum poterunt euenire, ternis ſinguli ſcriptionibus ſententiam ſuam dicũt, aut Regem dato libello monent, quid eo in caſu faciendum è Regni bono videretur.

Tertio ſimiliter die tres ijs lites, ex ijs proponuntur, quæ in gerendis Reipublicæ muneribus diſcernẽdæ exigi poſſunt, ternis itidem ſcriptionibus ſinguli ſententiam ſuam explicant, quam in ea lite dijudicanda ferrent.

Acceptis in hunc modum ſuo ſingulis die ſcriptionum argumentis, & ad memoriam tranſcriptis, Baccalaurei in deſignatam ſibi ab ijs, quorum intereſt, cellam ad ſcribendum ingrediuntur, & magno vbiq; ſilentio à ſingulis ſcribitur. Scriptiones ſingulorum in libello in eum finem parato, à ſingulis tranſcribuntur, adſcripto ſuo, Parentis, Aui, & Abaui ad fi- Cellam ad ſcribendum idonea.

 nem

nem ſcriptionum nominibus, & libellum ita obfirmant, vt nonniſi à deputatis poſſit aperiri. Id ſinguli cum ſingulis libellis fecerunt, eos deputatis offerunt: illi, prius in examinatorum quàm manus veniant, librariorum, qui iam parati adſunt, manu tranſcribuntur: ac ne fraus eſſe poſſit, rubeo colore exempla pinguntur, ipſa porro autographa atramento deſcripta erant. Transſcripta hæc non autographa, ſine auctorum nominibus examinatoribus diſcutienda traduntur; ipſa verò autographa, numeris ſignata, quæ tranſumptis reſpondent, interim aſſeruantur. Id fit ne qui diſcutiunt ſcriptiones, auctorum nomina, vel ipſam pingendi rationem internoſcant.

Scriptiones examinantur.

Priores illi ex vrbanis Magiſtratibus ſelecti examinatores, ſcriptiones omnes excutiunt, & peſſimam quamque ita reijciunt, vt regijs examinatoribus duplum offerant eius numeri, ad quem excreſcere Licentiatorum numerus poteſt. Ita ſi centum & quinquaginta renunciari oportebit, ſcriptiones trecentæ ſeponuntur, & ad Regiorum examinatorum ſtationem poſtremo ſcrutinio excutiendæ transmittuntur; E quibus optimas quasque, quantum pro numero Licentiatorum ſatis, ſegregant. Ex eo inde numero primas, ſecundas, & tertias deligunt, & in ordinem accuratè componunt. His peractis omnes ſimul examinatores, tranſumpta cum autographis, appoſitis numeris, agnita conferunt, & auctoris in autographo nomen legunt: hæc nomina cubitalibus litteris deſcripta, in ingenti tabula exponunt, octaua ferè luna exeunte, magno Magiſtratuum concurſu, applauſuq; eorum, qui Licentiatos renunciatos vel ſanguine, vel neceſſitudine contingunt.

Hic porrò gradus priore longè ſuperior ac celebrior, alijsq; nobilioribus gaudet immunitatibus, & peculiari dignitatis ornatu. Imò ſi ad ſupremum gradum adſpirandi deponunt cupidita-

piditatem, non infimorum in Republica munerum capaces, exiſtunt.

Hoc actu ad exitum in hunc modum perducto, Regij examinis Præſides, librum euulgant, quo totius examinis ſucceſſus, Licentiatorum nomina, & inſigniores de qualibet propoſita materia ſcriptiones hac ratione in regnum vniuerſum immittuntur. Sed maximè illius ſcriptiones typis illis excuduntur, qui primum inter Licentiatos nomen eſt ſortitus. Is Sinico Quiayuen appellatur. Hic porrò liber eleganti inprimis charactere excuditur, totoq; regno ſpargitur, eiusq; aliquot exemplaria Regi offeruntur, & reliquis palatinis. Liber trāsacti examinis excuditur.

In hoc examen minimè admittuntur, qui ſunt alterius prouinciæ Baccalaurei. Solum in vtraq; Regia pauci ex alijs prouincijs ex peculiari priuilegio, quod in ludū regium, cuius collegæ ſunt, adſciti ſint, poſtquam Baccalaureatum obtinuerunt, in id Collegium, perſoluto Cameræ regiæ certo aureorum numero, adſciſcuntur.

Tertius apud Sinas litteratorum ordo Cin-su appellatur, & Doctoratum noſtratem planè repræſentat. Hic etiam tertio quoque anno confertur, ſed ſolum in Regia Pequinenſi: & Doctorū initiandorū annus ſemper eſt is, qui Licentiatorum actum proximè inſequitur. Eum porro non niſi ex vniuerſo regno trecēti, cōſequūtur, tametſi è ſingulis prouincijs Licētiati, quoties aleam examinis ſubire voluerint, ipſo iure admittantur. Inſtituitur hic actus ſecunda luna ijſdem, quos ſupra memorauimus diebus, forma quoque eadem, nullo planè diſcrimine, niſi quod pro ratione gradus atque dignitate creſcit etiam in explorando diligentia, ne qua forte fraus fauorúe ſubrepat, ipſi quoque examinatores è grauiſſimis regni Magiſtratibus, quos Colaos vocant, de quibus infrà, examinis præſes nominatur. Tertius gradus Doctoratui noſtrati reſpondet.

Finito

Finito examine,renunciatisq; Doctoribus, eo ipſo in palatio,in quo etiam Licentiatos renũciari mos eſt, ſimul omnes in palatio regio, coram præcipuis totius aulæ Magiſtratibus, quin etiam ipſe Rex olim aderat, propoſito themate ſcriptionem componunt, cuius iudicio, Magiſtratuum, quos ipſi geſturi ſunt, ordo renunciatur, in tres claſſes diſtributus. Huius examinis magna eſt celebritas, quæ tota in breui ſcriptiuncula conſiſtit. Qui primum in Doctorum examine locum obtinuit, illius tertius locus in hoc ſecundo examine extra aleam verſatur. Qui verò in hoc examine primas ac ſecundas obtinet, inſigni per totam vitam dignitate inſignitur, præterquam quod maxima quæque in Republica munera gerit. Ea dignitas aptiſſimè cum Ducis apud nos Marchioníſue titulo conferretur; ſi ea in poſteros hæreditario iure transferretur.

Immunitates Doctorum.

Doctorum habitus.

Hi mox Doctores propria veſte, pileo, & ocreis, ac reliquis etiam Magiſtratuum inſignibus gaudent, & ad publicos Magiſtratus opimiores ac nobiliores euehuntur, eo ſemper ordine, vt nusquam Doctores ab Licentiatis ſuperentur, habentur quoque in Primorum regni numero, & reliquis Licentiatis, quibus ſors non æquè cecidit, ſuis pridie Collegis, ita repentè ſuperiores exiſtunt, vt credi vix poſſit, nam vbique potiores partes illis cedunt, & ſpecioſioribus eos titulis compellant.

A gradu Doctoratus eiecti

Hi autem Licentiati qui à Doctorum numero reiecti ſunt, ſi ſpem Doctoratus impoſterum conſequendi depoſuerint, ad gerendam Rempublicam admittuntur, & licet infra Doctores, non tamen infimos vel in regia vel foris gerunt Magiſtratus. Si fortunam denuò tentare placuerit, domum repetunt, ſedulò ſe ſcribendo legendoq; exercent, toto inſequente triennio, dum redeunte annorum circulo, in examinis arenam iterato deſcendant. Id quoties libuerit, tentare licet. Et euenit non raro, vt aleam decies ſubeant, repugnante ſemper for-

tuna, qua ſpe lactati, vitam absq; munere publico vniuerſam terunt. Dum aut ſummi, aut nihil eſſe volunt.

Huius quoque non leuis atq; inferioris ordinis renunciati ſucceſſus, ſuo priuatim volumine ab Examinantibus excuditur, adſcriptis vt ſupra, nominibus & inſigniori quaque ſcriptione. Præter hunc librum, alius etiam quotannis editur, quo Doctorum omnium nomina, patria, parentes, officia, & quo in loco ea gerant, deſcribuntur. Ita qui annuum hoc volumen inſpexerit, ſciet quam quisque dignitatem à primo Doctoratus anno ad obitum vſque, & vbi geſſerit, quibus gradibus honorum vel aſcenderit, vel deſcenderit, quod apud Sinas pro cuiusque meritis eſt quotidianum.

Et eſt in hac graduum conſecutione illud admiratione dignum, quam eiusdem anni Collegæ inter ſe neceſſitudinem contrahant, Nam non Licentiati minus quam Doctores, quibus fortuna vt faueret in eundem annum conſpirauit, ſeſe loco fratrum per vniuerſam vitam habent, ſeq; mutuò & propinquos ſuorum Collegarum in omnibus rebus adiuuant, vnanimi ſemper animorum conſenſione Cum ipſis quoque examinatoribus etiam arctius vinculum nectunt, quale ſolet inter Parentes ac filios, vel Diſcipulos ac Magiſtros, debita ſemper veneratione, tametſi ſæpè contingat, ipſos Diſcipulos altius Magiſtro, per ſingulos honorum gradus aſcendere. Animorũ conſenſio inter eos qui gradibus ſunt inſigniti.

Hos etiam honorum gradus ijsdem annis ac locis, ijsdemq; titulis, ijs qui militiam profitentur, concedi mos eſt. Tempus ſolum in ſequentem lunam differri ſolet. Verum ex eo quod apud Sinas ars militaris iacet, longè inferiore conferuntur apparatu. Et ita pauci ad eos adſpirant vt omninò res miſera videatur. Militare hoc examen triplex quoque eſt. In primo, equeſtri curſu incitati, ſagittas nouem expediunt: In ſecundo, totidem ſagittas in eundem ſcopum pede fixo collineant. Et qui vt minimùm quatuor ſagittis ex equo, & duabus è ſolo Militare examen.

ſcopum attigerunt, in tertium examen admittuntur. In quo de rebus militaribus, propoſita quæſtione, iubentur ſcripto reſpondere. Iudices deinde collato inter ſe triplici hoc examine, in vnaquaque prouincia, ex vniuerſo numero Licentiatos ferè quinquaginta renunciant. Quo anno verò Pequini Doctores nominantur, militares quoque ex omni Licentiatorum totius regni numero ſelecti, triplici etiam examine præuio, omninò centum militari Doctoratu inſigniuntur.

Doctores ex hoc Collegio faciliùs quam Licentiati non tamen ſine largitionibus ad aliquam præfecturam militarem deſignãtur. Vtrique, cum primum renunciantur, ſiue ij de Philoſophico ſiue de militari ſint ſenatu, ſupra ædium ſuarum limen ad familiæ commendationem, titulum inſcribunt litteris cubitalibus, quo ſignificatur, quam quisque dignitatem ſit adeptus.

Examinum Præſides.

Illud ad extremum prætereundum non eſt. Omnium examinum arbitros ac Præſides, ſiue de re militari, ſiue de Mathematicis diſciplinis, & arte medendi, & longè magis de rebus Ethicis diſcuſſio inſtituatur, è Senatu Philoſophico deligi, nec vllum vel Ducem, vel Mathematicum, vel Medicum illis adiungi; quod non parum Europæis noſtris mirum, & fortaſſe ineptum videbitur. Tanta enim eſt eorum, qui Ethica diſciplina præcellunt, apud Sinas opinio, vt omninò videãtur aptam de omni re poſſe ferre ſententiam, tametſi extra ſuæ profeſſionis limites longius euagetur.

De Sinenſis Reipublicæ adminiſtratione.

Caput Sextum.

De hoc argumento non plura attingam, quam quæ ad huius commentarij finem omninò neceſſaria eſſe iudicauero;

cauero; Si enim id pro dignitate perſequi in animo eſſet, non niſi quamplurimis capitibus, aut etiam libris res tota clauderetur. Imprimis igitur in hoc regno ab omni temporum ſerie, ſola ea gubernatio ad Rempublicam gerendam probata eſt, quæ in vnius Imperio Monarchicā ſuſtinet maieſtatem, Ariſtocratię porro vel Dimocratię, vel alterius cuiuslibet Policratiæ, vel ipſum nomen apud Sinas eſt inauditum. Olim quidem ſub vno Monarcha non pauciores erant inferiorum tituli, quàm apud nos Ducum, Marchionum, Comitum, atque cæterorum huiusmodi. Verum ab annis proximè mille octingentis hi peculiarium dominiorum tituli, poteſtasq; eſt omninò ſublata. Adminiſtratio Reipub. Monarchica.

Ac licet ab omni memoria, ciuiles tumultus bellaque minimè defuerint, ſiue priuſquam hæc ratio mutaretur, ſiue ex, quo mutata eſt, tametſi etiam hoc Imperium eſſet in varia regna minora diuiſum, quod nunc in Iaponicis Inſulis eſſe audiuimus; nunquam tamen prius ab externis populis legitur vniuerſim eſſe ſubactum, quàm anno noſtræ ſalutis 1206. è Tartaria Dux neſcio quis, regnorum domitor, in hoc regnum ſeſe cum exercitu victore immiſiſſet. Eum Ducem nonnulli è noſtris, nec leuibus, meo iudicio, coniecturis Tamerlanem, vel è ſucceſſoribus eius aliquem fuiſſe arbitrantur. Eum enim Sinæ Tiemor appellant, eumq; ſcribunt ſubacta primum Perſide ac Tartaria, ad Sinas ſibi adiungendos animum adieciſſe. Quiſquis is fuerit, Tartarum appellabo. Is immiſſo exercitu, breui ſibi Sinas omnes ſubegit, & acceptam tanti regni Tyrannidem eius poſteri ad annum vſque 1368. propagarunt: quo tempore cum jam Tartari imperij vires deficere cæpiſſent, neque jam vltra Sinæ externum imperium, & Barbarum ingenium ferrent, varijs in prouincijs ſub diuerſis Ducibus iugum excuſſerunt.

Qui cæteros duces, rebus præclarè vel virtute, vel dolo geſtis ſuperauit, fuit vnus è familia Ciu, quem Sinæ poſtea Ham vu, inſignem Ducem, aut armorum potius diluuium appellarunt. Is pellectis ad ſe auxiliaribus aliorum quorundam ſtrenuorum Ducum copijs, breui è gregario milite tantum viribus excreuit, vt non Tartaros ſolum, Regem, ac Duces imperio exutos expulerit, ſed non minore fortuna reliquos etiam rebelles, toto regno ſuperarit, & vnus Sinenſe Imperium occuparit, quod etiam eius poſteri in hanc vſque diem feliciſſimè propagarunt. Hinc ſuæ Monarchiæ magnæ claritatis nomen, vt ſupra dixi, Tamin indiderunt.

Imperium Sinenſe.

Sinenſe porrò Imperium à Parente in filios, vel ad propinquos regios, more noſtro, deriuatur. Duo ſolum trésue Reges antiquiſſimi, regnum, morituri, non filijs quos ad regendum ineptos iudicabant, ſed alijs, tametſi nullam haberent inter ſe ſanguinis neceſſitudinem, commendarunt. Accidit quoque non ſemel, vt is qui impotentius imperitabat, ab impatiente iugi populo, faſcibus exueretur, & in eius locum eum qui viribus, ac virtute, populiq; gratia emineret, ſubrogarent, ac pro legitimo deinceps Rege venerarentur. Hoc verò in laude apud Sinas ponendum, quod complures honeſtam potius mortem eligere optant, quam in intruſi Principis verba coniurare. Etenim apud Sinenſes Philoſophos celebre dictũ. Matrona caſta duos neſcit Maritos; nec fidelis cliens duos Dominos.

Sinenſes impatientes tyrannidis.

Leges Reipublicæ nullæ antiquæ.

In hoc Imperio nullæ ſunt leges antiquæ, quales apud nos duodecim tabularum, iuriſq; Cæſarei, quibus perpetuò Reſpublica gubernetur. Sed qui primus è familia quapiam regnum capit, is nouas pro arbitratu leges condit, quas ex eadem familia poſteri obſeruare coguntur, nec facile immutare permittuntur. Quapropter leges illæ quæ hodie ab Sinis obſeruantur, non ſunt Humvuo antiquiores, omnes ille aut condidit,

dit, aut à veteribus acceptas, confirmauit, Eum ſibi maximè ſcopum præfigens, qua ratione regno pacem, ſibi ac poſteris Imperium quam diutiſſimè propagaret.

Ex eo quod huius regni fines ita longè lateq; proferantur, & ex ignoratione transmarini Orbis, arbitrantur Sinæ Regem ſuum orbi vniuerſo imperare, ideoq; ſpecioſo illum nomine Cæli filium Thiencu dicunt, & hodie, vt olim ſemper, appellant, quia porrò cælum ipſi pro ſupremo numine colunt, idem eſt cæli ac Dei filium nominare. Vulgo tamen non hoc nomine, ſed Hoamſi appellatur, hoc eſt, ſupremum Imperatorem aut Monarcham. Cæteri verò Reges longè inferiore titulo ab Sinis Guam appellantur.

Rex Sinarum cæli filius appellatur.

Humouus ille quem dixi, non virtute ſolum bellica, ſed ingenio quoque & ſolertia, inſignis fuiſſe perhibetur. Id perſuadent ſtatuta legesq; complures, quibus Rempublicam Sinenſem ſtabiliuit. Ex ijs nobiliora quædam ſeligam, memor ſemper inſtitutæ breuitatis. Quod (vt ex annalium ſerie conſtat) omnes familiæ Regię, propinquorum regiorum, vel regni procerum factionibus imperio exciderunt, propterea quod regni habenas magnam partem moderarentur, ſtatuit, ne quiſquam è regio ſanguine publicum deinceps munus attingeret, ſiue illud vrbanum eſſet ſiue militare. Illis porro Ducibus, quorum auxilio regnum à Tartarorum Tyrannide liberaret, eorumq; poſteris militaret, hæreditario iure attribuit præfecturas. Ne verò regium genus ab omni publico munere ſe reiectum ferret impotentius, Regum filios, titulo Guam, id eſt, Regulorũ appellatione inſigniuit, annuosq; cenſus ampliſſimos aſſignauit. Sed eos non in prædijs agríſue, ne clientes obtinerent, ſed in annuo ſtipendio, quod ex ærario regio ab Magiſtratibus penderetur, collocauit. Voluit etiam vt eos Magiſtratus pro Regulis, omnes venerarentur, ſed nemo illis ſubderetur. Regulorum deinceps filios ac Nepotes varijs titulis

Humovuij Imperatoris & ſtatuta.

ita honeſtauit, vt paulatim decreſcerent cum annuo cenſu, prout à regio trũco longius per ætatum gradus deſcendiſſent. Cum verò ad certas ætates perueniſſent, non amplius ijs ex ærario publico præberetur, quam quantum ad vitam cõmodè tuendam, ſine vllo vel opificio vel negotiatione eſſet ſatis. Prouidit etiam vt Regij ſanguinis puellę pro dignitate ac Regij trũci propinquitate, collocarentur, & ſpecioſis plus minusúe titulis optimoq; cenſu eundem in modum dotarentur.

Immunitates Ducum regniq́ue liberatorum.

Socijs porrò ducibus, regniq; liberatoribus, annuos cenſus liberaliſſimè, & honorũ titulos ſpecioſiſſimè impertiuit, militares item Præfecturas, aliasq; immunitates largitus eſt, ſed Vrbanis Magiſtratibus nõ ſecus ferè ac reliqui ſubduntur. Ex ijs immunitatibus vna eſt primogenitorum, apud noſtrates inaudita. In lamina ferrea ad inſtar pateræ exſculpta viſuntur præclara illa facinora, quæ à familiæ capite ſub Humvuo Rege ad regni liberationẽ patrata ſunt. In horũ gratiã, delicti cuiuslibet impunitatẽ, etiam morte plectẽdi, impetrabit etiam tertiò, ſi eam laminã Regi obtulerit; qua viſa Rex quoties condonat, in ea cælari iubet indicium quoddam. ex quo intelligatur, quoties ea lamina veniam impetrarit. Id porro intelligendum eſt, excepta perduellione, eius enim conuicti, omni mox dignitate ipſi totaq; poſteritas in perpetuum exuuntur. Eius generis honores & cenſus, cum ea quam dixi temporis im̃inutione, Generi Regij ac ſoceri obtinent, & alij etiam nonnulli, qui de Sinenſi Republica regioúe ſtatu inſigni facinore benemeriti fuiſſe reperiuntur.

Reipublicæ gubernatores ſoli Doctores & Licentiati.

Ad regendam porrò Rempublicam, totiusq; Regni gubernacula, ſoli Doctores aut Licentiati in examinibus renunciati adſciſcuntur, nec eam ad rem ipſi gratia vel Magiſtratuũ vel ipſius etiam Regis indigent, omnia enim Reipublicæ munera ab explorata cuiusq; ſcientia, virtute, prudentia, ſolertiaq; dependent, ſiue nunc primũ gerere incipiãt, ſiue iam alios geſſerint

rint Magiſtratus. Id porrò Humvui leges ita præcipiunt,& magnam partẽ obſeruãtur, excepto eo, q̄ humana malitia à Gentilibus minimè religioſis quotidie contra iura legesque peccatur.

Magiſtratus omnes, ſiue Philoſophici, ſiue militaris fuerint Senatus, Sinenſi lingua Quonfu (Pręſides dixeris) appellantur. Sed honoris ijdem non officij cauſa Lau ye, vel Lau sie nũcupantur. Id Dominũ ac Parentẽ ſonat. Luſitani Magiſtratus illos, à mandando fortaſſe, Mandarinos vocant, quo nomine iam etiam apud Europæos Sinici Magiſtratus intelliguntur. Magiſtratuum nomina.

Etſi dixerim initio, Monarchicam eſſe huius regni adminiſtrandi rationem, tamen è dictis facile conſtat, & è dicendis conſtabit, Ariſtocratiæ non parum admiſceri. Quanquam enim omne, quod à Magiſtratibus ſtatuitur, neceſſe ſit, ab Rege libellis ei datis cõfirmari; nihil tamẽ vlla in re decernit prius, quam à Magiſtratibus ante ſolicitetur aut moneatur. Si porro priuatus quiſpiam Regi libellum obtulerit (quod ideò pauci faciunt, quia omnes ab certo Magiſtratu excuti prius & approbari neceſſe eſt, quam ad Regem transmittantur) ſi Rex annuere ſe velle præ ſe ferat prima conceſſione, ita ferè ſubſcribit; Excutiat hunc libellum tribunal, cuius intereſt, meq; moneat quid faciendum videatur. Indubitatum illud omninò haberi debet, quod ego ſtudiosè explorauì, ipſi Regi omninò non licere cuiquam pecuniarium munus largiri, aut Magiſtratum conferre, aut augere, niſi ab aliquo Magiſtratuum fuerit rogatus. Id porrò non ita intelligendum, quaſi Rex priuata authoritate ijs, qui intra palatij fines cõmorantur, munera largiri non poſſit; facit enim id frequẽter ex antiqua conſuetudine, ac velut lege, qua cuique licet è ſumptu domeſtico amicos cohoneſtare, ſed id inter beneficia publica minimè ponitur. Siquidem Regis hæc dona, non è publico, ſed ex priuato cenſu fiunt. Monarchię admixta Ariſtocratia.

Vecti-

Vectigalium redditus. Vectigalium redditus, atque tributorum, qui ſine dubio centum quinquaginta milliones, vt vulgus vocat, excedunt, in ſingulos annos, non in palatij ærarium inferuntur, nec eos Regi expēdere ſuo arbitratu licet, ſed omnia, ſiue argentũ, gentis moneta, ſiue oriza eiusdem cōmeatus, in æraria & horrea publica toto regno congeruntur. Ex ijs Regis, Coniugum, filiorumq; ſumptus, nec non Regiorum propinquorum, & Eunuchorum, & vniuerſi famulatus regij, ſuppeditantur, regio ſemper ſplendore & copia, nihil tamen plus minúsue quàm legibus præſcribitur. Inde Magiſtratuum Militumq; ſtipendia, & cæterorum toto regno curialium miniſtrorum ſoluuntur, quæ ſumma maior eſt, quàm noſtrates ſibi perſuadere poſſint, hinc etiam ædificia publica, Regis palatium & Regiorum propinquorum, Vrbium, muri, arcium, propugnacula, bellicus denique omnis apparatus inſtauratur; nec in hac regni amplitudine vnquam deeſt, quod erigas aut inſtaures. Et quod incredibilius videtur, annis quibusdam contingere ſolet, vt ne hac quidem tam ingens vectigalium ſumma ſumptũ exæquet, ſed noua etiam tributa imponi neceſſe ſit.

Magiſtratuum ordines. Verum ad Magiſtratuum ordines priuatim deſcendamus quorum in vniuerſum duo eſſe genera reperio. Alterum eſt eorum, qui non ſolum in Regia, Magiſtratus aulicos gerunt, ſed ex ea velut ex ſpecula regnum moderantur vniuerſum. Alterum eſt Prouincialium Magiſtratuum, qui ſingulas vel prouincias, vel vrbes gubernant. Vtriusq; ordinis quinq; aut ſex volumina iuſtæ magnitudinis, toto regno venalia extant, & in vrbe regia Pequinenſi bis, menſibus ſingulis, recudũtur, quod ex eorum ratione typographica perfacile eſt. In his voluminibus aliud legitur nihil, præter nomina, patriam, & gradum eorum, qui toto regno id temporis magiſtratus gerunt. Toties porrò recudi omninò neceſſe eſt, nam in tanta eorum multitudine, quotidianæ ſunt vices, nam alios mori, alios priuari, alios

Voluminibus quinque aut ſex continentur.

alios demitti ad inferiora munera, aliorum denique parentes diem ſuum obire contingit; ex quo poſtremo caſu fit, vt ad luctum triennem, domum neceſſariò, abdicato quolibet ex templò Magiſtratu, reuertantur, de quo infra ſuo loco: Et ad eorum qui deſunt loca ſupplenda, nunquam non in Regia Pequinenſi permulti fortunam præſtolantur. Ex hac tanta multitudine, ſolum eos Magiſtratus attingam, quos ad inſequentium librorum intelligentiam neceſſarios eſſe iudicabo. Militarem porro Senatum vniuerſum ſilentio inuoluam, ne præſcriptos inſtitutę breuitatis fines excedam.

Dicam primum de Curialibus, deinde de Prouincialibus officijs. Curialia ergo tribunalia primaria ſex numerantur. Primum Li pu vocant, pu enim Sinis idem eſt ac tribunal Li-pu Magiſtratuum tribunal. Id ſupra cætera tribunalia eminet, ex eo, quod eius interſit, omnes omninò totius regni Philoſophici ordinis Magiſtratus, qui potiores habentur, nominare. quæ nominatio prima ſcriptionum præſtantia, cuius iudicium eſt penes hoc tribunal, definitur. Et ab humilioribus omnes officijs initium ſumentes, ad vnum omnes, paulatim per præſcriptos legibus honorum gradus aſcendunt, ſi quidem in inferioribus virtutis ac iuſtitiæ ſpecimen dederint: contra ſi fecerint, vel ad humiliores Magiſtratus abijciuntur, vel omninò priuantur. Certum enim eſt, eum qui litterarum gradus obtinuit, ad ipſam vſque ſenectutem continuo aſcenſu ad ſumma quæque adſpirare, neque vnquam niſi ſua culpa reijci à regenda Republica. Porro ſi eum reijci omninò ex culpa contigerit, vna cum Magiſtratu ſpem quoque ad Rempublicam regendam redeundi deponit.

Officia Magiſtratuum ſex.

Primum Tribunal.

Alterum tribunal Hopu vocant, quod apud nos Ærarij aut quæſturæ nũcupatur. Huius intereſt regia vectigalia exigere, ſtipẽdia perſoluere, ſumptus publicos facere, aliaq; huiuſmodi.

Secundum Quæſturæ tribunal.

Tertium Lypu vocant, nos Rituum tribunal poſſumus ap-

Tertium Rituum tribunal.

pellare. ab hoc ſacrificia publica, fana, fanorumq; ſacerdotes, Regia coniugia, Ludi litterarij, examina, vt rite & ex ordine fiant, publicè feſtiui dies, gratulationes certis temporibus & euentis communes, Regi exhibendæ, tituli benemeritis deferendi, Medici, Mathematicorum Collegia, Legationes excipiendæ, remittendæ, earum ritus, munera, litteræque curantur. Indignum enim Rex arbitratur ſua maieſtate, per ſeipſum litteras cuipiam ſcribere, vel intra vel extra regni fines.

Quartum Militare Tribunal.

Quartum tribunal Pimpu, id eſt, militare vocant. Huic omnes militares præfecturæ ſubſunt; nam & auferuntur ignauis, & ſtrenuis conferuntur, & pro facinorum magnitudine, dignitatis ab eo datur incrementum. Huius etiam intereſt, rei militaris examina curare, gradusq; conferre.

Quintum Aedificiorum tribunal.

Quintum Cumpu vocant, nos ædificiorum publicorum tribunal poſſumus appellare. Huius munus eſt huiuſmodi moles delineare, palatia ſcilicet, vel Regis, vel Regiorum propinquorum, aut Magiſtratuum; nauigia quoque confici curat, quæ in vſus publicos, aut claſſes neceſſaria ſunt; pontes item, Vrbiumq; muros facit ac reficit, omnem deniq; alium curat apparatum.

Sextum Criminum tribunal.

Sextum porrò, quod à repetendis criminum pœnis Himpu vocant, de criminibus inquirit ac iudicat. Publicæ quoque toto regno Cuſtodiæ huic tribunali ſubduntur.

Omnia totius regni negotia ab his tribunalibus pendent; quapropter in vnaquaque prouincia, & ciuitate ſibi ſubiectos habent Magiſtratus atq; Notarios, à quibus de ſingulis, magna fide admonentur; atque ita non parum tanta negotiorum mole diſtinentur; ſed multitudo, Collegiorumq; illorum ordo leuius hoc onus facit. Nam inprimis vnus eſt totius tribunalis præſes, quem Ciam ciu vocant; is aſſeſſores habet duos, à dextris alterum, alterum à ſiniſtris; hi Cilam appellantur: horum

Tribunalis cuiuslibet vnus præſes.

trium

trium dignitas in Vrbe regia, regnoq; vniuerſo inter ſupremas numeratur. Secundum hos tribunal quodlibet in varia eius officia diſtribuitur; quibus ſingulis plures præſunt Collegæ. his accedũt Notarij, Curiales, apparitores, alijq; famuli cõplures.

Præter hæc tribunalia, aliud eſt toto regno & aula maximum, Colaos vocant, ij ferè ſunt tres quatuorúe, nonunnquã ſex; qui nihil peculiatiter ſibi cõmiſſum habent, ſed Reipublicæ inuigilant vniuerſæ, & in omni negotio Regi ſunt à ſecretis. Hi quotidie in Regium palatium admittuntur; & cum Rex hodie definiendis publicè regni negotijs (quæ olim ipſe cum his Colais definiebat) non interſit, in palatio totos dies hærent; & libellis, ad Regem magno quotidie numero miſſis, pro arbitratu reſpondent. Cum hoc reſponſo ad Regem redeunt, à quo pro nutu approbantur, antiquãturúe, aut immutantur quod vltimum reſponſum Rex ſua manu libellis adſcribit, vt deinde quod iuſſerit, executioni mandetur.

Præter hos quos dixi Magiſtratuum ordines, alioſq; complures, quos attingere non libet, ideò quod à noſtratibus vix diſcrepent, alij duo ſunt ordines, noſtris ferè inauditi. Prior Choli, poſterior Zauli dicitur: in ſingulis ordinibus ſupra ſexaginta numerantur, ſelecti omnes Philoſophi, Viri cordati ac prudentes, qui iam Regi ac regno fidem ſuam prius egregiè probarunt. Hi duo ordines Curialibus & Prouincialibus ab Rege magni ponderis negotijs extraordinẽ adhibentur, cum magna ſemper ac regia poteſtate, quæ venerationẽ illis auctoritatemq; conciliat: ſed præ reliquis peculiare illorum munus eſt, quale apud nos Syndicorum. quod in eo verſatur, vt libellis, quoties voluerint, Regem admoneant, ſicubi contra leges in vniuerſo regno peccatur: qua in re non ſolum Magiſtratibus minimè parcunt, etiamſi ſupremi fuerint, ſed ne cũ ipſo quidem Rege, aut regia domo diſſimulant; hoc mihi munus non multũ à Lacedęmonijs Ephoris diſcrepare videretur,

Magiſtratus extraordinarius.

 ſi plus

ſi plus aliquid poſſent hi monitores quàm loqui, aut potius ſcribere, & ſi non à Regis admoniti nutu depēdere cogerentur. Verùm hoc ſuo munere ita exactè funguntur, vt externis gentibus ſtupori eſſe poſſint & exemplo. Nullis enim ullo unquam tempore Magiſtratibus, imò nec ipſi Regi (tanta eorum eſt libertas & integritas) parcunt. Et quanquam non rarò ſtomachari Regem, & in eos atrociter etiam ſæuire contingat (plerumque enim vbi acrior eſt doloris ſenſus, libellorum ſuorum aculeum figunt, Magiſtratuum maximorum ac Regis nullo delectu vitia carpentes) nunquā tamen à monendo carpendoq; deſiſtunt, quamdiu malo communi remedium opportunum minimè adhibetur.

Hoc ipſum etiam reliquis Magiſtratibus per leges licet, nec Magiſtratibus ſolum, ſed priuato etiam cuique: illorum tamen quos ſupra commemoraui, libelli pluris fiunt, quoniam ex officio peculiari illud præſtant. Libellorum ad Regem transmiſſorum exemplaria, regiaq; reſponſa à compluribus excuduntur. Hinc fit vt quàm celerrimè per omnes regni angulos aulica negotia peruagētur. Nec deſunt, qui hos deinde libellos in libros compingant: & ſi quid poſteritatis memoria dignum detur, in regni annales transſcribitur.

Paucis abhinc annis cum vellet Rex, qui nunc imperat, natu ſecundum, ſibi & Reginæ chariſſimum filium, excluſo primogenito, contra leges in Principem inaugurari, tantus libellorum numerus conſcriptus fuit, quibus factum Regis reprehendebatur, vt furore incitatus Rex, ſupra centum vel officijs priuârit, vel humilioribus addixerit. Nec tamen hoc metu territi ſibi temperarunt, ſed die quadam omnes, qui tum aderant, Magiſtratus in vnum conſpirantes, ſeſe in Regium palatium contulere, & munerum ſuorum inſignia deponentes, miſerunt, qui Regem moneret, ſi in hoc negotio contra leges inſtare pergeret, ſe omni impoſterum Magiſtratu ſeſe abdi-

abdicare, priuatosq; domum repetere; ipſe regnũ ſuum quibus vellet cõmendaret. quo audito Rex ab ea re vel inuitꝰ abſtinuit.

Nuper etiam cum Colaorum maximus, minus legitimè ſuo munere fungeretur, intra bimeſtre centum ferè libellis ab his Regijs monitoribus eſt accuſatus, tametſi non neſcirent eum Regi gratioſum in paucis: nec diu poſt extinctus eſt, & quidem (ut fama eſt) præ doloris magnitudine.

Præter hos in aula Magiſtratus, ſunt etiam ibidem non pauca Collegia in varios fines inſtituta, ſed omnium nobiliſſimum eſt, quod Han lin yuen appellatur; in illud nonniſi ſelecti Doctores inductis ſupra examinibus, adſciſcuntur. Qui in regio illo Collegio verſantur, nihil omninò publici muneris attingũt, & eos, qui Rempublicam regunt, ſuperant dignitate. Vnde magno ſtudio ad illud Collegium adſpiratur. Horum munus eſt ſcriptiones regias componere, regni annales concinnare, leges ac ſtatuta ſcribere. Ex his Regum ac Principum Magiſtri eliguntur. Toti ſtudijs incumbunt, & in ipſo Collegio ſuos habent honorum gradus, quos ſcriptione conſequuntur. Inde ad grauiſſimas dignitates, non tamen extra curiam, aſſumuntur. Nemo ad Colai grauiſſimum munus eligitur, niſi ex hoc Collegio. Magnum etiam quæſtum faciunt ſcriptionibus in amicorum gratiam condendis, huiuſmodi ſunt epitaphia, inſcriptiones, ac ſimilia, quę omnes ab ijs certatim impetrare geſtiunt; quæq; hoc ſolo nomine, quia ab illis proficiſcuntur, elegantiſſima habentur. Examinibus demum Licentiatorum & Doctorum, (à quibus pro Magiſtris habentur, & muneribus donantur) præſides ſunt & arbitri.

Collegia varia

Doctores Collegij Regij.

Hi omnes Pequinenſis aulæ Magiſtratus, exceptis Colais, Nanquini quoque reperiuntur, ſed inferiores omninò ex Regis abſentia. Huius rei cauſam hanc fuiſſe ſcribunt. Humvus regni ſedem Nanquini fixerat: Eo mortuo, è nepotibus eius vnus Yunlo dictus, qui in borealibus prouincijs cum exercitu

Nanquinum olim ſedes regia, nunc Pequinum.

 regni

regni fines à Tartaris recens pulſis cum Reguli dignitate tuebatur; is inquam, cum aduerteret Humvui primogenitum regni hæredem, parum induſtrium ac ſtrenuum, ſtatuit illi regnum eripere, ſibi comparare. Cum itaq; Boreales prouincias ſibi facile adiunxiſſet, Nanquinum venit cum exercitu, & quà vi, quà dolo, largitionibusq; reliquas ſibi prouincias aggregauit, & patruum Nanquino expulit. quo facto vnierſum ſibi regnum, nullo renitente, ſubiecit. Et quoniam in aquilonaribus prouincijs plus habebat virium ac fidei, & Tartaros inde ad recuperandam regni tyrannidem credibile erat erupturos, ijs in partibus confidere ſtatuit; & quidem ea in Vrbe, in qua Reges Tartari, cum Sinis imperitabant, morabantur. Eam Vrbem ipſe Pequim, id eſt, Borealem Curiã, ad ſimilitudinem auſtralis, quæ dicitur Nan quim nominauit. Eam mutationem vti moderatius ferrent Nanquinenſes, eoſdem ijs Magiſtratus ac immunitates, quibus prius fruebantur, reliquit.

Adminiſtratio Prouinciarum & Vrbium. Venio nunc ad publicam in prouincijs adminiſtrationem. Vrbes quæ curialibus prouincijs, Pequinenſi ac Nanquinenſi ſunt attributæ, eodem, quo cæteræ prouinciarũ reliquarum Vrbes, ordine gubernantur; ſed tamen appellationes ad ſuam cuiusq; curiam diriguntur. Cæterarum tredecim prouinciarum regimẽ pendet à Magiſtratu quodam, quem Pucinſu, & ab altero, quẽ Naganzaſu vocant; prior de cauſis ciuilibus, poſterior de criminibus iudicat: horũ ſedes eſt in Prouinciæ Metropoli cum maximo apparatu. In vtroq; porro tribunali varij ſunt collegæ, & ipſi quoq; Principes Magiſtratus, qui Tauli appellãtur; hos ſæpè contingit extra metropolim morari, ideò quod aliquot Vrbibus pręſint, eosq; deceat non procul à commiſſo ſibi munere abeſſe.

Prouinciæ in varias regiones diſtributę. Prouinciæ omnes, vt ſupra dixi, in varias regiones diſtributæ ſunt, quas ipſi Fu appellãt; regionis cuiusq; proprius eſt gubernator,

bernator, quem Ciſu vocant. Regiones porro iterum in Ceu & Hien ſubdiuiſę, ac ſi dicas, oppida nobiliora & vulgaria; nec ea minora noſtratibus Vrbibus non maximis. Singulæ ſuum quoque habent Præfectum illum Ciceu. hunc Cihien vocãt; Ci enim apud Sinas gubernare innuit. Hi omnium Vrbium ac regionum præfecti, ſuos habent collegas, ac velut aſſeſſores, numero quatuor, qui eos, velut auditores, ac iudices, in cognoſcendis ditionis ſuæ cauſis adiuuant.

Verùm hîc breuiter notandum arbitror, confutandumq́; errorem, qui in aliquos ſcriptores irrepſit. Nam ex eo, quod Gubernator, eiusq; curia nomen accipiant ab Vrbis, in qua reſidẽt, nomine; verbi gratia in Vrbe Nanciam, ipſa regio tota, eiusq́; gubernator, & curia eodẽ nomine appellentur Nanciamfu; arbitrati ſunt hinc aliqui, has apud Sinas ſolas Vrbes eſſe, quæ fu appellantur, reliquas Ceu & Hien oppida vel pagos haberi. quod omninò falſiſſimum eſſe, non è locorum dumtaxat amplitudine & frequentia colligitur, ſed ex ipſo etiam publicæ adminiſtrationis modo. Nam illa ipſa vrbs, in qua totius Regionis præfectus cõmoratur, nomen etiam Hien obtinet, & proprium habet gubernatorem, quem Cihien vocant; ſuos item, inſtar reliquarum, Collegas & aſſeſſores. Ipſe vero Regionis præfectus in hac ſua ſede nihilo plus habet auctoritatis, quàm in reliquis ditioni ſuæ attributis. Id autem ius eſt primę ad eum appellationis, cum cauſa ab Ciceu & Cihien iudicatę, ad eum velut ſuperiorem in prima appellatione remittuntur. Secunda enim appellatio eaq́; in grauioribus cauſis dumtaxat, ad Metropolis ſummos Magiſtratus Pucimſu & Naganzaſu, eorumque Collegas, pro ratione cauſæ remittuntur. Imo ipſæ quoque Metropoles ſuum habent Ciſu & Cihien, non minus quam eis ſubordinatæ regiones. Inter omnes verò iſtos Magiſtratus incredibilis eſt bene ordinatę Reipublicæ Symmetria.

Confutatur error circa Regionum ac vrbium appellationem.

Quoniam

Alij duo Magiſtratus alijs Magiſtratibus ſuperiores.

Quoniam verò omnis Reipublicæ adminiſtratio in prouincijs, in Regiam Pequinenſem eſt referenda, ideò in qualibet prouincia, præter hos Magiſtratus, alij ſunt duo, dictis ſuperiores, ex Vrbe regia transmiſſi: Eorum alter in Prouincia ſedem figit, & Tutam appellatur. Alter quotannis ab Vrbe Regia mittitur, & Ciayuen nominatur. Prioris auctoritas, quia magna eſt in Magiſtratus omnes ac ſubditos, & quia rei bellicę præeſt, & primaria Reipublicæ munera attingit, cum Proregibus noſtris poſſe videtur comparari. Poſterioris dignitas eſt velut commiſſarij ac Viſitatoris. Is tamen, quia ex Regis mandato totius prouinciæ cauſas reuidet, vrbes arceſq; viſitat, de Magiſtratibus omnibus inquirit, & aliquos etiam è non maximis plectit, & in ordinem redigit, de reliquis Regem monet, quo quiſque modo ſuo munere perfungatur: & quia vnus ex omnibus Magiſtratibus in prouincijs capitales pœnas exequitur, ideò eum omnes merito venerantur ac metuunt.

Præter hos Magiſtratus, alij quoque ſunt complures, qui varia in vrbibus, ac etiam pagis & oppidis munia exercent. Et præter hos complures militũ præfecti ac Duces, in toto regno, ſed maximè in locis maritimis & conterminis, vbiq; excubant, pro muris, portis, pontibus, arcibus, ac ſi omnia bello arderent, cum pax vbiq; ſit altiſſima; nam & ſuos delectus habent militumq; luſtra & palæſtras prope quotidianas.

Nouem ordines Magiſtratuũ totius Regni.

Stipendium Magiſtratus.

Omnes omnino totius regni Magiſtratus ad nouem ordines reducuntur, ſiue Philoſophicum ſpectes, ſiue militarem Senatum. Pro horum ordinum ratione ſtipendium ex ærario publico, cuiq; vel pecuniarium vel oriza ſingulis menſibus penditur. quod reuera exiguum eſt in tanta Magiſtratuũ maieſtate; neque enim vllius ſtipendium, vt è ſupremo fuerit ordine, ad mille aureos in annos ſingulos excreſcit. Et in hoc ſtipendio omnes qui eodẽ ordine cẽſentur, ſunt planè pares, ſiue ij ſint Philoſophici, ſiue militares; nam in re bellica ſupremus

ordo

ordo par accipit ſtipendium cum ſupremo litteratorum ordine. Id autem intelligas velim de ſtatuto cuiq; ordini per leges prouentu, nam quod extra ordinem lucris acquiritur, longè maius eſt, quàm quod ſtipendio perſoluitur. Nihil autem de alijs ago, quæ cuique ſua induſtria, cupiditas, fortuna, largitioque ratione dignitatis parit, nam his ad magnas opes ferè perueniunt.

Omnes quoque Magiſtratus, ſiue Philoſophici, ſiue Militares, infimi, uxta ac ſummi, eodem pileo inſigniuntur; is eſt è vel onigro, & vtrimque duas velut alas habet, ferè ſupra aures, ouatæ figuræ; eæ ita pileo adhærent, vt tamen facilè excidant: hoc aiunt modo ſe ad modeſtè rectaq; incedendum cogi, & à capite leuiter inflectendo prohiberi, quod ſi fecerint, Magiſtratuum violant maieſtatem. Idem eſt etiam veſtitus omnibus; eædem ocreæ, quarum eſt peculiaris figura & materia, è pelle nigra eleganti. Inſigne quoque Magiſtratuum omnium eſt cingulum quoddam ipſo corporis ambitu laxius, & quatuor plus minus digitos latum; id inſigni opere, quà circularibus figuris, quà quadratis, exornatur. In pectore quoque & à tergo duos quadratos pannos opere phrygio elegãter intextos aſſuunt: ſed in his quadrangulis, aut cingulis, magna eſt varietas, & pro varietate maieſtas. Ex his enim mox intelligitur à peritis, è quo ſint Senatu, Philoſophicóne an militari, & in eo quam quiſque obtineat dignitatem. Nam in pannis illis periſtromatum opere, quadrupedum, aut volucrum, ac florum etiam figuræ effictæ viduntur. Zonæ verò illæ Senatoriæ è materiæ dignitate, indicant maieſtatem. aliæ enim è tornatili ſtipite, è cornu aliæ, ex vnicornu quædam, vel è Calamba ligno inprimis odorifero, nonnullæ ex argento auróue, ſed omnium nobiliſſimæ è marmore quodam pellucido, cui Iaſpis nomen impoſuimus, ſed omninò Iaſpis non eſt, ac fortè Sapphiro marmori ſimilius, ipſi Yu ce vocant: ab Saracenis

Ornamentum pilei omnium Magiſtratuũ.

Veſtitus.

Inſigne Magiſtratuum cingulum.

Zonæ Senatoriæ.

autem ab occaſu, è regno Caſcar, negotiatoribus importatur, & ab Sinis habetur inprimis in pretio. ſed de eo erit infrà aliquis dicendi locus. Internoſcuntur etiam apud Sinas Magiſtratus ex vmbellis ad arcendum ſolem expanſis, quibus tecti ſolent in publicum prodire: alias enim è cæruleo colore habent, alias è flauo; alijs binæ geſtantur ad pompam, alijs ternæ, alijs non niſi vna vti licet. Diſtinguuntur etiam ex apparatu, quo in publicum prodeunt: nam infimi quique equitant, maximi geſtatoria ſella in baiulorum humeris vehuntur. ſed & in baiulorum numero eſt Maieſtas; alijs enim non niſi quaternis vti licet, alij etiam octo adhibere poſſunt. Sunt etiam alia permulta dignitatis ornamenta, magiſtratuumq; inſignia, vexilla, catenæ, thuribula, ſatellitium frequens, cuius clamoribus arcetur in vicis turba. & tanta eſt eorum veneratio, vt in vicis etiam frequentiſſimis nemo compareat, ſed ſecedant ad hos eiulatus omnes, idque pro Magiſtruum dignitate magis minusúe factitatur.

Vmbellæ variæ Magiſtratuum.

Magiſtratus diſtinctio ex apparatu publico.

Prius hoc de Reipublicæ Sinenſis adminiſtratione caput quàm claudam, operæ pretium facturus videor, ſi nonnulla ſingulatim commemorauero, in quibus ab Europæis Sinæ diſcrepant. Atque in primis illud admirabile videri poteſt: tametſi hoc regnum & limitum amplitudine, & gentis frequentia, & cōmeatuum copia, omniq; materia redundet, è qua nauigia cæteraq; omnia bellica armamenta conflantur, quibus auxilijs facilè vicina ſaltem regna ſibi aggregarent; neque Rex tamen, neque ſubditi de eo laborant, nec ijs in mentem venit: ſed ſuis contenti, aliena nec ambiunt quidem. qua in re mihi videntur longiſſimè ab Europæis gentibus diſſidere, quas ſæpè videmus proprijs regnis exturbatas, dum ad aliena aſpirant, quæ inexpleta dominandi libidine omnia deuorant, nec à maioribus accepta norunt conſeruare; quod Sinæ multis annorum millibus potuêre.

Memorabilia quædam quibus Sinæ ab Europæis diſcrepant.

Hinc ego quidem arbitror commento ſimillimum, quod ſcriptores noſtri non pauci de Sinis cõmemorant; eos ſub Imperij ſui exordia, non vicina ſolum ſibi regna ſubieciſſe, ſed etiam in Indiam vſque perueniſſe. Cum enim Sinarum annales à quater mille annis ad hæc tempora ſtudioſiſſimè euoluerim, ne veſtigium quidem tantæ rei reperio, nec vnquam eos audio hanc imperij latitudinem oſtentantes: quin potius cum hoc ipſum è nonnullis litteratis ſæpè quæſierim, in eo conſpirant omnes, id nec vnquam fuiſſe, nec eſſe potuiſſe. Error quorundam ſcriptorũ

Hic error ſcriptorum (vt eorum authoritatem tueamur) inde potuit irrepere, quod nonnulla Sinicæ gentis in exteris locis veſtigia reperiantur, ad quæ eos ſua voluntate, non Regis authoritate nauigaſſe, credibile eſt, vt hodie in Philippinis inſulis eſt cernere. Error excuſatur.

Alterum quoque notatu digniſſimum, vniuerſum regnum, vt ſuprà dixi, à ſuis Philoſophis adminiſtrari, & in ijs merum miſtumq; imperium reperiri. Hos, milites ac Duces omnes magna animi demiſſione ac ritu ſingulari venerãtur, eisq; ſubijciũtur: & non rarò contingit illos ab his non ſecus vapulare, quã apud nos pueri à Ludimagiſtro. Ab his etiã Philoſophis, omnia quæ ad rem bellicam, cui interſunt & præſunt, gubernantur, eorumq; conſilia ac ſententiæ plus auctoritatis apud Regem habent, quam cæterorum rei militaris præfectorum, quos nonniſi paucos, & rarò in bellicas conſultationes admittere mos eſt. Hinc fit, vt ex ijs qui altos ſpiritus alunt, nemo ad res bellicas animum adiungat, & ad infimas potius Philoſophici ſenatus dignitates aſpiret, quàm ad maximos in re bellica Magiſtratus: vident enim Philoſophos quæſtu, & hominum opinione, & veneratione longo præire interuallo. Sed quod in hac re admirabilius exteris videbitur, eſt, Philoſophorũ poteſtas ac authoritas.

Philo-

Philoſophorũ amor in patriã & Regem.

Philoſophos illos nobilitate animi, in Regem ac Rempublicam fide, periculorum ac mortis in patriæ cauſa contemptu, palmam ſine dubio de illis ferre, qui rem bellicam ex proprio inſtituto profitentur. Id inde fortaſſe habet originem, quod ſtudijs litterarum hominis animus nobilitetur, aut ideò quod jam inde ab ipſis huius regni primordijs litteræ manſuetiores pluris ſemper fuerint, quàm profeſſio militaris, apud gentem minimè cupidam imperij proferendi.

Magiſtratuum Superiorum Symmetria.

Non minus admiranda eſt Magiſtratuum inter ſe ſuperiorum ac inferiorum ſymmetria; ſiue Prouincialium cum Curialibus, & horum cum ipſo Rege; quam ipſi nõ ſolo ad amuſſim parendi ſtudio, ſed externo quoque cultu profitentur. Viſitationes enim certis temporibus in morem inductas, ac donariorum officia nunquam intermittunt. Inferiores quoque cum ſuperioribus ſiue pro tribunali, ſiue alibi, vix niſi flexo poplite colloquuntur, verbisq; eos compellant honorificis. Idem præſtant ſubditi Vrbium præfectis ac Præſidib⁹; tametſi conſtet, eos ante adeptum litterarij muneris gradum, initosque Magiſtratus, ex infima plebe eſſe progenitos.

Dignitatum mutatio.

Nemo etiam vltra triennium dignitatem vllam gerit, niſi denuo ab Rege confirmetur, ſed ferè ad maiorem euehitur, verum non in eodem loco; quod ideò fit, ne quis amicitias facilè contrahat, & à iuſtitiæ rigore auertatur, aut prouinciæ alicuius animos admodum ſibi conciliet, potiſſimum ſi ſummas geſſerit dignitates; cuius fauore fretus, res nouas moliatur, quod ſuperioribus ſæculis contigiſſe commemorant. Primaria quoque Prouinciarum, Regionum, ac Vrbium Capita, quæ ſupra nominaui, Pu cinſu, Naganzaſu, Cifu, Ciceu, Cihien, & ſimiles Magiſtratus oportet tertio quoque anno ſimul omnes in Regia Pequinenſi aſſiſtere, Regique ſolemnis clientelæ officia deferre. Eoque ipſo tempore de Magiſtratibus toto regno per prouincias ſparſis inquiritur; ſiue ij ſint, qui

adeſſe

adeſſe coguntur, ſiue cæteri; idque ſummo rigore. Ex hoc examine deinde ſtatuitur, qui in Republica conſeruandi, qui amouendi, qui euehendi, qui deturbandi, qui etiam plectendi, nullo habito ad perſonas reſpectu. A me quoque obſeruatum eſt, ne Regem quidem ipſum, audere quicquam ex ijs immutare, quæ in hac publica diſquiſitione à nominatis iudicibus ſunt conſtituta. Qui porrò plectuntur, nec infimi ſunt, nec pauci. Anno quidem noſtræ ſalutis 1607. in quem incidebat huiuſmodi diſquiſitio, quater mille Magiſtratus legimus condemnatos. Eorum enim ſeries in vnum volumen refertur, quod excuſum toto regno publicatur.

E Magiſtratu condemnati.

Damnati porrò ad quinque claſſes rediguntur. Prima cupidos continet, qui largitionibus iura vendidere, qui è publico cenſu vel hominum priuatorum fortunis, quicquam ſibi vſurparunt: hi ab officijs excluduntur, & omnibus Magiſtratuum inſignibus & imunitatibus in perpetuum exuuntur. In ſecundam claſſem conijciuntur ij, qui atrocius ab reis ſupplicia exegerunt: hi quoque ſuis dignitatibus, eorumque inſignibus aut priuilegijs exuti, domum priuati remittuntur. Tertia claſſis numerat Seniores & Valetudinarios, Remiſſiores etiam in pœnis exigendis, aut munere ſuo peragendo: his vſus inſignium & immunitatum, licet priuatis, per totam vitam permittitur. In quarta claſſe cenſentur præcipites, & parum conſiderati in ſententijs ferendis, quibusq; in publicorum munerum adminiſtratione ratio conſiliumq; defuerunt: hi ad humiliora munia deſtinantur, aut in ea loca remittuntur, vbi facilior eſſe Reipublicæ adminiſtratio iudicatur. Vltima claſſe compræhenduntur ij, qui ſe, aut ſuos, vniuerſamque familiam minus cautè regunt; & indignã Magiſtratu viuendi rationẽ ducunt; hi & officijs & immunitatibus in perpetuum priuantur. Eadem de Curialibus quoque Magiſtratibus, ſed quinto ſolum quoque anno, inſtituitur inquiſitio. Quæ ratio

Magiſtratus damnati ad quinque claſſes rediguntur

quoque cum rei bellicæ Præfectis eodem tempore ac ordine, nec diſſimili auſteritate obſeruatur.

Natus in Prouincia ad Magiſtratum aditum nullum habet.

Nemo in vniuerſo regno, ea in prouincia, in qua natus eſt, Magiſtratum gerit, niſi fuerit præfectura Militaris. Id ideo fit, ne priores, qui ius adminiſtrant, ſanguini & amicitiæ ſuccumbant; poſteriores verò ut amore patriæ incitati, fortiùs eã tueãtur. Domino Magiſtratum gerente, filiorum aut domeſticorum famulorũ nemo domo egreditur, ne largitiones procuret; ſed obſequium quodlibet externum, à famulis Magiſtratui publicè attributis, præſtatur: ipſe verò domo egreſſus, ſigillo fores munit, ſiue priuatas, ſiue publicas, in quibus iudicia exercentur; ne cui è domeſticis, ſe inſcio, exitus pateat.

Domeſticis è domo exire non licet.

Aduenis nullus in regnum ingreſſus conceditur.

Aduenam etiam nullum intra regni fines viuere ſinunt, qui reditum in patriam meditetur, aut qui cum externis regnis quicquam cõmercij habere intelligatur. Quin etiam nulli omninò aduenæ in regni interiora permittũt aditum. cuius rei tametſi nullam legem viderim, qua id interdicatur, à multis tamen ſæculis conſuetudinem hanc, metu quodam ſeu horrore erga exteras gentes, irrepſiſſe animaduerto. Id autem non de aduenis illis ſolùm intelligi velim, quos lõga terræ mariſúe ſpatia Sinis ignotos reddiderint, aut de ijs, quibuscum inimicitias exercent, ſed de amicis etiam ſuoq; regno vectigalibus: quales ſunt Coriæ contermini, & ferè Sinarum legibus vtentes. talem ego nullum hactenus in hoc regno vidi, præter mancipia quædam, quæ belli Dux, neſcio quis, inde ſecũ adduxerat, poſtquã annos eo in regno plures reſediſſet. Porro ſi quis externus clam in Sinarum regnum penetrarit, eum neq; ſeruitute, neque morte plectunt; ſed reditũ ei in patriam interdicunt, ne fortè apud ſuos res nouas in Sinenſis regni perniciem moliatur. Hinc ſeueriſſimis pœnis animaduertunt in eos, qui cum externis abſq; Regis voluntate quicq̃ cõmercij habẽt. Et ſi neceſſitas poſtulat aliquẽ extra regni fines cũ mandatis

Aduenis reditum in patriã intergicunt.

datis mitti, nemo ferè eſt, qui adduci poſſit. Proficiſcentẽ vniuerſa familia, quaſi ad mortem raptum, deplorat: redeuntem verò Magiſtratus aliquo dignitatis munere in præmiũ afficit.

Arma nemo geſtat in Vrbibus, ne ipſi quidẽ milites aut rei militaris Duces ac præfecti, nec etiam litterati; niſi cum ad delectus, aut palæſtras ſuas, aut in prælia prodeunt: aliqui tamen nobiliores Magiſtratus cum armis comitantur. ſed neq; domi ſuæ quisq̃ arma habet, niſi fortè ferrugineã aliquã ſicam, qua nonnunquã in itinerib⁹ vtuntur contra latrocinia. vſque adeò armatos horrent & fugiunt. Inde nullæ apud eos factiones aut rixæ, niſi quæ vnguiũ impreſſione aut capillitij laceratione dirimuntur: nulla iniurias plagis aut morte rependendi libido eſt; ſed qui alterum fugit, & ab iniuria inferenda abſtinet, is à prudentiæ fortitudinisq; laude commendatur. Arma nec foris geſtant, nec domi habent.

Extincto Rege (ne factiones exoriãtur) nulli, excepto regni hęrede, alij filio aut ꝓpinquo Regis licet in vrbe regia cõmorari: quin imò Capitale eſt, per varias vrbes diuiſis, pedem efferre. Ortæ inter illos lites ab vno è nobiliſſimis inter ipſos dirimuntur; à quo etiã gubernãtur. Sed ſi quid eis negotij cũ alio, qui Regis propinquus nõ ſit, ortũ fuerit, Magiſtratuũ publicorum tribunalibus & pœnis, vt quiuis è plebe, ſubijciuntur. Lex poſt obitum Regis.

De Sinarum ritibus non nullis.

CAPVT SEPTIMVM.

ANtiquum ſibi Sinarum regnũ cognomen indidit ab vrbanitate ritibusq; politioribus: quin etiam Vrbanitas numeratur vna è quinq; virtutibus, quæ aqud eos velut cardines cæterarũ prædicantur; quarũ officia ſuis voluminib⁹ fusè cõmendant. Huius virtutis munus eſſe aiũt in mutua veneratione, & in negotijs pertractandis circũſpectione. In his verò vrbanitatis ritib⁹ ita multi ſunt, vt totũ ferè tẽpus in ijs conterant, & qui plus aliquantũ ſapiũt, doleãt, ſe nõ poſſe ab hoc externo fucatoq; ſplẽdore, quo etiã Europæos lõgo poſt ſe interuallo relinquũt, ſe expedire. Vrbanitatis obſeruantiſſimi Sinenſes.

Dicam

Dicam igitur primùm, quo ritu ſalutationis officia venerationisq; ſigna mutuò exhibeant; deinde de alijs vrbanitatis ritibus, maximè ſicubi à noſtris diſcreparint. Nihil apud Sinas Vrbanitatis, aut cultus habet, caput aperire; ſed neque motu pedum, & longè minus amplexu, aut manus oſculo, vel cuiuslibet alterius rei, quam offerunt, venerationem profitentur. Maximè vulgaris inter eos vrbanitatis ritus hoc modo peragitur. In ſuperioris togæ manicas, quas geſtant laxiſſimas, collectæ manus (quod Sinæ faciunt, niſi quid operis tractent, aut flabello ventum concilient) ambæ vniuntur, & vnà cum manicis primùm in altum modeſtè eriguntur, inde deprimuntur, altero ex aduerſo alterius conſiſtente, & hanc ſyllabam geminante, zin, zin; cuius vocis ſignificatio nulla eſt, niſi vrbanitatis ritus; & Vrbanitatis interiectio noſtro more poſſet appellari.

Salutantium ritus.

Cum alter ab altero officioſè viſitatur, & etiam ſæpè cum per vicos amici amicis obuij ſunt, manibus intra manicas, vt ſupra vnitis, totum corpus inflectentes, caput quantum licet ad ſolum vſque demittunt; quod venerationis officium, ab vtroque, vel etiam ſimul à pluribus eodem tempore exhibetur; hunc ipſi ritum zo ye vocant; In hoc exhibendo ſuperiorem inferior gradu, vel viſitantem viſitatus ſemper ad dextram locat (in borealibus verò prouincijs læua dextræ locum occupat) ſæpenumerò etiam cum expleto ritu hoc, in pedes eriguntur, vices permutant, & è ſiniſtra in dextram, & viciſſim tranſeunt; quod ideo fit, vt qui honoratiore loco exceptus fuit, honorem alteri rependat. Hoc vrbanitatis officium, cum per vicos exhibetur, vterque, alter alteri ad latus, ad ſeptemtrionem vertitur; domi verò ad aulæ caput, ex aduerſo januæ; ſed & tum ferè ad eandem cæli partem reſpiciunt. In more enim eſt apud illos antiquo, Palatia, fana, cæteraq; ædificia benè conſtituta, aut ſaltem in priuatis ædibus aulas, ex-

Se mutuò viſitantium ritus.

cipiendis hoſpitibus deputatas, limen ad auſtrum habere, & eos, qui ex aduerſo Ianuæ conſident, ad auſtrum conuerti. Vnde quoniam hi ritus in prima aula iuxta limen exhibentur, vultu ad aulæ caput conuerſo, ſeptemtrionem ſpectant.

Si quando maius aliquod venerationis officium placet exhibere, aut quia ſeſe tum primùm ſalutant, aut quia diutius abfuere, vel ſi alter alteri quippiam gratulatur, aut grates agit, ſiue cum ſolemnior aliquis dies incidit, aut alia qualibet ex cauſa; tum poſt exhibitam eam, quæ ſupra commemorata eſt, inclinationem, vterq; in genua prouoluitur, & frontem ad ſolum vſque demittit. tum in pedes erecti, iterum inclinantur, & genuflectunt, vt ſupra, idque tertiò & quartò. Sed cum hic ſuperiori, parenti, Magiſtro, aut alij Viro Principi ritus exhibetur, is ad aulæ caput ſtans, aut etiam ſedens, honorem excipit, & ſolùm ad ſingulas alterius inclinationes ac genuflexiones, manibus vnitis, vt ſupra, nonnihil inclinatur, eo ipſo in loco, in quo ſtat aut ſedet. Et ſæpè qui modeſtius hunc honorem excipit, non in aulæ capite ad ſeptemtrionem, ſed ad latus, ad ortum ſcilicet, conſiſtit. Hoc eodem cultu ipſi ſua ſimulacra, vel domi vel in templis, coram ara venerantur. Famuli verò cum Heros ſuos, aut infima plebs honoratiores, ſalutāt, primo cultu in genua proruunt, & ter fronte ſolum leuiter quatiunt; quem eundem ſæpè ritum ſimulacris ſuis exhibent: porro ſi cum ijs herus colloquatur, ad eius latus adſtant, & ad ſingula reſponſa, in genua prouoluuntur. id alij quoque è vulgo faciunt, cum magnates conueniunt.

Alij ritus ſalutantium.

Famulorum ſalutationes.

Præter hos, quos dixi ritus, non admodum à noſtris alienos, alios inter loquendum ſcribendumq; vſurpant, in quibus à nobis non parum diſcrepant; & inde etiam non mediocris huius linguæ difficultas excreſcit. Cum enim alius alium compellat, nunquā ſecunda perſona vtuntur; ſed ſiue præſentem cōpellent, ſiue de abſente loquantur, varijs vtūtur loquēdi formulis:

Ritus compellandi ſe & alios.

cum de ſeipſis loquuntur, nulla ratione primæ perſonæ pronomine vti licet, niſi fortè hero, cum famulum alloquitur, aut alteri ſuperiori, cum alio infimo ſermonem miſcenti. Tot verò ſeipſum deprimendi formulas habent, quot alium extollendi: quas inter, pænè modeſtiſſima, ſeipſum compellandi, formula eſt; ſeipſum proprio nomine appellare, pro eo, quod nos pronomine Ego, vti ſolemus. Ac ſi fortè de Parentibus, fratribus, filijs, corpore etiam, ac membris, domo, patria, epiſtolis, ipſis etiam morbis alienis ſermo incidit, nomine vtuntur aliquo honoratiore: è contra ſi de ijsdem rebus proprijs agant, illas voces adhibent, quæ modeſtiam ſonant. quas omninò loquendi formulas neceſſe eſt familiares ſibi facere, non ideò ſolùm, ne inurbanus & ruſticus habeare, ſed etiam, vt id de quo agitur aut ſcribitur, aſſequare.

Propinquorū & familiarium ritus in viſitationibus.

Cum ſe mutuò propinqui & familiares officij cauſa interuiſunt, ad rependendum viſitationis officium adſtringunt viſitatos. In his porro viſitationibus hæc ferè ratio obſeruatur. Qui viſitat, ad ingreſſum, libellum profert, in quo nihil aliud legitur, præter viſitantis nomen cum modeſtis epithetis, pro ratione viſitantis aut viſitati: eum libellum ianitor ad Herum defert. porro ſi plures ab vno, vel vnus à pluribus viſitatur, ſemper pro numero viſitantium aut viſitatorum ſunt libelli. Hi ferè duodecim paginis è charta candida conſtant, & ſesquipalmum oblongi ſunt; in prima facie media, è papyro rubea, ad duorum digitorum latitudinem fragmentum affigitur libelli longitudine: & plerumque libellus hic chartaceo ſacculo, cum eodem rubeo additamento in externa facie, includitur. In his tanta eſt varietas, vt omninò neceſſe ſit, domi viginti ferè thecas paratas ad omnem vſum habere, cum varijs titulis; ita continuus eſt eorum vſus. quin etiam cogimur Ianitori commendare, vt in commentarium referat, hoſpitum nomina, ac domos eorum, qui

viſita-

viſitaturi aduenerunt; ne intra tertium diem, mutuæ viſitationis officium è memoria excidat: quem morem ab ijs omnibus obſeruari neceſſe eſt, qui frequentius viſitantur. Porro quemadmodum, ſi qui viſitantur, domo abfuerint, aut ad excipiendos hoſpites exire non potuerint, ij qui viſitant, libellum domi ad ianuam deponunt, velut teſtem impenſæ viſitationis, ita cum eam rependunt, ſufficit ad ianuam huiuſmodi libellum deponere. hac enim ratione ipſi ſibi ſatisfactum arbitrantur. Quo honoratior eſt qui viſitat, eo maiori charactere nomen ſuum per librarium adſcribit, & aliquando accidit, vt latum digitum excedat, & decem litteris verſum vnum à libello ſummo ad infimum expleat. Ea enim, vt dixi, ratione Sinæ ſuos characteres exſcribunt.

Cum ſibi mutuò munuſcula, quæ ſunt apud eos frequentiſſima, & non impari munere remuneranda, transmittunt, aut etiam deferunt, eodem quoque libello vtuntur; in quem præter proprium nomen, vt ſupra, referunt etiam ſeriem munerum, quæ transmittunt, ſingula ſingulis verſibus concinnè deſcribentes. Munera quæ mittuntur, abſque vlla inurbanitatis nota partem reijci poſſunt, aut remitti, nulla offerentis offenſione; quod cum fit, ſimili libello vel gratiæ referuntur, vel munera modeſtè remittuntur, vel ea, quæ accepta ſunt, adſcribuntur, aut ſeries eorum, quæ rependuntur, exprimitur; idque non ſine varia rituum, quos longum eſſet commemorare, vrbanitate. Eſt etiam apud nos inſolens, quod Sinæ ſolent pecuniaria munuſcula conferre; nam aureos ſæpè decem, alias quinque, nonnunquam etiam pauciores, ſuperiores inferioribus, & contra transmittunt.

Ritus in muneribus transmittendis.

Munuſcula pecuniaria.

Qui Magiſtratum aliquem gerunt, aut litterarijs gradibus honorũ ſunt inſignes, quoties hæc viſitationum officia peragunt, peculiari muneris ſui habitu induũtur, qui à quotidiano

Viſitationes Magiſtratuum & litteratorũ quo habitu fiant.

differt non parum. Qui his honorum titulis carent, & ſunt nihilominus Viri graues, proprium etiam habent ad viſitationes indumentum, illudq; à quotidiano diuerſum, nec ſine alterius offenſione aliter fieri poteſt. ea cauſa nos ipſi quoque, ne primariorum virorum congreſſibus arceamur, eo ipſo cultu, cum opus eſt, induimur. Quod ſi fortè alter in alterum caſu incidat, qui hoc vrbanitatis, vt vocant, habitu minimè ſit indutus, nullo modo ſalutationum officia ſolitis ritibus exhibent, donec alter eodem cultu induatur; atque ita quoties in publicum prodeunt, famulorum manibus vrbanitatis toga geſtatur: quod ſi id fieri non potuerit, tum qui hoc viſitationum paludamentum induerat, eo exuitur, & in quotidiana veſte ſalutatorios ritus explent, quos ſuprà commemorauimus.

A famulis vrbanitatis toga geſtatur.

Si plures fuerint qui domi viſitātur, inter eos ptimarius hoſpitis ſedem, aut ſedes ſingulas vtraq; manu accipit, & ſuo loco ſtatuit in honoratiſſimo aulæ ſitu, inde proprijs manibus eas excutit, tametſi nullus ſit in eo puluiſculus. Etſi ſedes iam in ſuo ſint ordine collocatæ, ſingulas tamen ambabus manibus contingere, & velut aptius collocare mos eſt. id deinde ſinguli, qui viſitantur, etiam pręſtant in eundem planè modum. Tum inter hoſpites, ſi plures fuerint, honoratior eius, quem viſitat, ſedem eodem modo accipit, & ex aduerſo ſedis ſuæ illam locat, & eodem modo puluerem aut excutit, aut excutere ſe fingit. Idem deinde cæteri faciunt, ſi plures fuerint, ætatis ordine, vel dignitatis. Quod dum fit, is cui hoc officium exhibetur, ad latus adſtat, manibus intra manicas receptis, & leuiter eleuatis, ac depreſſis, gratias agit, & exhibitum honorem modeſtè recuſat.

Ritus ſedium collocandarũ ad ſeſſionem.

Hoſpites inter ſe multum temporis terunt, circa Proëdriã ſeu principem honoris ſedẽ: ſed his tandem legibus ſtatur. Inter eos, qui ſunt ſibi mutuo ciues, ætatis ratio habetur. In vtraque aula dignitas potior eſt. Externi, maximè qui è locis remotio-

Vrbanitatis ritus circa Proëdriam.

motioribus aduenìunt, primum locum tenent. Vnde fit vt in omni ferè congreſſu noſtris prima ſedes hoc titulo aſſignetur; nec tergiuerſari, aut modeſtè recuſare quicquam contra receptam conſuetudinem nobis prodeſt.

Poſtquam cuncti conſedere, mox è domeſticis famulis vnus, isque politior, & talari indutus prodit, manibus elegantem geſtans tabulam, in qua tot ſunt ſcutellæ, quot hoſpites, in ijs ſcutellis eſt illa potio Cia, de qua ſupra, cui ſemper aliquod menſarum ſecundarum aut bellariorum fruſtulum immiſcetur, cui ſumendo argēteum cochlear exiguum adiungitur. famulus ab honoratiore initium ſumens, ſuam cuiq; ſcutellam porrigit ad herum vſque, quem reliqui viſitant: nam is ſemper in infimo loco ſedet. Si diutius conſederint, famulus in eundem modũ iterum ac tertiò & ſæpius etiam redit, ſed illud bellariorum fruſtulum toties variatur, quoties reditur. Ritus bellariorum porrigendorum.

Hoſpites, finito congreſſu, antequam ex aula egrediantur, iuxta limen, vt initio, ritu ſuo inclinationes repetunt: tum eos herus ad vſque domus limen inſequitur, vbi iterum inclinantur. tum rogat hoſpites herus, vti vel equum, vel geſtatoriam ſellam, qua venerant, conſcendere velint, quod ij facere recuſant, & herum domus rogant, vti ſe in domum recipiat: tum ille ad limen verſus, iterum inclinatur, & hoſpites ſimili ritu honorem rependunt. Denique iam limen ingreſſus, tertiò inclinatur, hoſpitesq; eodem ritu reſpondent. Tum herus domus in limine ſe hoſpitum oculis ſubtrahens, moram ijs concedit equitandi, aut in ſella conſidendi; & repentè egrediens abeuntes ſalutat, hanc vocem zin vſurpans, & ambas intra veſtem manus eleuans, ac deprimens: quod hoſpites ipſi ad amuſſim imitantur, & abire pergunt. Denique herus domus famulum mittit, qui abeuntium aſſequatur veſtigia & ſuo nomine ſalutet: Idem ipſi hoſpites faciunt, & per famulos ſuos reſalutant. Ritus abeuntium à congreſſu.

Conuiuia Sinarum.

Nunc de Sinarum conuiuijs agam, in quibus non minus ſunt officioſi, quàm frequentes, non pauci etiam ferè quotidiani. Omnia enim prope ſua negotia, non illa ſolum, quæ ad humanæ vitæ rationẽ, ſed quæ ad Religionem etiam ſpectant, epulantes tractant: & inter eximia beneuolentiæ argumenta ponunt conuiuia. Quæ ab ipſis non commeſſationes, ſed, Græcorum more, compotationes non immeritò vocantur: licet enim eorum ſcyphi ac pateræ non plus vini, quam nucis putamen, capiant, frequentiſſimè tamen hauſtus iterant.

Bacillis teretibus inter veſcẽdum vtuntur.

Potum adhibent feruentẽ.

Inter veſcendum nec fuſcinulas adhibent, nec cochlearia, nec cultros; ſed bacillis vtuntur teretibus, ſesquipalmum longis, quibus mira dexteritate quodlibet edulij genus ori admouent, digitis omnino nihil contrectantes. ſciendum tamen, omnia in menſas inferri fruſtatim diſciſſa, niſi ſi quid fuerit natura mollius, vt oua, piſces, aliaq; huiuſmodi, hæc enim ipſis bacillis diuiduntur. Potu vtuntur feruenti, etiam in ſummo æſtu; ſiue ille vinum ſit, ſiue decoctio Cia, ſiue aqua. Et ſanè videtur id ſtomacho prodeſſe non parum, nam & Sinæ ferè diuturnioris ſunt vitæ, & ad annum ſeptuageſimum, ac ſæpè octogeſimum viribus non admodum deſtituuntur. Hinc quoque euenire arbitror, quod Sinarum nemo calculari morbo laboret, qui noſtros Europæos ſæpè torquet, ex eo credo, quod perpetuò frigidam potent.

Calculo non laborant.

Ritus inuitandi ad epulum.

Cum quiſpiam ad ſolemne epulum inuitatur, pridie, vel etiam pluribus diebus ante conuiuij diem is, qui alterum inuitat, libellum mittit ex ijs, quos ſupra deſcripſimus; In eo, præter inuitantis nomen, vt ſuprà, ſollemni fotmulâ paucis verbis comprehensâ, eleganter & vrbanè ait, qui euocat, tenue ſe ex oleribus apparâſſe couiuium, & ſcyphos ſuos eluiſſe, vt dicto die, & hora (quæ ferè ſub noctem eſt) doctri-

nam eius, quem inuitat, audiat, & ab eo aliquid diſcat: inde rogat, vt ne hoc ſe fauore dedignetur. In externa facie libelli ad eius longitudinem additamentum è rubea charta affigunt, vt ſuprà, in eo honoratius inuitati nomen (nam Sinæ pluribus nominibus ſinguli compellantur, vt infrà) cum varijs pro eius, qui vocatur, dignitate titulis. Hic ſingulos inuitandi mos eſt. Ipſo die conuiuij ſimilem libellum matutinis horis mittunt ad ſingulos; ſed in eo ſolum rogantur, vti feſtinent, & præſtituto tempore adeſſe ne grauentur. Sub horam denique conuiuij tertium mittunt, quem ideo ſe mittere aiunt, vt venientes ex itinere excipiat.

Cum in conuiuij domum ventum eſt, ſolitis ſalutationum ritibus, vt ſuprà, expletis, in prima aula conſident, & ſuum illud Cia bibunt: inde ad conuiuij locum itur. Solet is ſplendidè adornari, non periſtromatis, quorum apud eos nullus eſt vſus, ſed picturis, floribus, vaſis, & huiuſmodi antiqua ſupellectile. Singulis ſua menſa aſſignatur cubitos aliquot longa lataque, ſed ferè longior; nonnunquam etiam vni duæ menſæ aſſignantur, altera ante alteram. hæ menſæ pretioſo aliquo panno dependente, vt ferè aræ noſtræ ſolent, exornantur omni ex parte. Ipſæ quoque ſedes pellucido illo ſuo bitumine non ſplendent ſolum, ſed etiam varijs picturis & auro condecorantur.

Locus conuiuij, eiusq; apparatus.

Ante accubationem epularem, Conuiuator vnam è pateris ex auro, argento, marmore illo, de quo ſuprà, vel conſimili materia elaboratam, vino plenam in ſuo diſco vtraque manu tenet, & eum, qui principẽ locum eſt habiturus, inclinatione profunda ſalutat. Inde ex aula in atriũ egreditur, & inclinatione prius exhibita, hanc vini paterã, vultu ad auſtrum cõuerſo, cæli Dño offerens, in ſolum effundit; & inclinatione repetita, in aulã redit, aliamq; paterã accipiens, eundẽ illũ cõuiuij

Ritus conuiuales.

Princi-

Principem, vna inclinatione ſalutat, eo in loco, in quo ſalutatorij ritus exhiberi ſolent, tum ſimul ad eam menſam in aulæ medio ſitam, in qua videlicet ſeſſurus eſt idem conuiuij princeps, accedunt. In medio latere, quo menſa longior eſt (is enim locus honoratiſſimus ab Sinis, non vt apud nos menſæ caput) pateram in ſuo diſco vtraque manu venerabundus locat, tum bacillos conuiuales à famulo accipit, & ad pateræ latus ponit. ij bacilli ex ebeno ferè, vel ebore conſtant, aliaúe materia duriore, quæ ſordes non facile contrahit; & ea ſaltem parte, qua fercula tanguntur, argento auroue celari ſolent. Inde ſedem accipit, & in media menſa locat, manicis, vt ſuprà, leuiter euerrens; tum in mediam aulam regreſſi ſimul denuo inclinantur. Eodem ritu conviuator ſingulos deinde hoſpites cohoneſtat: eum qui ſecundum locum occupat, ad ſiniſtrum latus, qui tertium, ad dexterum ſtatui mos eſt. Ad extremum, qui principem locum occupabit, à domeſtico famulo, inuitatoris pateram cum ſuo diſco accipit, & vinum infundi iubet, & vnà cum reliquis hoſpitibus, & conuiuatore, ſuo ritu inclinatur, pateramq; in eius menſa in diſco locat. Cõuiuatoris autem menſa in inferiore aulæ parte ita ſtatuitur, vt auſtrum, & aulæ ianuam, vbi conſederit, à tergo habeat, à fronte verò primariam menſam. Deinde bacillos ſedemq; diſponit eo ritu, quem ſibi inuitator exhibuit. Deniq; ſinguli ad pateram, bacillos, ſedemque denuo, velut aptius vtraque manu ſtatuendam, accedunt. quæ omnia dum fiunt, is cui honorarius ille ritus exhibetur, exhibenti ad latus adſtat, & manibus intra manicas receptis, leuiterq; concuſſis, honorem eum deprecatur, & modeſtè inclinatus, gratias agit.

Nec ante nec poſt cibũ ſumptum manus lauant.

Quoniam nihil edulij Sinæ manu tangunt, ideò nec ſub initium, nec ſub conuiuij finem, manus lauant. Expletis his ritibus, ſimul omnes poſtremam inuitatori inclinationem exhibent, & alteram hoſpites inter ſe, tum ad menſam ſuo quiſque

que

que loco aſſidet. Quoties bibitur, inuitator pateram in diſco vtraque manu capit, & eam leuiter erigens, ac mox deprimens, reliquos ad bibendum inuitat; eodem tempore ſinguli ad inuitatorem conuerſi, idem faciunt, & ſimul omnes bibere incipiunt, quod ſorbendo ita lentè faciunt, vt ad exhauriendam pateram non rarò quater quinquiesue eam ori admoueant. Eum potandi ritum, ſorbendo videlicet, ſemper obſeruant, etiamſi aquam biberint; & nihil vnquam continuatis hauſtibus more noſtro exhauriunt. Bibendi ritus & modus.

Prima patera exhauſta, paulatim fercula inferuntur. E quibus ſimul omnes (præeunte ſuo ritu inuitatore, bacillis vtraq; manu acceptis, ijsdemq; erectis depreſſisq;) quoties vnũ attingunt, vnum alterumúe ex eo fruſtulum carpunt, & ori admouent. In quo id obſeruatur ſtudiosè, ne quis prius in menſa bacillos reponat, quam is, qui primum in conuiuio locum obtinet, id fecerit; quod vbi fecit, mox miniſtri in ſingulorum pateram vinum calidũ infundunt, facto initio à conuiuij principe. tum eodem ritu iterum, ac deinde ſæpius editur ac bibitur, ſed in bibendo plus temporis, quàm in edendo conſumitur. Toto porro conuiuij tempore velde rebus lętioribus ſermo ingeritur, vel comædia ſpectatur, aut cantor aliquis muſiciúe inſtrumẽti pulſator auditur; Nam hi ſæpè etiam non vocati ſe conuiuio ingerunt, ſpe premij, quod ijs perſolui ſolet, euocati. Omnes ſimul fercula attingunt. Sermocinatio inter epulandum.

Omnibus ijs veſcuntur, quæ apud noſtrates in fercula adhibentur; nec ea malè condiunt; ſed de ſingulis ferculis parum infertur. in varietate ſtatuunt conuiuij maieſtatem; menſas enim opplent diſcis mediocribus, & alijs exiguis; nec piſces, vt nos, à carnibus ſeparant, ſed ſine diſcrimine permiſcent. nullum porro ferculum ſemel appoſitum toto conuiuio tollitur; itaq; menſas non opplent modo, ſed diſcos alijs alios ita ſuperponunt, vt caſtellorum ſpeciem referant. Panis nullus Ciborum apparatus & varietas.

Panis nullus apponitur.

in conuiuales menſas infertur, ſed neque oriza; quæ apud Sinas in panis noſtri vicem ſuccedit, niſi fortè in quibusdã epulis minus ſolemnibus ſub menſam extremam: ſi porrò infertur oriza, prius à vino abſtinetur; neque enim vinum ab Sinis bibitur, etiam in quotidiana refectione, ante orizæ ſumptionem. Varios etiam in conuiuia ludos ingerunt, in quibus qui perdidit, potare compellitur, magno cæterorum applauſu, feſtisq; clamoribus.

Vinum nõ bibitur ante orizæ ſumptionẽ.

Sub finem conuiuij, pateras permutant. quæ etſi ſingulis æquales apponantur, nunquam tamen ad bibendum ſupra vires quiſquam compellitur, ſed amicè tantum inuitatur. Sinenſe vinum ad inſtar ferè cereuiſiæ noſtratis decoquitur, nec admodum fumoſum eſt; ebrios tamen reddit ſtrenuos potatores; ſed leuius fertur die inſequenti. In edendo ſunt omnino moderatiores, & ſæpè accidit, vt quis ab Vrbe diſceſſurus, vno die ſeptem vel octo conuiuijs interſit, vt amicis omnibus ſatisfaciat: huiuſmodi verò non ſunt è celebrioribus; hæc enim totam noctem abſumunt, & in auroram inſequentem protrahuntur, ferculorum denique reliquiæ inter hoſpitum famulos liberaliter diuiduntur.

Poculis nunquã certatur.

In edẽdo moderati.

Quod ad cæteros ritus attinet, ij mihi nunc videntur eſſe præcipui, qui circa Regum venerationem verſantur. Rex pluribus externis officijs colitur, quàm alius quiuis in vniuerſo terrarum orbe princeps, ſiue is profanus, ſiue ſacer fuerit. Hunc nemo alloquitur, præter Eunuchos illos, qui in palatij penetralibus famulãtur, Regiosq; propinquos, qui intra eiuſdem palatij fines commorantur, quales ſunt filij ac filiæ. Omiſſo porro cultu omni, qui Regi ab Eunuchis præſtatur, velut minus neceſſario ad inſtitutum, omnes omnino extra palatium Magiſtratus (nam inter Eunuchos ſunt etiam ſui ordines & officiorum gradus) Regem non niſi libellis ſupplicibus conueniunt; ſed hi libelli tot venerationis formulas

Ritus circa Regum venerationem.

con-

continent, vt non niſi ab exercitatis componi poſſint, nec eos quilibet litteratus ſciat concinnare.

Anno quolibet ineunte (cuius initium eſt nouilunium illud, quod præcedit aut ſequitur proximè nonas februarias, vnde Sinæ Veris initium ſumunt) è ſingulis mittitur prouincijs legatus ad Regem officioſè viſitandum. quod idem ſolemniùs præſtatur in modum clientelaris obſequij tertio quoque anno, vt ſuprà commemoraui. Porro ſingulis in Vrbibus primo quoque lunæ renaſcentis die, Magiſtratus omnes, in vrbe ſua quiſq; in vnum locum conueniunt, in quo regius eſt thronus, regiaq; inſignia, cælati dracones, & inaurati, cum alijs ad elegantiam cælaturis; coram eo ſæpius inclinantur, & genua incuruant gentis ritu, & peculiari quadam compoſitione corporis, ad modeſtiam venerationéq; aptiſſima: quo tempore Regi vitæ annorũ decem millia ſucclamant. Idem quoq; cultus vbiq; Regi exhibetur eo die, qui primus eum naſcentem vidit, in ſingulos annos redeunte, quo die Pequinenſes Magiſtratus, & alij à prouincijs legati, nec non regij propinqui varijs titulis inſignes extra curiam eo adueniunt, Regi vitam gratulaturi, & gratulationem grauiſſimis muneribus teſtaturi.

Legati Regem ſalutatũ è Prouincijs mittũtur.

Thronum Regium venerantur.

Diem Regis Natalem venerantur.

Præter hos, quotquot à Rege nominati Magiſtratum ineunt, aut alio aliquo munere donantur, per leges ire iubentur, quod ante primã lucem fit, ad regium tribunal, gratiam habituri. Ibiq; præeuntibus ac monentibus rituum Præfectis, officia regio ſolio (Rex enim tunc non comparet) exhibent accuratè; nec impunè à quoquam vel leuiter erratur. quod cum faciunt, peculiari cultu è purpureo panno damaſceno, & tiaris in capite argenteis, ſed inauratis inſigniuntur. Vtraq; vero manu eburneam tabulam quatuor digitos latam, palmos duos longam geſtant, ea os tegunt, quoties quippiam coram Rege proloquuntur.

Regis habitus, cum ad tribunal prodibat.

Rex porro, cum olim in tribunal prodibat, è loco ſuperiore ad ingentem feneſtram comparebat, & manu eburneam quoque tabulam geſtabat, ad vultum contegendum, nec non & aliam in capite tabulam medio cubito latam, integro longam, ſupra regium diadema frontemq; , è qua tabula lapilli complures magniq; pretij ita in fila inducti dependēt, vt frontem ex omni parte ac faciem tegant, & intuentium oculis etiam præſentem ſubducant. Color regius cæteriſq; interdictus, flauus eſt, è quo veſtis eius contexta eſt varijs ex aureo filo draconibus. nec in veſte ſolum regia dracones, ſed in palatio vniuerſo, vaſiſq; aureis & argenteis, & reliqua ſupellectile, vel cælati, vel depicti viſuntur; quin ipſa etiam tecta & tegulæ flauum colorem, & dracones ſpectandos exhibent; quod anſam fortaſſe præbuit aliquibus aſſerendi, palatij regij tegulas eſſe aureas æreasúe: at reuera fictiles ſunt, vt ego meis manibus attrectaui, ſed flauo colore imbutę, & ſingulæ ſingulis clauis, trabalibus ferè, in tecto ipſo defixæ; ſunt enim noſtratibus haud paulo maiores: quorum clauorum caput eſt inauratum; ne quid appareat in regio palatio, quod regium colorem non præferat. Si quis eum colorem, aut dracones in proprios vſus adhiberet, perduellis haberetur; niſi fortè regio eſſet ſanguine prognatus.

Color Regis in veſtitu flauus.

Draconibus omnia nitent in palatio.

Palatij Regij portæ quatuor

Palatij regij portæ ſunt quatuor ad totidem mundi partes ex aduerſo diſtributæ. quotquot ex itinere has portas prętergrediuntur, ex equo deſcendunt, ſi equitent; aut è ſella, ſi ea geſtentur, ac pedites incedunt, donec eas fuerint prætergreſſi. id omnes faciunt, ſed maximus quisque accuratius, & è loco remotiore: & non Pequini ſolum, ſed in Nanquinenſi priſcorum Regum palatio religioſius, tametſi iam plures annos nullus Regum in id ſeſe receperit. Portæ ad auſtrum, ſiue externæ, ſiue internæ ſunt triplices, media regem ingredi vel egredi ſollemne eſt; reliqui dextra leuaque admittuntur:

Palatiū venerantur prætereuntes.

ideo

ideo media illa ianua nunquam, niſi egreſſuro vel ingreſſuro Rege, patet.

Nulla eſt apud Sinas alia temporum nota, ſiue in libris, qui lucem aſpiciunt, ſiue in alijs quibuslibet publicis inſtrumentis, niſi quæ ab eius, qui regnat, inauguratione deducitur, ſicut apud nos ab humanę ſalutis initio Chriſto naſcente fieri ſolemne eſt. Nonnunquam certis ex cauſis ſolet primariorum Magiſtratuum parentibus Rex titulum conferre ſcriptione quadam, Regis nomine à Regijs Philoſophis facta. eam rem Sinæ tanti faciunt, vt ſtupori ſit, nam & ad impetrandum nulli ſumptui parcunt, & vt rem ſacram, in familia conſeruant. Nec minori ſunt in pretio alij nonnulli tituli duobus tribusue characteribus expreſſi, quos viduis Rex confert, quæ ſecundas nuptias ad ſenectam vſque renuerunt, aut ſenibus, qui ſeculum integrum vitam protraxerunt, & alijs in caſibus huiuſmodi. Has inſcriptiones ſupra limen exponunt. Nec id ſolum Reges ſolent, ſed etiam Magiſtratus ipſos amicis præſtare mos eſt. Ipſis quoque Magiſtratibus de Republica benemeritis publico ſumptu arcus è marmore eriguntur, quales apud nos aſſolet in triumphis. Idem exhibent Vrbes ciui ſuo, qui inſignem aliquam dignitatem, aut in litterarijs examinibus primas obtinuerit, aut in euentis huiuſmodi magno apparatu.

Tempora Sinarũ ab inauguratione Regis deducũtur.

Titulum à Rege collatũ maximi faciunt.

Quicquid pretioſum aut affabre factum in vniuerſo regno habetur, quotannis ad Regem transmittitur Pequinum magno ſumptu & copia. Magiſtratus item qui in regia commorantur vrbe, minore in publicũ prodeunt apparatu. nã exceptis primatibus, cæteris equo, non ſella geſtatoria vehi licet. quibus autem ſella per leges licet, baiulorũ numerus ad quatuor reſtringitur. Extra curias haud paulo inferiorum Magiſtratuum ordines maiore in prouincijs apparatu prodire permittuntur. Eam Sinæ modeſtiam in regia veneratione reponunt,

Pretioſiora ad Regem mittũtur ex vniuerſo regno.

Sellæ geſtatoriæ.

nunt, & viciniori maiorem deferendam arbitrantur. Quater annis ſingulis, ſub quatuor anni tempeſtates, Curiales omnes Magiſtratus ad priſcorum Regum & Reginarum ſepulchra conueniunt, & ſuos ritus ac donaria deferunt: ſed primarius Humvuo regni recuperatori honor defertur. ad hunc ritum ſe aliquot diebus prius comparant, indicto iuſtitio & ieiunijs, quæ intra domeſticos parietes religioſè obſeruant.

Ritus Sepulchrales.

Secundùm Regem proxima venerationis officia ſuis Magiſtratibus impendunt. id maximè produnt ſolitis loquendi formulis, & officioſis viſitationibus; ad quas non admittuntur, nec adſpirant, niſi qui aliquod in Republica munus gerunt, aut alibi geſſere. ij enim in patriam reuerſi, etſi propria culpa officijs excidere, ſolemni tamen ſæpè Magiſtratuum cultu inſignes prodeunt: & vrbani eos Magiſtratus colunt, viſitationumq; officia rependunt; & eorum intuitu multa concedunt, præſertim qui primos in litterarijs gradibus, publiciſq; functionibus honores habuere.

Honor erga Magiſtratus.

Si qui Magiſtratus egregiè ſuo defuncti munere, deq; Reipub: bene meriti, ad aliud munus euehuntur, aut alia qualibet ex cauſa ex vrbe diſcedunt, magnis publicè muneribus afficiuntur, ocreaſq; ſuas, Magiſtratus inſigne, ad perpetuum beneficij monumentum rogati relinquunt, quæ publico ſcrinio incluſæ, vnà cum varijs in eius laudem verſibus ac ſcriptionibus aſſeruantur. Alijs, qui ſunt inſigniores, loco aliquo publico, marmor erigunt, in quo eorum in Rempublicam merita eleganti ſcriptione inſculpta, ad poſteritatis memoriam perſeuerant. Nec deſunt, quibus templa magno publicè ſumptu extruantur: ariſque ſtatuæ imponantur, ad eorum imaginem, quantum induſtria fert artificis, accedentes: tum cenſus annuus, & certi homines deputantur, qui perpetuos odores, & ſemper viuentes lucernas accendant.

Honor erga Magiſtratus benè meritos

Eam

Eam ad rem ingentia ex ære campano thuribula ſtatuuntur, ad eundem ritum, quo ipſi ſua idola venerantur. Sed hunc tamen cultum à Numinis latria norunt ſeparare: nam à Dijs multa petunt, his vrbanos tantum ritus in beneficiorum memoriam periti exhibent. nihil tamen dubium, quin è vulgo plures cultum vtrumq; permiſceant. Ad hæc templa (quorum plenæ ſunt omnes urbes, quæque ſæpè amicorum ſtudio indignis etiam eriguntur) certis temporibus itur, inclinationes & genuflexiones exhibentur, edulia offeruntur, aliaque huiuſmodi peraguntur.

Omnes Sinarum libri, qui de moribus agunt, toti ſunt in excitandis filijs ad parentum obſeruantiam, maiorumq; venerationem. Et ſanè ſi externam illam pietatis faciem intueamur, nulla gens alia toto terrarum orbe cum Sinis comparari poteſt, quod aliquibus indicijs comprobabo. Solemnem in aſſidendo maioribus, ritum obſeruant, vt nulla ratione in æquali ſitu, & longè minus ex aduerſo conſiſtant, ſed ad latus alterum; quem ritum etiam diſcipuli cum Magiſtris obſeruant. Magna etiam veneratione cum ijs colloquuntur. qui tenuioris fortunę ſunt, ad obitum uſque eos, etiam ſudore ſuo, quantũ licet, lautè copioſéque alunt. Sed in nullo ſunt religioſiores, quam dum ijs parentant, tam in lugubri veſte induenda (in qua etiam à cæteris nationibus diſcrepant) quàm id feretro quoque ac ſarcophago è materia pretioſiore concinnando: in apparatu ſepulturæ, quem veriùs pompam dixeris, pro facultatibus fortuniſq;, & ſæpè ſupra vires aſſurgunt.

Liberorum educatio.

Sepulturæ apparatus.

Lugubris Sinarum veſtis non pulla, ſed candida eſt. In luctu parentum filij cannabina veſte aſperrima induuntur, primis ſaltem menſibus; & ipſa forma talaris tunicæ, pilei, calceorum ſatis abſona, primoq; aſpectu miſerabilis: fune quoq; prope nautico renes cingunt, ad eum modũ, quo Patres è D.

Lugubris habitus.

Fran-

Franciſci familia ſolent. Inuiolabili conſuetudine receptum eſt, vt luctus Patris aut Matris, in trienniũ protrahatur. Cuius rei cauſam in ſuis libris reddunt hanc, ut ſuis parentibus, qui primo ætatis triennio eos vlnis geſtauerunt, tantoq; labore educarunt, vicem rependant. In cæterorum propinquorum luctu contractior eſt lugendi mora, prout quisque vicinior, aut remotior ſanguine cuique fuerit: aliàs enim annuo ſpatio aliàs trimeſtri terminatur.

Tẽpus luctui deſtinatum.

Funera Regia.

In Regis, aut Reginæ, quę quidem legitima eſt, funere legitimum lugendi tempus etiam eſt trienne, quaquauerſum patent regni fines. Sed nunc regia indulgentia, quæ publico edicto innoteſcit, pro menſibus dies computantur, atque ita menſem vnum, regnum vniuerſum, mœrorem de Regis morte conceptum, lugubri cultu profitetur. Funebres Sinarum ritus iuſto volumine continentur, atque ita, cum aliquis è familia diem ſuum obit, ſuperſtites, ad quos funus ſpectat, eum librum conſulunt, vt ad rituum præſcriptum funebris pompa procuretur. eo in volumine non ſolum præſcribuntur, ſed etiam ſpectandæ proponuntur, veſtes, pilei, calcei, zonæ, cæteriq; ritus vniuerſi.

Ritus funebres.

Ritus funebris in obitu viri primarij.

Cum vir aliquis primarius viuere deſinit, demortui filius, aut ſanguine proximus, cæteros propinquos, & familiares libello admonet, mœſta verborum ſollemnium formula concepto, idq; infra tertium quartumúe ab obitu diem. quo tempore ſarcophagum fabricant, & eo cadauer includunt: tum aulam candido panno, vel ſtoreis inſternunt ac veſtiunt, in cuius medio aram extruunt, in ara ſarcophagum locant, & demortui effigiem. Ad eam aulam intra præſtitutos dies, quos apud viros primarios quatuor quinqueúe eſſe mos eſt, propinqui omnes amiciq; conueniunt, ipſi quoque funebri veſte induti: alius poſt alium qualibet hora diei ventitant, & in ara odores, binosq; cereos defuncto locant. qui vbi ardere cæperint,

rint, quaternis inclinationibus ac genuflexionibus, de quibus ſupra fusè, demortuum cohoneſtant: ſed primum thuris tantillum in thuribulo ignito componunt è regione ſarcophagi imaginisq; propoſitæ. Interim dum hi ritus exhibentur, defuncti filius vnus, aut plures, ad latus adſtant in funebri veſte candidati, modeſtè quidem, & flebiliter lamentantes. Poſt ſarcophagum omnis mulierum domeſticarum turba, & ipſæ quoque cultu lugubri, ſed cortina tectæ, inconditè plangunt & eiulant. Sollemne quoque eſt, & ab Idolorum ſacrificulis in morem inductum, papyrum in certum modum concinnatam, imò etiam ſericos pannos albi coloris exurere. quod faciunt, arbitrantes, ſe vita functis veſtem miniſtrare, in beneuolentiæ obſeruantiæq; teſtimonium.

Non rarò filij parentum cadauera, feretro incluſa, ad tres quatuorue annos domi aſſeruant: ſuo enim illo pellucido bitumine ita rimas illinunt, vt minimè fætorem transmittant. quo tempore in ſingulos dies cibum illis, potumq; offerunt, non ſecus ac ſi ſupereſſent: nec filij eo tempore in ſedilibus ſolitis, ſed in humili ſcabello conſident, eoq; veſte alba contecto: Somnum in lecticis minimè capiunt, ſed in ſtramineis culcitris ſupra nudam humum collocatis, iuxta cadaueris ſarcophagum: carne veſci nefas alioue edulio bene condito; vino minimè vtuntur, nec balneis, quin etiam ab vxorum conſuetudine abſtinent, conuiuijs intereſſe non licet, nec intra certos menſes in publicum egredi. quod dum faciunt ſellam geſtatoriam lugubri etiam panno inuoluunt, aliaq; multa faciunt, quæ perſequi longum eſſet. Ex ea tamen, quam diximus, auſteritate ſemper aliquid remittunt, prout ad triennium tempora pronius deferuntur. *Funera domi multos ſæpè annos incluſa venerantur.*

Quo die funus effertur, propinqui & amici alio libello inuitati, denuo conueniunt, omnes in funebri veſte candidati, ad funebrem pompam cohoneſtandam. Ea in ſupplican- *Funeris elatio & pompæ deſcriptio.*

tium morem inſtituitur. Variæ ſtatuæ virorum ac mulierum, Elephantũ, tigrium, ac leonũ, papyraceæ omnes, ſed verſicolores & inauratæ præeunt, quæ omnes coram tumulo deinde incenduntur: Funus etiã comitantur longa ſerie idolorũ miniſtelli, & profanarum precũ recitatores: hi varios ritus ex itinere peragunt, & tympana, fiſtulas, cymbala, tintinnabula, & alia muſica inſtrumẽta pulſant. Ingentia etiã ex ære campano thuribula baiulorum humeris geſtata præeunt. Deinde feretrum ſequitur magna pompa exornatum; nam ſub ingenti conopæo variè cælato, & byſſinis pannis inſigni à quadraginta, & ſæpè quinquaginta veſpillonibus effertur. Illud ſequuntur filij, pedibus incedentes, ſed innixi baculo, velut iam præ luctu fatigati. Deinde mulieres, intra candidam cortinam geſtatoriam ita incluſæ, vt ſpectari non poſſint. Aliæ quoq; mulieres ſanguine remotiores ſellis geſtantur funebribus. Tumulos porro omnes neceſſe eſt eſſe ſuburbanos.

Filij abſentes in obitu parẽtis reuerti coguntur.

Si filios abeſſe domo contigerit ſub parentum obitum, in eorum aduentum tota lugubris pompa differtur. Porro cum de Parẽtis obitu certior factus eſt filius, ſi vir fuerit primarius, eo ipſo in loco, in quo eum tum adeſſe contigerit, parenti cænotaphium excitat, & amicorum complorationes excipit. Deinde in patriam primo quoque tempore reuertitur, & eoſdem ritus denuo inſtaurat, eo quem ſuprà cõmemorauimus ordine. Reuerti autem etiam per leges cogitur filius, quantũuis magnam gerat in Republica dignitatem, etiam Præſidum tribunalium, quos ſuprà Ciamſciu vocari diximus, imò etiam Colaorum, domique triennem luctum explere, nec ante ad priorem Magiſtratum admittuntur. Sed id de ſolo parentum luctu, non cæterorum propinquorum velim intelligi. Ab hac porro lege, etiam in parentum funere, Magiſtratus militares excipiuntur.

Si aliquem extra patriam extingui contigerit, is cui funus

curan-

curandum incumbit, nullũ non lapidem mouet, nec vlli ſumptui parcit, ad cadauer in patriam remittendũ, aut reuehendum; quo in auitum tumulum inferatur. Eum tumulum familia quælibet peculiarem habet, in aliquo colle ferè ſuburbano, cum ingentibus è marmore ſepulcris, & varijs ex aduerſo ſtatuis animantium, & hominum. Epitaphia quoq; marmorea, ſanè magnifica, eriguntur: in ijs eleganti charactere & ſcriptione præclarè à maioribus ibidẽ humatis geſta deſcribuntur. Ad hos tumulos quotannis propinqui conueniunt, dieb⁹ ad eam rem deputatis. Ibi ritus ſuos exhibent, ſuffitus accendunt, donaria explicant, & epulũ funebre inſtituunt, pro regionis conſuetudine, iam ab omnibus ſæculis recepta. Defunctũ extra patriã, domum reuehũt. Loca ſepulturæ. Epitaphia.

Non paucis etiam ritibus connubia contrahuntur atque ſponſalia. vtraque in teneris annis peraguntur; nec ſponſum à ſponſa volunt ætate admodum diſcrepare. Contractus hos parentes vtrimq; componunt, nec ad eos filiorum conſenſum exigunt. quos tamen filij aut filiæ nunquã non admittunt. Primates omnes cum primatibus connubia miſcent, & familiarum paritatem exigunt, in legitima coniuge eligenda. Quod ad cæteras pellices ſpectat, quas quiſq; habet pro arbitratu, formæ venuſtate præferuntur, nec generis nobilitatem aut fortunas attendunt: nam hæ ferè pretio centum aureorum, & ſæpè longè inferiore comparantur. Plebei ac tenues vxorem ſibi pretio quærunt, & quoties volunt, eam vendunt. Rex verò, Regiſq; proles in connubijs poſthabita ſanguinis nobilitate, ſolam corporis venuſtatem ſpectat. Sed nec primates ad hæc aſpirant connubia: tum quod Regiæ coniuges & parum poſſunt, & incluſæ palatio, ſuorum conſpectui æternũ eripiuntur; tum etiam quod delectu à connubialibus Magiſtratibus habito, è multis paucæ ad Regias nuptias euehuntur. Vxor Regis vna primaria eſt, quę ſola legitima dici poteſt: pręter hãc Rex, & Regni hæres alias nouem paulò inferiores ducit, Connubiorũ & Sponſalium ritus. Regis connubia.

ac deinde alias triginta ſex, quæ omnes coniugali titulo gaudent. His accedunt aliæ numero maiore pellices, quæ nec Reginæ, neque coniuges appellantur. Eas inter, quę filios pariunt, gratioſiores euadunt, & maximè parens primogeniti, qui regni ſucceſſor appellatur. Id non apud Regem ſolum, regiamq; familiam familiare, ſed apud reliquos toto regno.

Primaria illa coniunx, ſola menſæ cum marito aſſidet, reliquæ omnes (maximè extra regios propinquos) ancillæ ſunt patrisfamilias, & legitimæ coniugis pediſſequæ, quibus in alterutrius præſentia ſtare, non ſedere permittitur. Earum filij non ſuam parentem, ſed primariam vxorem matrem ſuam vocant, & eam ſolam cum extinguitur, triennio lugent, eiusque funus, non propriæ genitricis, curaturi, officijs ſe ſe abdicant.

Coniuges non cognomines.

In connubijs religioſiſſimè obſeruatur, ne quis vxorem omninò ducat ſibi cognominem, tametſi nulla ſanguinis inter vtrumq; intercedat neceſſitudo. Sinarum porro cognomina haud paulò pauciora ſunt, quàm apud noſtrates: neq; enim mille numerantur. nemini verò licet nouum aliquod cognomen effingere, ſed ex ijs, quæ antiquo vſu recepta ſunt, vnum habeat oportet; & quidem illud à maioribus patrum, non matrum ſerie deductum, niſi fortè quis in alienam fuerit familiam cooptatus. Affinitatis & conſanguinitatis gradus in diuerſo cognomine nihil attendunt, atq; ita proles ſuas connubio iungunt cum maternis propinquis, in quolibet ferè gradu.

Gradus affinitatis & cōſanguinitatis nulla ratio.

Sponſæ nulla dos.

Sponſa nullam ſecum dotem defert: ac tametſi quo die in Mariti domum pergit, multam ſupellectilē ſecum ferat, tanto apparatu, vt copioſiores ea vicos oppleant, omnis tamen illa ſupellex Mariti ſumptibus comparatur, qui aliquot menſibus prius magnam pecuniæ ſummam dono ſubmittit.

Natalis dies.

Natalis cuiq; dies apud Sinas quot annis feſtus eſt, & munuſculis

ſculis, epulis, alijsq; lætitiæ ſignis celebratur. Id maximè fit expleto anno quinquageſimo, ex quo tempore inter ſenes computari ſolent, ac deinde decimo quoque anno. Ad has celebritates filij, ſi è litterario ſunt ordine, ab amicis exigunt varia poëmata, ſcriptiones, atque emblemata magno artificio conſcripta, quibus parentum encomia continentur; ex his etiam aliqui libros edunt, & ipſo natali die aulæ domeſticæ parietes ornant, aliosq; varios ritus exhibent ei, cuius annis gratulantur.

Sollemnis etiam eſt Sinis dies ille, quo filij virilem pileum per ætatem ſumunt, non ſecus, ac Romani olim iuuenes cum virilem togam, prætextam exuti, induebant. Ea ætas eſt annorum ferè viginti, nam ad id vſque temporis ſolutam cæſariem aluerunt. **Pileum virile ſumunt circa annum vigeſimum.**

Sed maximè ſollemnis toto regno celebritas, quæque ab omnibus æquè ſectis colitur, eſt anni recurrentis initium, primo nouilunio, & iterum primo plenilunio: tum enim Lucernarum eſt feſtiuitas. ideo quod in ſingulis ædibus ingenioſas aliquas lucernas accendit vnusquisque, varia arte extructas è papyro, vitro, velo, quibus venalibus per eos dies plenum eſt forum, è quibus eam ſibi eligit, quæ cuiq; maximè arriſerit. & ſæpè aulæ ipſæ ardere videntur, diſpoſitis quaquaverſus lucernis. Imò per eos etiam dies, nocturnis horis variè concurritur; & lucernæ in draconis morem ſibi mutuo innexæ, à bacchantibus circumferuntur: multa itidem ſulphureo puluere ludicra, & feſti ignes diſploduntur, ijsq; domus, ac vici ardent inſigni ſpectaculo. **Maxima celebritas totius anni.**

De Corporis Lineamentis, cultu, habituque, & alijs apud Sinas conſuetudine receptis.

CAPVT OCTAVVM.

SInica gens ferè albi coloris eſt, nam nonnulli è prouincijs **Color albus.**

 auſtrali-

Barba rara.

auſtralibus ob vicinitatem zonæ torridæ ſubfuſci ſunt. Barba illis rara eſt, quibusdam nulla, pilis hirtis, & absq; cincinnis; ſerò etiam erumpit, nam triginta ferè annorum iuuenes cum noſtratibus, dum viginti attigerunt, conferri poſſunt: barba, vt & capillitium vniuerſum, atri coloris eſt, & apud Sinas turpis eſt rufa cæſaries. Oculos habent anguſtiores, oualis figuræ, nigros, atque prominentes. Naſus admodum exiguus vix prominet, aures mediocres; in prouincijs quibusdam faciem habent ferè quadratam. Multi à Cantonienſi & Quamſi prouincijs in vtroque digito minimo pedis, binos vngues habent, quod apud Cocincinenſes eorum conterminos omnes videre eſt, fortaſſe olim, ſex in ſingulis pedibus digitos numerabant.

Lineamenta faciei.

Mulierum ſtatura humilis.

Mulieres omnes ſunt humilioris ſtaturę, & magnã partem muliebris elegantiæ ſtatuunt in pedum paruitate. qua ex cauſa à prima pueritia pedes arctiſſimè faſcijs obuoluunt, ne ſuccreſcant liberè, atque ideo, in inceſſu truncas propè iudicâris. has faſcias per vniuerſam vitam adhibent. Id videtur ſapientis alicuius inuentum fuiſſe, vt eas domi contineret, ne facilè per vicos curſarent, quod fœminas decet in primis. Viri pariter ac fæminæ capillitium alunt, nec vnquam tonſorem adhibent, pueri tamen ac puellæ in prima ætate circum raduntur, & ſolùm in vertice comam nutriunt, idq; ad annum ferè 15. deinde creſcendi ad libitum faciunt facultatem, ſed paſſos crines ad annum vſque viceſimum ſupra humeros ſoluunt, dum virili pileo inſigniuntur, vt ſuprà. Pleriq; etiam ſacrificuli octauo quoque die caput, & barbam radunt. Adulti iam, crinem colligunt pileolo è ſetis equinis, vel capillis humanis, aut etiam filis ſericis intexto in retis morem: in vertice pertuſus eſt pileolus, è quo capilli, quia longiores, educuntur, & elegantem in nodum colliguntur. Fæminæ hoc pileo non vtuntur, ſed capillitio in nodum quoque collecto, ornatum

Capillitium vterque ſexus alit.

Sacrificuli caput radunt & barbam.

natum ex auro argentove ac lapillis, & denique floribus componunt. inaures geſtant, ſed annulis digitos non ornant.

Viri pariter ac fæminæ tunicas talares induunt. Eas viri ad pectus duplicatas, intimam partem faſcia, ſub axilla ſiniſtra, ſupremam ſub axilla dextera ſubligant; fæminę in medio pectore vinciunt. Vtrisq; manicæ laxiores longioresq; cõmunes ſunt, quales in Italia Venetorum eſſe ſolent, ſed fæminis manicæ ad manus patent, Viris arctantur, nec niſi quantum educendis manibus ſatis eſt, aperiuntur. Pileos viri eleganti opere variè concinnant, optimi habentur, qui è ſetis equinis cõtexuntur. hyberno cælo è lana pileos, aut etiam ex holoſerico geſtant. In calceis maximè à noſtris diſcrepant. Viri eos byſſinos, & holoſericos, varijs è filo ſerico mæandris, & floſculis ita concinnant, vt etiam noſtratium Matronarum elegantiam ſuperent. Calceos è pellibus, non niſi fæx vulgi geſtat; & in ſoleas etiam vix pellem adhibent, ſed eas è contarcinato panno conſuunt.

Tunicas talares induunt.

Pilei.

Calcei.

Litteratorum pilei quadrati ſunt, alijs non licet niſi rotundos geſtare. Singuli matutinis horis dimidiatã minimùm in pectendo componendoq; crine conſumunt, quod noſtratibus eſſet permoleſtum. Solent etiam pedes ac tibias longiſſimis faſcijs obuoluere. inde fit vt tibialibus ſemper laxiſſimis vtantur. Induſia noſtro more non habent, ſed eius loco intimam tunicam ad carnem è candido panno geſtant, & corpus ſæpè lauant. A famulo vmbellam grandiorem ſibi contra ſolis radios, & imbres geſtari faciunt, tenuiores ipſi ſibi minorem feruut.

Litteratorum pilei.

Tibialia.

Induſia.

Vmbella.

Agam nunc de conſuetudine apud Sinas recepta circa propria ſingulorũ nomina, quę noſtris planè inaudita videbitur. Cognomen habent, vt dixi, antiquũ & immutabile, ſed nomẽ non item, nam ſibi nouum fingũt, & ſemper aliquid ſignificat, quod etiã cognominibus conuenit. Id nomẽ vnico charactere

Nomina & cognomina Sinarum.

ſcri-

ſcribitur, & vna, quod idem eſt, ſyllaba effertur, è duabus tamen ſyllabis conſtare poteſt. Primum parens filio indit, ſed ſolum ſi maſculus fuerit: nam fæminæ, neque puellæ, neque adultæ nomen apud Sinas habent, ſed patrio cognomine, & numero quem inter ſorores habent, naſcendi ordine appellantur. Hoc nomine maſculi à parentibus & maioribus dumtaxat compellantur. Cæteri eos ex numero quem inter fratres habent, naſcendi ordine nominant, qua ratione modo de puellis diximus. Ipſi verò in viſitatorijs & munerum libellis, & in reliquis ſcriptionibus ac litteris, ſeipſos proprio nomine inſcribunt, quod à parente primùm acceperunt. Cæterorum porro, qui æquales, aut ſuperiores fuerint, ſi aliquis eum hoc proprio nomine compellaret, aut eius parentem, aut propinquum ſuo, non inurbanum eſſet ſolum, ſed etiam iniurium.

Fœminæ proprium nomen non habent.

Cum primum ſtudia puer aggreditur, aliud ei nomen præceptor imponit, quod ludi nomen appellatur, hoc nomine à condiſcipulis, ac Magiſtro dumtaxat appellari ſolet, ac poteſt. Cum virili iam pileo induitur, & vxorem quis ducit, à viro aliquo primario nouo nomine paulo honoratiore cohoneſtatur; quod nomen ipſi Litteram vocant. hoc eum poſſunt omnes deinceps appellare, ijs dumtaxat exceptis, qui ei famulantur, aut ſubditi ſunt. Denique cum iam omnino adoleuerit, nomen accipit à viro graui honoratiſſimum, quod ipſi magnum vocant. Eo nomine poſſunt eum omnes, nullo excepto, & præſentem, & abſentem compellare: Sed tamen illum parentes ac maiores tanto honore non dignantur, ſed priori nomine, quod litteram vocari dixi, compellant.

Varijs nominibus pro ætate afficiuntur.

Si quis etiam ſectam aliquam recens profitetur, à Doctore, qui eum induxit, nouo nomine compellatur, quod religionis nomen vocant. Porro cum alius alium officij cauſa viſit, tametſi cognomen & nomen illud minus libello inſcribat hoſpes,

Nomen Religionis.

ſpites, à viſitato tamen, & viciſſim interrogatur, quod ſit eius nomen honorificum, vt eum, ſi opus fuerit, poſſit ſine iniuria compellare. Atque ideo aliud nomen grandius, quo ipſi nos compellent, oportuit nos accipere, ſupra id, quod in Baptiſmate accepimus.

Antiquitatum ſunt ſtudioſiſſimi, ſtatuis antiquis carent, Tripodes ex ære campano propter ferruginem, vetuſtatis teſtem, in pretio habent, vt etiam vaſa antiqua è Creta, aut marmore, quod ſupra Iaſpidem vocauimus. Picturas illuſtrium pictornm rebus omnibus anteponunt, quæ ſolo atramento, non alijs coloribus, lineamenta deſcribunt: illuſtrium quoq; ſcriptorum Characteres, & inſcriptiones in charta pannoue deſcriptæ, ipſorum ſcriptorum ſigillo munitæ, ne fraus eſſe poſſit. neq; enim antiquitatis imitatores aſtutiſſimi deſunt, qui ab imperitis emungunt, in rebus viliſſimis, quos deinde depræhendunt malè collocatos. Antiquitatis ſtudioſiſſimi.

Magiſtratus omnes proprium habent ſui muneris ſigillum, ab Humvuo Rege illi traditum, quæcunque iuridicè ſcribunt, obſignant colore rubro dumtaxat. hoc ſigillum ſumo ſtudio conſeruant: Si enim illud perdiderint, non ſolum Magiſtratu excidunt, ſed etiam acerrimè puniuntur. Et ideo quoties domo egrediuntur, ſecum illud deferunt intra ſcrinium: clauis & alterius ſigilli fide munitum, illudq́; à ſuo conſpectu nuſquam remouent: domi verò dicuntur nocturnis horis illud ſub ipſo ceruicali aſſeruare. Sigillorū cuſtodia ſingularis.

Viri graues minimè pedibus per vicos incedunt, ſed ſella geſtatoria vehuntur ex omni parte occluſa, nec à prætereuntibus ſpectari poſſunt, niſi partē anteriorem aperuerint; qua in re à Magiſtratibus differunt, ipſi enim ſellis euehuntur omni ex parte patentibus. Matronas quoque ſella vehi mos eſt occluſa vndique, ſed ex ipſa figura facile à viribus ſellis diſtinguuntur. Rhedas carpentaq; per leges habere non licet. Sella ſpectatoria.

M Vrbes

Vrbes nõnullæ in fluminibus extructæ & lacubus.

Vrbes nonnullæ, in medio fluminum & lacuum extructæ viſuntur, vt in medio mari Venetia. In his Vrbibus Cymbæ perelegantes per vicos nauigant. Et quoniam vniuerſa regio fluuijs canalibusq; diſtincta eſt, ad iter nauigijs vtũtur frequẽtius, quam noſtrates, & ſunt ferè commodiora & elegantiora. Sed ea, quibus Magiſtratus, quod ſemper publico ſumptu fit, vehuntur, ita magna ſunt, vt integram familiam nullo ſuo incommodo vehant, ac ſi domi ſuæ verſarentur: in ijs enim variæ ſunt ſtationes, aula, culina, cellæ, eæque ita eleganter exornatæ, vt principum virorum ædes, non nauigia eſſe videantur. Ita ſæpe contingit, vt ad inſtituendum ſolemne epulum, in huiuſmodi ſe nauigia recipiant, quoniam eodem tempore, per flumina lacusq; non ſine voluptate vagantur. Intus ſplendido illo bitumine, Ciaram Luſitani vocant, omnia collucent, varijs diſtincta coloribus, ipſæque cælaturæ ſuis locis aptè inauratæ, oculis blandiuntur, vti naribus varij ſuffitus & odoriferæ mixtiones.

Nauigia Magiſtratuũ elegãtiſſima & vaſtiſſima.

Veneratio erga Magiſtros.

Magiſtros omnino religioſius, quam noſtri, venerantur, ac tametſi alter alteri per vnum diem ſeſe pro diſcipulo ſubiecerit in qualibet ſcientia vel arte, per vitam deinceps vniuerſam eum Magiſtrum appellat, & pro Magiſtro colit: nam illi non niſi ad latus in quolibet congreſſu aſſidet, & Magiſtralibus eum titulis ac ritibus cohoneſtat.

Aleæ, chartarum, & Latrũculorum vſus.

Aleæ ludus, atque chartarum, quẽ etiam in has partes vſus inuexit, plebeius eſt & vulgaris. grauiores fallendo tempori, & ludicro etiam quæſtui adhibent Latrunculos, noſtris non omnino abſimiles. In his diſcrepant. Regius enim calculus nunquã egreditur quatuor cellulas ſuo loco viciniores, ſed neque litterati duo Regis aſſeſſores. Regina carent. Alios porro duos habent calculos non parùm ingenioſos, quos ipſi pulueris bellici l ebetes vocãt, ij equos duos præeunt, & pedites ſubſequuntur, qui in his duabus cellulis vna cellula præcedunt: In-

cedit hic calculus eo fermè modo, quo turriti noſtrates elephanti: inimici tamen exercitus ductorem Regem non petit, niſi inter ipſum & Regem, qui petitur, alius ſit calculus, vel proprius, vel colluſoris. hinc fit, vt tribus modis ictum vitare poſſit Rex appetitus, primum exigua, vt ita loquar, corporis declinatione, & honeſta fuga in proximam cellulam vel ſtationem, deinde oppoſitu alterius calculi; poſtremo ſi penitus nudet latus, iubeatq; faceſſere militem ſuum, à quo tegebatur.

Grauiſſimum inter eos ludi genus eſt huiuſmodi. In alueo trecentarum cellularum plures, ducentis calculis colludunt, è quibus alij candidi ſunt, alij atri. his calculis alter alterius calculos procurat in medium alueum relegare, vt reliquis deinde cellulis dominetur. ad extremum qui plures in alueo cellulas ſibi ſubiecit, victor appellatur. Hunc ludum auidiſſimè arripiunt Magiſtratus, & ſæpè maximam diei partem ludendo conſumunt; nam inter ludendi peritos, horam integram ludus vnus tenet. Qui huius ludi peritus eſt, tametſi alia nulla re inſignis fuerit, ab omnibus colitur, & euocatur. Imo nonnulli etiam eos ſolitis ſibi ritibus magiſtros legunt, vt ab ijs accuratè huius ludi rationem ediſcant.

Aliud genus ludi grauiſſimum.

In plectendis delictis remiſſiores videri poſſunt, maximè in furto, niſi bis interuenerit: neque enim vnquam morte plectitur. In ſecundo furto, cauterio ſimul, & atramento duos characteres brachio inurunt, quibus innuitur iam iterato furatum; cum tertio depræhenditur, in ipſo vultu eodē cauterio inuritur; ſi denuo depræhendatur, pro ratione delicti, & quoties eum depræhendi contigit, acrius remiſſiusúe vapulat, aut ad triremes damnatur, ſpatio temporis à legibus præſtituto. Ideo latrunculis omnia plena ſunt, maximé ex infima vulgi fæce.

Pœna delictorum remiſſior.

Furtum quomodo puniatur.

Excubiæ.

Singulis in vrbibus noctu per vicos plura hominum millia excubant, & certis interuallis peluim pulſantes, per vicos obambulant, ac licet ipſi vici noctu ferè cancellis ac repagulis occludantur, non rarò tamen domos integras nocturni fures deprædantur: id ex eo contingit, quod ipſis excubitoribus excubias addi oporteret, quoniam ipſi vel fures ſunt, vel furum ſocij: Cum à nobis audiunt habitatiſſimas in Europa ciuitates nullas aduerſus fures vrbanos, ſed aduerſum hoſtes externos excubias diſponere, obſtupeſcunt. Ipſæ etiam vrbes, licet in altiſſima pace, medioq; in regno ſint, quotidie ſub noctem occluduntur, & claues ad vrbis præfectum deferuntur.

Fures nocturni permulti.

De ritibus apud Sinas ſuperſtitioſis & aliis Erroribus.

Capvt Nonvm.

Admonitio ad Lectorem.

Capite inſequenti de ſuperſtitioſis ritibus cuilibet ſectæ proprijs agetur; nunc verò aliquos ex ijs attingam, quos omnes amplectuntur. Sed primum eos rogo, qui hæc duo capita lecturi ſunt, vt ex ijs, quæ dicentur, anſam arripiant condolendi. Deumq; pro huius gentis ſalute deprecandi potius, quàm ſtomachandi, aut de remedio deſperandi, memores, hos populos tot iam retrò lapſis annorum millibus ita Gentilitatis tenebris obuolutos, vt nullum vnquam, aut fortaſſe vix vllum Euangelicę lucis radium aſpexerint. Cui nihilominus ab innata genti ſolertia, diuinaq; bonitate, tantum adhuc ſupereſt luminis, quod à natura accepimus, vt facilè miſeriam ſuam agnoſcat, ac fateatur, ſed adhuc modum ignoret, quo ſeſe poſſit expedire.

Superſtitio in obſeruandis horis, faſtis nefaſtisq; diebus.

Nullus toto regno ſuperſtitioſus ritus ita latè peruaſit, ſicut is, qui in obſeruandis diebus horisue faſtis nefaſtisq; verſatur,

vt ad temporum normam negotia ſua omnia moderentur. In eum finem duplex faſtorum index quotannis excuditur, ab Regijs aſtrologis auctoritate publica conſcriptus; vnde tantam hæc impoſtura veritatis opinionem ſibi arrogat. Horum faſtorum libelli tanto numero diſtrahuntur, vt eo nullæ non ædes oppleantur. In his in dies ſingulos adſcribitur, quid faciendum, à quo abſtinendum, aut in quam horam differendum quodlibet ex ijs negotijs, quæ intra annuũ ſpatium cuique poſſunt occurrere.

Præter hos indiculos, alijs ſunt abſtruſiores etiam libri, & fallaciores magiſtri, qui alia nulla re quæſtum quærunt, quam dierum horarumq; electione ijs præſcribenda, à quibus conſuluntur: & ne cui deſint prædictores, pretio etiam viliore mendacia diſtrahuntur. Nec raro contingit, vt molem aliquam extructuri, in multos dies operis initium; aut iter facturi, viæ principium differant, eo ſolo intuitu, ne à coniectorum præſcriptione tantillum recedant. Et quanquam ſæpe vſuvenit, vt eo ipſo die copioſus imber decidat, aduerſus ventus aſpiret, nulla tamen aëris iniuria prohibentur, quin eo ipſo die, horaue, quam fortunatam fore arbitrantur, opus aggrediantur. Siquidem ad iter inchoandum quatuor ſaltem paſſus progrediuntur, aut ædificandum duas terræ ſportas effodiunt, ne præſcripto tempore opus ſuum inchoaſſe minimè videantur: atque ita, quæ gentis cæcitas eſt, ſibi omnia ex animi ſententia ceſſura arbitrantur.

Non inferiore cura laborant, ex ipſo naſcendi puncto vitæ totius ſeriem fortunamq; præſcire: qua ex cauſa nemo eſt, qui non id momentum exquirat, & annotet accuratè. Huius artis varij ſe Magiſtros iactant. Nec pauciores, qui è ſtellarum curſu, vel numeris quibusdam ſuperſtitioſis futura ſe prędicturos aſſeuerant. Alij ex lineamentis in facie, manibusue conſpectis idem ſpondent. Alij ex ſomnis, alij ex quibuſdã verbulis

Rerum futurarum inquiſitio multa & curioſa.

bulis, quę inter colloquendum eliciunt, alij è ſitu corporiſ, ſeſſioneq; ſola, & innumeris alijs modis futura coniectant: idque faciunt ita certò, vt omnem dubitationem excludere videantur. tot verò irrepunt doli, & quotidie nouæ naſcuntur fraudes, vt in errorem creduli facilè inducantur. Nam collegas ſæpè ſuos circumforaneos ignotos in audientium concionem immittunt, à quibus palàm aſſeritur, ſibi eo prædicente ex ordine omnia contigiſſe: alias alijs circumforaneis præterita multa reuelantibus, inpoſterum collegæ annuunt magno cum applauſu. Vnde fit vt plures in fraudem inducti ab ijs, fortunam ſuam explorent, & audita pro oraculis excipiant. Aliâ etiam fraude opinionem ſibi comparant veritatis. Manuſcripti reperiuntur indices, quibus integræ ciuitatis, per vicos ædesq; diſtributæ familię, breuiter deſcribuntur. Eos hi circumforanei exſcribunt, aut comparant non magno pretio, atque ita licet externi ſint, horum commentariorum fide narrant ſingulis, quam familiam hactenus aluerint, quid ijs plures iam annos contigerit, aliaq; huiuſmodi; deinde collecta ex præteritis fide, futura prædicunt; tum in alia ſe loca conferunt, fidem ſuam fortunæ cōmittentes. Tantum porro multi prædictoribus his tribuunt, vt ipſe metus fidem faciat, nam ſi prædictum ijs fuerit, tali eos die morbo corripiendos, is vbi aduenerit dies, in morbum incidunt, ac vti metus afflicti, cum ægritudine, & aliquando etiam cum morte colluctantur. E quibus euentis impoſtoribus auctoritas non parum accreſcit.

Dæmones & ſpiritus familiares conſulunt.

Nec nulli dæmones ipſos conſulūt, & familiares, vt vocāt, ſpiritus apud Sinas ſunt nō pauci, eaq; res plus numinis, quàm dæmonū fraudis vulgò habere creditur, ſed ab his ad extremū omnes in fraudē inducuntur. Eorū oracula infantū vocibus, aut etiam brutorū excipiuntur, Præterita ipſi & abſentia more ſuo euulgant, vt non abſimilē vero faciant eam, qua futura pręnunciant, falſitatē. Sed neque hæc ſine fraude pronunciātur.

Hæc

Hæc porro omnia cũ noſtris etiam Ethnicis cõmunia fuiſſe legimus, vnũ eſt quod Sinarũ proprium dici poteſt. Id in eligenda area, ad ædes priuatas, & publicas extruendas, aut ad cadauera humanda, eamq; aream conferunt cum capite, cauda, pedibus variorum draconũ, quos huic noſtro ſolo ſubſtratos viuere fabulantur; à quibus omnẽ aduerſam proſperamq; fortunã non familiarum ſolũ, ſed vrbium, prouinciarũ, totiusq; regni credunt dependere. Et ideò in hac, velut recondita ſcientia, multi etiam viri primores occupantur, & procul, cum opus eſt, euocantur; maximè cum publicæ quędã turres, molesúe, aut machinæ in eum finem extruuntur, vt proſpera fortuna accerſatur, & infortunia publica exterminentur. Non ſecus enim, atq; Aſtrologi ex inſpectis ſyderibus, ita hi Geologi ex montium, fluminũ, agrorumq; ſitu, regionum fata metiuntur, aut verius mentiuntur. Et ſanè nihil abſurdius inueniri poſſe dicas. Nam ex ianua in hanc aliamúe partem obuerſa, è deducendis per atrium ad dextrã, aut læuam imbribus, ex feneſtra ex hac vel illa parte aperiri ſolita, ex eo quod è regione tectum ſit alio altius, éque ſimilibus nugis, familiæ ſalutem, opes, honores, omnemq; fortunam dependere ſomniant.

Superſtitio in ædibus extruendis.

Alia ſuperſtitio abſurdiſſima.

His Aſtrologis, Geologis, Auguribus, coniectoribus, & vno verbo impoſtoribus, pleni ſunt vici, plenæ tabernæ, plena fora. Vbiq; vanis pollicitationibus proſperam fortunam venalem exponunt, & ſæpè oculis capti, non viliſſimi ſolum homunciones, ſed etiam mulierculæ, vt ad litteram Euangelicam illud impleatur; Cæci ſunt, & duces cæcorum. Nec ſolum his priuatim omnia redundant; ipſæ vrbes, metropoles, aulę hac lue ſcatent, & hac vna re quæſtum faciunt, numeroſam familiam lautè ſuſtinent, & plurimi magnas ſibi opes parant. Eos enim ſummi & infimi, nobiles & plebei, Litterati, ac illiterati colunt; quin etiam Rex ipſe, & vniuerſi Magiſtratus, regniquc optimates.

Omnia plena impoſtorum.

Ex

Ex his facile colligere licet, quot ex auium garritu auguria, quàm ſoliciti primi matutinis horis occurſus, quàm ſuperſtitioſæ ſolarium radiorum vmbræ priuatis tectis exceptæ. Hoc vno verbo dicere ſufficiet, quicquid infortunij priuatim ſingulis, & publicè vrbibus, prouincijs, regnoq; vniuerſim acciderit, id omne aduerſo ſuo fato, aut rei cuipiam arrogant, in domibus, vrbe, metropoli, aut regia perperam collocatę; pro eo quod eos oportebat in tot ſcelera, quibus è cælo priuatim & publicè vindictam euocant, ſuorum infortuniorum cauſam iuſtiſſimè deriuare.

Adſcribam nonnulla quæ Sinæ leuiora ducunt, imo verò (ſi Deo placet) in laude ponunt, vt de cæteris fiat coniectura, iterum obteſtans eos, qui noſtra hæc legunt vt tanto impenſius Deum pro Gentis huius ſalute deprecentur, quanto denſioribus ignorationis tenebris eſt inuoluta, minus quidem propterea damnanda, haud paulo tamen minus miſeranda.

Permulti ſunt qui, quod muliebri conſortio carere minimè poſſint, ſeipſos viris copioſis in ſeruos tradunt, vt ex ancillis domeſticis vnam ſibi copulent coniugio, vnde fit, vt etiã liberi perpetuam contrahant ſeruitutem. Alij cum ad coëmendam ſibi vxorem habeant nummorum ſatis, eam ſibi pretio comparant, ſed creſcentem deinde familiam cum vltra ſuſtinere non poſſint, filios ac filias in ſeruitutem diſtrahunt eo fere pretio, quo ſus aliquis aut triſte iumentum vænit, quod ad duos tresue aureos excreſcit, id quod etiam faciunt extra carioris annonæ anguſtias; & in perpetuum filij à parentibus ſeparantur, liberumque fit emptori, qua maxime in re velit ſeruo vti. Hinc fit vt hoc regnum ſeruis redundet, non ijs belli iure captis, aut aliunde importatis, ſed vernaculis & ciuibus. Non pauci etiam extra regni fines ab Luſitanis Hiſpaniſq; exportantur in perpetuam extra ſolum patrium, ſeruitutem. Tametſi hoc maxime medio Deus vtitur, vt Sinas com-

Seruitus mulcta.

Liberos venales proponũt.

Copia ſeruorum vernaculorũ unde?

complures ab dæmonum ſeruitute in Chriſtianam transferat libertatem.

Sed hanc venalium liberorum negotiationē duo leuiorem reddunt; multitudo ſcilicet plebis tenuioris, quæ nō niſi ſummo ſudore ac induſtria ſe ſuſtinet, & ipſa ſeruitutis ratio omnino mollior ac tolerabilior apud Sinas, quam aliam vllam nationem: & quia ſe quiſque redimere poteſt eo pretio quo venijt, quoties ei facultas fuerit. Grauius omnino malum, quod ſequitur. Nam in quibusdam prouincijs infantes, potiſſimum fæminas, aquis præfocant, quod eas educare ſe poſſe deſperent. id quod etiam apud non infimam plebem inualuit, eo metu deterritam, ne inde vrgente inopia, venales liberos exponere, ignotisq; tradere cogantur. hi ne ſint parum pij, crudeles fiunt. Sed hanc ſæuitiam inter eos minus atrocem fecit error ille, qui animorum metempſychoſis appellatur: dum enim animos mortalium ex alijs corporibus in alia transmigrare arbitrantur, immani ſæuitiæ prætextum pietatis aſtruunt, dictitantes ſe liberis prodeſſe, dum eos mactant; hac enim illos ratione tenuioribus ſuæ familiæ anguſtijs eductos, in pinguiorem fortunam citius naſcituros. Hinc fit, vt hæc liberorum carnificina minimè remotis arbitris, ſed conſcijs omnibus peragatur.

Infantes fæmellas aquis præfocant.

Metempſychoſis error.

Sed ad hanc barbariem accedit etiam alia immanior, qua ſibi complures violentas manus inferunt, vel bonorum deſperatione malorumq; perpeſſione fatigati; vel vt inimicis ſuis impotenter ſanè, non minus ſtolidè, ægrè faciant: multa enim in annos ſingulos hominum millia ferunt, virorum ac mulierum ſeipſos in campis, vel pro aduerſarij foribus, iniecto in fauces nodo, præfocare, aut in flumina inſilire, hauſtóue leuibus aliquando ex cauſis veneno ſibi vitam eripere. Nam ex eo quod Magiſtratus deinde ſeuerè in eos animaduertant, qui cauſam dediſſe deſperationi à demortui propinquis accuſantur,

Multi ſibimet violentas manus inferunt.

tur, fit vt alia ratione ſe vindicare non poſſe exiſtiment. Attamen ſunt non pauci ſapientiores Magiſtratus, qui nullius cauſam, lege lata, ſuſcipiunt, qui violentas ſibi manus intulerit, hinc multorum vita conſeruatur.

Infantum caſtratio immanis.

Aliud immanitatis genus in borealibus Prouincijs in infantes maſculos exercent, quos caſtrant quam plurimi, vt inter Regios famulos adnumerari queant; nam præter hos alij Regi non famulantur, nec à conſilijs ſunt, nec cum eo colloquuntur, quin imò tota ferè Regni adminiſtratio in horũ ſemiuirorum manibus verſatur. Ex ijs porro intra palatij regij fines ad decem millia numerantur, omnes ferè plebei tenues, illitterati & in perpetua ſeruitute educati, hebetes deniq; ſunt ac ſtolidi, nec minus impotentes ac inepti ad rem quamlibet grauem animo concipiendam, nedum perficiendam.

Caſtigandi ratio pro delictis

Leges porrò infligendarum pænarum pro delictis, etſi ultra ius non ſunt aſperæ, nihilominus arbitror non pauciores à Magiſtratibus mactari contra leges, quam qui debitam legibus vitam amittunt, quod ex inolita huius regni conſuetudine oritur. A Magiſtratibus enim quibuslibet ſubditi nulla præuij iuris aut ſententiæ forma vapulant, quoties in mentem cuique venerit in hunc modum. In publico tribunali proni toto corpore procumbunt, nudatisq; cruribus ſupra genua infra nates, arundine duriſſima per medium ſecta, digiti craſſitiæ, quatuor lata, duas vlnas longa verberantur à miniſtris, fuſte vtraque manu correpto atrociſſimè, tametſi ictibus non plus decem, ſummum triginta plectantur, nam ſæpè primo ictu laceratur cutis, & nõnullis carnis fruſtula diſſiliunt, ex qua verberatione multi pereunt; multique vitam largitionibus redimunt exigentium contra ius fasque arbitratu; tanta enim Magiſtratuum dominandi libido eſt, vt vix quisquã rerum ſuarum Dominus eſſe queat, ſed omnes in continuo metu verſentur, ne qua ſibi calumnia, ſua bona eripiantur. Ad hęc

ſicut

ſicut hæc gens ſuperſtitionibus, vt ſupra dictum, deditiſſima eſt, ita veritatis parum amans; etenim non niſi magna cautela & circumſpectione opus eſt, vt alter alteri ſe credat.

Hoc eodem metu perculſi hoc ſeculo Reges à publico abſtinent, & cum olim è palatio egrediebantur non niſi mille induſtrijs tuti id audebant, nam vniuerſa Regia in armis erat, diſpoſitis per eos vicos excubijs, qua tranſitus erat, & per alios vicos, quibus in priores iter eſſe poterat, nec ſolum videri ſe nō ſinebat, ſed neq; ſciebatur qua lectica veheretur, nam plurimæ geſtabantur. Dixiſſes eum non inter clientes, ſed inter hoſtes regij ſanguinis cupidiſſimos iter facere.

Inſolentia eorum qui ſunt è regio ſanguine.

E regio ſanguine prognati tametſi omnes ſumptu & ærario publico, quod ſuprà dixi, ſuſtineātur, tamen cum iam ad ſexaginta millia excreuerint, & continuo augeantur maximo ſunt oneri Reipublicę: nam cum ab omni munere publico remoueantur, otioſi ſunt omnes, & laxiori vitæ dediti, & quoties poſſunt, impotentius inſoleſcunt. Ab his ſibi Rex cauet nihilo ſecius quàm ab hoſtibus, nam habent ipſi continuos excubitores, nec ab nominata cuilibet ad habitandum Vrbe egredi poſſunt, iniuſſu Regis, ſi fecerint, atrociſſimis pænis ſubiacent. nulli tamen ex ijs licet in Regijs vrbibus Pequino & Nanquino commorari.

Exteri à Sinenſibus contemnuntur.

Nemini mirum videbitur, eos, qui ciuibus ac propinquis ſe non credunt, de aduenis diffidere, ſiue ij è vicinis, ſiue ex remotis regionibus aduenerint, quarum aliam nullā notitiam habuerunt, niſi ſubobſcuram & falſam, quam à quibusdā accipiunt, qui ad ſuum regnum clientelaris obſequij officia delaturi adueniunt. Ex aduenarum libris quicquā ediſcere Sinas pudet, opinantes omnem ſcientiam apud ſe ſolos reperiri, externos omnes pro illitteratis ac barbaris habent & appellant. Et ſi quando in ſuis ſcriptionibus exterorum incidit mentio, ita de ijs agunt, quaſi nihil dubium ſit, eos à brutis nihil

 admo-

admodum diſſidere. Characteres porro omnes, quibus hoc exterorum nomen exponūt, ex animantium ferè litteris componuntur, nec ferè eos honeſtiore nomine, quam dæmoniorum dignantur.

Legati ſuſpiciosè & ignominiosè tractantur.

Porro ſi legati è vicinis regnis ad clientelaria officia Regi deferenda, vectigalue perſoluendum, aut aliud quodlibet negotium tractandum aduenerint, vix dici poteſt, quam ſuſpiciosè tractentur. Nam eos tametſi ab omni ſæculorū memoria amicos habuerint, captiuos nihilominus toto itinere ducunt, nec eos quicquam videre ſinunt. Multis clauibus intra palatij exterorum ſepta, veluti brutorum ſtabula, recluduntur, Ad Regis aſpectum nunquam admittuntur; cum paucis è Magiſtratu, ſua negotia tractant. Cum externis autem extra regni fines nemo, niſi certis temporibus ac locis, agere permittitur, qui ſecus fecerint absque publica facultate, grauiſſimis pænis plectuntur.

Ducum & militū cuſtodia.

Duces ac Milites, qui belli pacisúe tempore ſuis locis excubant, ipſi quoque excubitores ſuos habent, ne quid rerum nouarum moliantur. Numeroſos exercitus nunquā vni Duci tradunt. Omnes ſunt in Senatus Philoſophici poteſtate, ab hoc exercitu ſtipendia penduntur, & commeatus ſuppeditantur, atque ita non in ijſdem manibus milites ſunt, & militaris apparatus, vt hac ratione ſecurior ſit cuiusque fides.

Militum conditio vilis & miſera.

Nulla gens ęquè vilis atque iners eſt, quàm militaris, miſeri ſunt omnes qui arma tractant: quos neque amor patriæ, nec in Regem fides, nec honoris cupiditas ad arma vocat, ſed ſola ſpes vitæ ſuſtinendæ, non ſecus ac fit illiberali quolibet opificio. Maximam partem regia ſunt mancipia, vel proprijs vel maiorum ſuorum ſceleribus perpetuam ſeruientes ſeruitutem. Ijdem quo tempore à bellicis exercitationibus vacāt, infima quæquæ officia, baiulorum, mulionum, & inhoneſtiora etiam ſeruitia exercent. Soli Duces ac Præfecti aliquā

inter

inter cæteros auctoritatem adipiſcuntur. Eorum arma, ſiue quibus ſe tuentur, ſiue quibus hoſtes offendunt, omninò ſunt parum noxia. Et ſolum fucatum aliquem præferunt apparatũ, ne in militaribus luſtris inermes appareant. In quibus luſtris, à Philoſophicis Magiſtratibus, & milites, & ipſi Duces modo, quem ſupra explicui, vapulant inſtar puerorum in ludo litterario, nulla dignitatis & conditionis habita ratione.

Arma militum fucata.

Milites vapulant.

Claudam hoc caput duplici Sinarum, vt aptè loquar, inſania, quæ in omnes æquè regni prouincias penetrauit, & multos maximè magnates inuaſit: argentum alia intendit ex alio aliquo metallo elicere; alia ad vitam, excluſa morte, adſpirat immortalem. Ambarum rerum præcepta à veteribus quibuſdam, quos ipſi in ſanctorum numero habent, inuenta primum, deinde etiam tradita fabulantur, quos poſt multa præclarè & vtiliter geſta, in cælum euolaſſe cum anima ſimul & corpore, poſtquam hic viuere piguit, mentiuntur. hoc ſeculo vtriusq; ſcientiæ, verius impoſturæ, volumina in immenſum excreuere; alia typis excuſa, alia vero manuſcripta. Sed hæc plus ſibi auctoritatis peperere.

Duplex Sinarũ inſania, argenti conflandi cupiditas & imortalitatis ſtudium.

Ac de priori quidem inſaniæ genere, nihil aliud dici poteſt aptius, quam cupidiſſimos illos alchimiſtas, ſuas etiam in fumum conflare fortunas, nedum quas ambiebant adipiſci. Ditiſſimi enim quique poſt exhauſta multa aureorum millia in huius fraudis apparatu, quotidie in conſpectu omnium ad extremam inopiam rediguntur, qui vero ſunt in hoc genere feliciſſimi, adulterinum argentum ita conflant, vt in errorem imperitiores paucos inducant, præterquam quod omni litterarum & virtutis exercitio prætermiſſo, dies noctesq; fornaces afflant, vt in nouam aliquam fraudem vel alios inducant, vel ipſi inducantur, libros etiam magno ſumptu tranſcribentes, & varia huius artis inſtrumenta comparantes.

Fornacis huius & vulcaniæ fraudis non deſunt innumeri

Fraus Alchimiſtarum.

Cyclopes: alij corporis cultusq; nitore veritatem mentientes, alij etiam mendici ſub habitu ſordido, falſitatem occultantes. horum continuum eſt exercitiũ, quà lucri ſpes afflauerit, circũferri, & artis huius cupidos vanis pollicitationibus in fraudem inducere. Omnis porro horũ circũforaneorũ induſtria in hoc conſiſtit, vt aliquo artis præludio perſuadeant, ſe id, quod ſperatur, poſſe perficere, tum enim loculos ad fæcem emungunt, vt ea, quæ ſunt ad apparatum neceſſaria, omnemq; vulcaneam ſupellectilẽ comparent; ſed quo die munus creditur auolant harpyiæ, nec ultra comparent; nihil autẽ relinquunt, niſi ſiccos iam loculos, & in vſurariorum manibus pignora debitorum. Et habet hic inſanię morbus hanc phreneſim, vt tametſi ad hunc modum iam ſępius quis fortunarum ſuarũ inſignem iacturam fecerit; non ideo ſapiat aut contineri poſſit, quin ab alio aliquo aſtutiore circũforaneo ſimilibus ſe denuo pollicitationib9 deludi ſinat; atq; ita vitã vniuersã cõplures in hac ſpe perdũt curis pallidi, & euentis triſtes, nec ſe tamẽ vnquam ab ullo vel propinquo vel neceſſario ad mentẽ reuocari ſinunt.

Ad immortalitatem excluſa morte adſpirant.

Alter inſaniæ morbus nonnunquã cum priore reperitur annexus. Et quoniam ad immortalitatẽ ſuapte natura, ſtudium grauius adſpirat, ita etiam viros primores & in ſumis Magiſtratibus conſtitutos inuadit. hi poſteaquã in hac vita, quas ſperare poterant opes, dignitatesq; fuere conſecuti, nihil aliud ſibi deeſſe putant ad beatitudinẽ, niſi qua ratione hęc vna cum imortalitate coniungãt, atq; ideo conatus omnes ac ſtudia in vnam hanc rem conferunt. Et quidẽ in hac regia Pequinenſi in qua degimus, pauci ſunt omnino magiſtratus, Eunuchi, cæteriq; primores, qui nõ hoc inſaniæ morbo laborent. Et quoniã non deſunt diſcipuli, ita neq; Magiſtri ſuperioribus tantò cariores, quantò imortalitatis per ſe maius eſt ſtudium, & acrioribus igniculis excitat ambientes: quem verò ſemel hæc inſania corripuerit, nihilò facilius ſuperiore curatur. Ac tametſi quotidiè

hi imortalitatis venditores mortalitatis debitum exſoluant, non eſt hoc tamen ſatis ad miſeros mortales ab hoc præpoſtero imortalitatis ſtudio reuocandos: arbitrantur enim ſe feliciori fortaſſe fortuna vſuros, & quod alijs nocuit, ſibi fortaſſe profuturum, neq; omninò adduci poſſunt vt credant, id extra humanæ induſtriæ facultatisq; limites conſtitutum.

In Sinicis Annalibus legi, Regem ex antiquioribus vnum hac inſania vſq; adeo correptum, vt non ſine mortalis vitæ detrimento vitam procuraret immortalem; id quod ſæpe contingit, vt dum ad longiorem vitam adſpirant, breuiorem efficiant. Is quorundam impoſtorum arte iam ſibi poculum parauerat, quo hauſto planè ſe imortalem fore arbitrabatur, nec ab intimo ſuo amico ab eo exhauriendo rationibus ſanisque conſilijs deterrebatur. Quod vbi aduertit amicus, cum Rex forte vultum tantiſper auertiſſet, poculum clam arripuit, & impigrè exhauſit. Excanduit extemplo Rex, & iam ſtricto mucrone mortem intentabat, quod ſibi immortalitatis poculum eripuiſſet. Amicus verò intrepidè reſpondit: Exhauſto immortalitatis poculo etiam vitam eripi mihi poſſe putas? Et ſanè ſi eripi poteſt, nullum crimen admiſi, neq; enim ego tibi immortalitatem eripui, ſed fraude liberaui. Quibus dictis Rex illico acquieuit, & amici prudentiam, qua ab errore reuocabatur, collaudauit. Verum etſi nunquā defuere Sinis viri ſapientes, qui hanc ex animis mortalium, vtramq; animorum ægritudinem, quam inſaniam vocaui, detergere laborarunt; nunquam tamen efficere potuerunt, quin quotidie latius ſerperent, & hoc noſtro ſæculo præteritorum temporum memoriam ſuperarent, diffuſamq; in plures luem mali contagione euulgarent.

Rex quidam ab hoc immortalitatis ſtudio deterretur.

Variæ

Variæ apud Sinas falſæ Religionis ſectæ.

Capvt Decimvm.

EX omnibus Ethnicorum ſectis, quæ quidem in Europæ noſtræ notitiam deuenerunt, hactenus nullam legi, quæ in pauciores errores inciderit, quam Sinarum gens prioribus antiquitatis ſuæ ſeculis legitur incidiſſe. In illius quippe libris lego, Sinas iam inde ab initio ſupremum & vnũ numen adoraſſe, quod ipſi Cæli Regem appellabant, vel alio nomine cælum & terram: ex quo apparet, veteres Sinas opinatos fortaſſe Cælum ac terram animata, eorumq; animam pro ſupremo numine coluiſſe. Infra hoc numen colebant etiam varios ſpiritus montium, fluminum, & quatuor mundi partium tutelares; in omnibus actionibus rationis dictamen audiendum dictitabant, quod lumen rationis à cælo ſe accepiſſe fatebantur. De ſupremo vero illo numine, deque ſpiritibus illius miniſtris, nuſquã legimus Sinas ea vitiorum monſtra euulgaſſe, quæ noſtri Romani, Græci, Ægyptij, vitiorum patrocinium in dijs quærentes euulgarunt. Ex quo ſperari meritò poteſt de imenſa Dei bonitate, non paucos è veteribus apud Sinas in lege naturæ ſalutem inueniſſe, adiutos peculiari illo auxilio, quod nemini facienti quod in ſe eſt, vt aiunt Theologi, ſolet Deus denegare. Et hoc ex eorum annalibus ab annis quater mille & eo amplius licet non obſcure colligere, in quibus multa leguntur ab ijs bene geſta, in patriæ boniq; communis emolumentum. Idem colligitur è ſapientiſſimis voluminibus, quæ in hæc vſque tempora perſeuerant, antiquorum Philoſophorum, quibus homines ad virtutem ſaluberrimis erudiunt inſtitutis, qua in re celeberrimis noſtris Philoſophis cedere non videntur.

Numen vnũ adorant.

Spiritus tutelares colebant.

Non paucos in lege Naturæ ſalutem inueniſſe.

Quia vero natura corrupta ſine auxilio gratiæ ſemper in

peius

peius ruit, labentibus deinde ſæculis primum illud lumen ita obſcuratum eſt, vt ſi qui fortaſſe ab inanium Deorum cultu abſtinent, ex ijs pauci ſint, qui non in Atheiſmum lapſu grauiore degenerent. Hoc porro capite triplicem apud Sinas Ethnicorum omnium ſectam perſequar. Nam de Saracenis, Iudæisq; , & etiam Chriſtianorum apud Sinas veſtigijs alius erit ex inſtituto dicendi locus.

Tres igitur Sinarum libri orbis terrarum ſectas numerant: nam alias minimè norunt. Prima eſt Litteratorum, altera Sciequia, tertiam Laucu vocant. Ex his tribus aliquam Sinæ omnes, & reliqui populi contermini, qui Sinarum characteres habent, profitentur. ij vero populi ſunt Iapones, Coriani, Leuquici, Et Cocincinenſes. Litteratorum ſecta Sinarum eſt propria, & in hoc regno antiquiſſima; hæc Rempublicam gubernat; pluribus libris abundat, & ſupra cæteras celebratur. Legem huius ſectæ non eligunt Sinæ, ſed vna cum litterarum ſtudijs imbibunt, nec ex ijs, qui in litteris incumbunt, aut litterarios honores adipiſcuntur, ullus eſt, qui non eam profiteatur. Auctorem ſeu Principem Philoſophorũ Confutium, de quo ſuprà, agnoſcunt. Hæc porrò ſecta Idola non colit, ſed nec habet. Vnum Numen veneratur, ideo quod ab eo conſeruari gubernarique hæc inferiora omnia arbitretur. Spiritus etiam ſed inferiore cultu, & contractiore dominio colit. Germani litterati conditi orbis nec modum, nec auctorem, ſed neque tempus docent. Germanos ideo dixi, quia nonnulli minus celebres, ſomnia quædam proponunt, ſed nugacia, nec vero ſimilia, quibus etiam ideo nulla fides adhibetur.

Tres Sinarum ſectæ.

Prima Litteratorum ſecta Sinarum propria.

Vnum Numen colit, Idola nõ veneratur.

In hac lege de præmio bonorum ac malorum ſermo eſt, ſed ferè arbitrantur id in hac vita dari, & vel in auctorem, vel in eius poſteros, pro meritis, redundare. De animis immortalibus antiqui vix videntur dubitaſſe, nam de vita mortali

Præmia malorum & bonorũ dari in hac vita ſolum credunt.

functis, & in cælo degentibus, diu etiam poſt mortē, ſepè ſermonem inferunt, ſed de impiorum apud inferos pænis nullus ſermo. Recentiores porro litterati animos vna cum corporibus, aut paulo poſt extingui docent, vnde neque probis cælum, nec improbis inferorum cruciatus aſſignant. Quibusdam hoc nimis durum videtur; ideo aſſerunt ſolos proborum animos eſſe ſuperſtites, ex eo quod hominū animos dicant exercitio virtutum roborari, & ita vniri, vt ætatem deinde ferant, quod cum improbi non poſſint, eorum mentes mox, vt è corporibus exierint, euaneſcere, & velut in fumum redigi.

Vniuerſitatem hanc credunt ex vna ſubſtātia conſtare.

Opinio tamen hoc tempore celebrior videtur mihi ex Idolorum ſecta deprompta, & quinq; retro ſæculis inuecta. Ea aſſerit vniuerſitatem hanc ex vna eademq; conſtare ſubſtantia, illiusq; conditorem vna cum cælo ac terra, hominibus ac brutis, arboribus ac plantis, & quatuor denique elementis continuum corpus vnum conflare, cuius magni corporis ſingulæ res ſingula ſunt membra. Ex huius vnitate ſubſtantiæ docent, quo amore inter ſe ſingula vniri deceat; & quemlibet ad Dei ſimilitudinem deuenire poſſe ex eo, quod vnum ſit cum eo. has ineptias nos non ſolis rationibus, ſed & antiquorum ſuorum Sapientum teſtimonijs confutare contendimus, qui alia omnia tradiderunt.

Nullū templū Numini ædificāt, omnemq; ritū illud colendi excludūt

Tametſi Litterati vti diximus, ſupremum vnumq; numen agnoſcant, nullum tamen ei templum extruunt, & alium nullum locum deputant ad eum venerandum, nullos etiam, quod conſequens eſt, Sacerdotes aut Religionis miniſtros habent, ſolemnes ritus nullos ab omnibus obſeruandos, præcepta etiam nulla, quæ violare ſit nefas, ſed neque ſacrorum præfectus eſt vllus, cuius munus in explicanda euulgandaque lege, plectendisque ijs, qui contra eam peccauerint, conſiſtat. Ideo nihil illi vel priuatim vel publicè

recitant

recitant aut canunt. Imo aſſerunt ſolum huic cælorum Regi ſacrificandi, eiusq; colendi munus ad Regem ſpectare. Et ſi quis hæc ſacrificia vſurparet, pro perduelli & Regij muneris occupatore plecterentur. In hunc finem Rex duo habet templa ſanè magnifica in vtraque Regio, Nanquinenſi & Pequinenſi. Cælo dicatum eſt vnum, terræ alterum. in his olim ipſe per ſe litabat, nunc in eius locum Magiſtratus grauiſſimi ſucceſſere, cæloque & terræ boues & oues magno numero mactant, aliosque multos ritus exhibent. Spiritibus cæteris montium, fluminum, & quatuor regionum huius vniuerſi, ſoli litant Magiſtratus primarij regnique primores, nec priuato cuiquam hic cultus licet. Huius legis præcepta libro Tetrabiblio illo, & quinque doctrinarum voluminibus continentur, nec alij ſunt codices probati, præter aliquot in eadem volumina commentarios.

Sacrificandi munus ad ſolum Regem pertinet.

Nihil porro in hac ſecta celebrius eſt, quodque latius inter omnes, ab ipſo ſcilicet Rege ad infimum quemque pertingit, quam iuſta funebria, quibus quotannis Parentibus auisque parentatur, de quibus ſuprà. In his obſeruantiam ſuam ſtatuunt, mortuis ſcilicet obſequentes maioribus, vt aiunt, ac ſi eſſent ſuperſtites. Nec tamen arbitrantur, appoſitis mortuos veſci ferculis, aut ijs etiam indigere, ſed id genus officij ideo ſe exhibere aſſerunt, quod alia ratione nulla amorem in eos ſuum ſibi teſtari poſſe videantur. Imo etiam aſſerunt non pauci, ritus hos fuiſſe inſtitutos, magis in viuorum gratiam, quam mortuorum; vt ſcilicet filij & alij rudiores doceantur, qua ratione viuis parentibus obſequendum, quos viderint etiam vita functos à grauiſſimo & ſapientiſſimo quoque tot officijs honeſtari. Et quoniam in ijs nullam numinis partem agnoſcunt, nec ab ijs quicquã aut petunt aut ſperant, id videtur ab omni ſacrilegi cultus ſcelere

Cur mortuis fercula apponant.

alienum, & etiam fortaſſe ab omni ſuperſtitionis labe purum. quanquam ſalutarius omnino videtur, hæc in donandis eleemoſynæ nomine pauperibus ad fidelium ſalute, his qui Chriſti ſacra ſuſceperint, commutare.

Fanum ad honorem Confutij ſectæ Philoſophicæ authoris.

Proprium Litteratorum fanum eſt ipſius Confutij Philoſophorum Sinenſium Principis, id ei per leges in qualibet vrbe conſtruitur, eo in loco, quem ſuprà Litterarium ludum vocari diximus. Id magno ſumptu conſurgit, & contiguum habet palatium eius Magiſtratus, qui primum litterarũ gradum conſecutis præeſt. In celeberrimo fani loco ſtatua illius viſitur, aut eius loco nomen cubitalibus litteris aureis in pereleganti tabula deſcriptum; ad eius latus ſtatuæ adſtant quorundam eius diſcipulorum, quos Sinæ in Diuos, ſed inferioris ordinis, retulere. In hoc fanum nouilunio ac plenilunio quolibet, conueniunt Magiſtratus omnes vrbani, cum renunciatis Baccalaureis, Magiſtrum ſolitis inclinationibus, ac genuflexionibus, cereis etiam, ac ſuffitu veneraturi. Ijdem natali eius die quotannis recurrente, & alijs quibusdam temporibus ex more deputatis, fercula illi offerunt magno apparatu, gratiam ſe habere proteſtati doctrinæ, quam in eius libris repererunt, cuius maximè adminiculo doctrinæ gradus ipſi ſuos, & opimos in Republica Magiſtratus conſequuntur. nullas porro ei preces recitant, nec ab eo quicquam petunt aut ſperant, ad eum modum quo de vita functis iam explicatum.

Fana ſingularia ſpirituum.

Alia quoq; eiusdem ſectę fana viſuntur tutelaribus ſpiritibus vrbium ſingularum, & tribunalis cuiq; Magiſtratui propria. In eo ſacramento ſe ſolemni aſtringunt, ad ius fasq; ſeruandum, & officij ſui partes legitimè exequendum, id à quolibet Magiſtratu fit, cum primum dignitatem adit, quod hic ſigillum accipere vocamus. His etiam fercula offerunt, & odores incendunt; ſed non eodem, quo ſuprà cultu, nam in his

his agnoſcunt periuros plectendi, proboſq; remunerandi diuinam quandam ineſſe facultatem.

Huius litteratorum ſectæ ſcopus, in quem omnis eius inſtitutio collimat, eſt pax publica, & Reipublicæ quies, Oeconomica etiam familiarum, & priuata ſingulorum ad virtutem compoſitio. quem in finem accommodata ſanè præcepta tradunt, eaq; omnia innato nobis lumini, Chriſtianæq; conſona veritati. Celebrantur ab ijs quinq; combinationes, quibus omnis humanorum officiorum diſciplina continetur. Eæ ſunt patris ac filij, mariti & vxoris, domini & clientis, fratrum inter ſe maiorum ac minorum, ſociorum deniq; aut æqualium. has combinationes ipſi ſoli ſe aſſecutos putant, & eas ab externis populis aut neſciri aut negligi arbitrantur.

Litteratorum ſectæ finis ac ſcopus.

Cælibatum damnant, polygamiam permittunt. Explicatiſſimum habent in ſuis libris alterum præceptum Charitatis; Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, &c. Mirum quam altè euehant liberorum in parentes pietatem & obſeruantiam, nec minus clientum in dominos fidem, & minorum erga maiores venerationem. Porro quia nihil eorũ vetent aut iubeant, quæ de altera vita ad ſalutem neceſſario credenda ſunt, multi cum hac ſua ſecta reliquas duas miſcent, & magnam ſibi videntur aſſumpſiſſe religionẽ, ſi nullam reſpuerint falſitatem, hanc illi ſectam eſſe negant, ſed academiam quandã ad Reipub: moderamen inſtitutam. Et ſanè tantum abeſt, ut huius academiæ ſtatuta (ſublatis perpaucis) à Chriſti religione diſſideant, vt etiam ab eadem plurimum adiumenti capiat & perficiatur.

Altera Sinarum ſecta Sciequia vel Omitoſe appellatur; apud Iapones verò Sciacca & Amidabu nuncupatur. Characteres utriſq; ſunt ijdem. Eadem etiam Totoqui lex ab Iaponibus dicitur. Lex hæc ad Sinas peruenit ab occaſu, importata è regno cui Thiencio, vel Scinto nomen eſt, quę regna ho-

Altera Sinarum ſecta.

die vno Indoſtanis nomine appellantur, intra flumina Indum & Gangem ſita. Peruenit autem ſalutis humanæ anno quinto & ſexageſimo. Et ſcriptum reperio Regem ipſum Sinarum & legatos miſiſſe, ſomnio inductum vt id faceret. Ex eo regno libros in Sinarum regnum attulere Legati, & interpretes adduxere, à quibus deinde hi libri in Sinicum ſermonem translati ſunt: huius enim ſectæ authores, non aduenerunt, ſiquidem ſuperſtites tum non fuerint. Ex quo cum conſtet, hoc dogma ab Sinis ad Iapones migraſſe, non ſatis intelligo, quam verè Iaponienſes huius dogmatis ſectarij aſſerant, eó ipſos Sciacca & Amidaba penetraſſe, & è Regno Siam originem habuiſſe, hoc enim regnum nullo tempore Sinis ignotum, manifeſtum fit ex ipſis huius dogmatis ſectariorum libris, longè ab eo diſtare, quod ipſi Thiencie vocant.

Quo tempore hæc altera ſecta Sinas penetrauit.

Ex his patet hoc dogma eo tempore ad Sinas penetraſſe, quo Euangelium Apoſtolis præconibus mundo innoteſcebat; In india ſuperiore, quæ eſt illud ipſum Indoſtanis regnũ, & alia conterminatum D. Bartholomæus Apoſtolus legem Euangelicã euulgabat: Apoſtolus vero Thomas in India inferiore ad Auſtrũ Euangelicos radios inferebat. Vnde videri poſſunt Sinæ Euangelicæ veritatis fama permotos, eam ab occaſu expetijſſe, ſed vel Legatorũ errore, vel locorum ad quæ perueniebant maleuolentia, pro veritate falſitatẽ importatã accepiſſe.

Dogmata & ritus huius ſectæ Sciequiæ & Omitoſæ.

Auctores huius dogmatis videri poſſunt noſtratium Philoſophorum nonnulla dogmata conſecuti, nam quatuor aſſerunt elementa, Sinæ autem ſatis ineptè quinque adſtruunt; Ignem, aquam, terram, metalla, & lignum, ex quibus hunc elementarem orbem, homines, bruta, plantas, & cætera mixta conſtare opinantur. Multiplices cum Democrito & alijs, mundos fabricat, ſed maximè animorum transmigrationem è Pythagoræ diſciplina videntur mutuati, aliaq; permulta cõmenta huic addidere ad fucum falſitatis. Hæc autẽ non ſolum

à Philo-

à Philoſophis noſtris; ſed etiam ex Euangelica luce videntur vmbram quandam accepiſſe. Certum enim Triadis modum inducit, quo tres Deos, in vnum deinde numen coaleſcere, fabulatur. Probis in cælo præmia, improbis apud inferos pænas de ſeipſo repetentis virtutem celebrat. Cęlibatum ita extollit, vt nuptias repudiare videatur. Domo ac familiaribus valefaciunt, & in varia loca ſtipitem emendicantes, peregrinantur. Magnum huius ſectæ profani ritus, cum Eccleſiaſticis noſtris affinitatem habent. Recitantium cantus à noſtro quem Gregorianum vocamus, nihil dicas diſcrepare. In ſuis etiam fanis imagines exponunt. Eorum ſacrificuli veſtes induunt noſtris omnino ſimillimas, quas Eccleſiaſtico vocabulo pluuialia vocamus. Inter recitandum ſæpè nomē quoddam repetunt, quod etiam ipſi fatentur ignorare; illud Tolome ſonat, videntur fortaſſe ſectam ſuam Apoſtoli auctoritate voluiſſe cohoneſtare.

Sed hanc veritatis vmbram teterrimæ mendaciorum nebulę extinxerunt. Terram enim ac cælum, præmiorum pęnarumque locum confuderunt, in neutro quippe animas æternitati addixere; ſed eas poſt aliquot annorum ſpatia denue renaſci iubent, in aliquo ex ijs quos plures ſtatuunt terrarum orbe, ijſque tum præteritorum ſcelerum pænitentiam indulgent, ſi ſe correxerint, & id genus alia, quibus hoc miſerum regnum mirè afflixerunt. Carnium vſum & reliquorum viuentium à menſis remouent, ſed pauci hanc ſibi abſtinentiam indicunt, & facile his cæteriſque peccatis reos abſoluunt, ſi ſe aliqua ſtipe donauerint, imo ſuis ſe recitationibus, quos voluerint ab inferorum tormentis eripere ſe poſſe promittunt.

Hanc ſectam legimus initio magno applauſu inuehi cæptā, ex eo maxime quod animum im̄ortalem & alterius vitæ præmia clarè proponeret. Sed ut rectè Sinenſes eius temporis litterati

Huius ſectæ confuſio.

litterati notant, quanto propius reliquis hæc ſecta ad veritatis ſpeciem accedit, tanto ſuis impoſturis fædiorem luem ſine ſenſu euulgauit. Sed nihil æque auctoritatem eius ſectæ labefactauit, quam id quod ſæpè Litterati Sectarijs obijciunt, eum Regem & Principes qui primi hęc dogmata complexi ſunt, morte violenta miſerabiliter perijſſe, ceteraq; omnia in peius ruiſſe, & pro bona fortuna quam plenis buccis promittunt, in varia infortunia publicasq; calamitates incidiſſe. Ac his initijs ad hæc vſq; tempora, vario velut ſæculorum æſtu hæc ſecta excreuit ac decreuit, ſed tamen librorum ſemper multitudine aucta eſt, ſiue ij ab occaſu recens adueniebant, ſiue in ipſo Sinarum regno, (quod vero ſimilius eſt) naſcebantur, hoc fomite ſemper hoc incendium vixit, nec vnquam extingui potuit. Sed ex ipſa librorum varietate tantæ paulatim doctrinæ tricæ implexæ ſunt, vt eas ne ipſi quidem qui eam profitentur valeant extricare. Antiquitatis porro veſtigia hodieq; ſuperſunt, in fanorum multitudine, & pleraq; ſumptuoſa. In quibus immania Idolorum monſtra ærea, marmorea, lignea, luteaq; viſuntur, his fanis contiguæ turres aſſurgunt, è lapide, vel latere, in ijsq; æra campana ingentia, aliaq; magni pretij ornamenta hodieq; conſeruantur.

Authoritas ſectæ labefactata.

Huius ſectæ ſacrificuli Oſciami appellantur, cæſariem ac barbam continuò radunt, contra receptum gentis morem, partim vt dixi peregrinantur, partim in montibus ac ſpeluncis aſperrimam vitam degunt, maxima verò pars eorum, qui ad duos trésue milliones, vt Arithmeticè loquar, accedunt, in fanorum cænobijs degunt, aſſignatisq; iam olim prouentibus & eleemoſynis ſuſtentantur, tametſi ſua quoque induſtria ſibi victum parent. Hi ſacrificuli & ſunt & habentur, viliſſimi, ſimul ac totius regni vitioſiſſimi. omnes enim ex infima plebecula trahunt originem; nam à puero Oſciamis antiquioribus in ſeruos venditi, diſcipuli è ſeruis fiunt, & Magiſtris in

Sacrificuli huius ſectæ.

Sacrificulorũ origo & mores

efficio

officio beneficioq; ſuccedunt, quam illi rationem ad ſeipſos propagandos inuenerunt. vix enim vllus reperitur, qui ſua ſe voluntate, ſanctioris vitæ ſtudio ad impuriſſimos illos cænobitas adiungat. Ex imperitia quoque & illiberali educatione Magiſtris ſimillimi, & quæ naturæ ad malum pronitas eſt, indies peiores euadunt. ita ipſi neque politiores ritus, aut litteras aſſequuntur, niſi forte nonnulli, ſed ij perpauci, qui natura propenſiores in litteras, nonnihil propria fere induſtria conſequuntur. Vxoribus licet careant, in venerem tamen adeò proni ſunt, vt à turpi mulierum conſuetudine niſi grauiſſimis pœnis arceri queant.

Oſciamorum cænobia in varias ſtationes diuiduntur, pro magnitudine ſingulorum, in ſingulis ſtationibus vnus eſt illius adminiſtrator perpetuus, cui ſui diſcipuli quos quisq; ſibi in ſeruos coëmit, quot vult aut poteſt educare, hæreditario iure ſuccedunt. Superiorem in ijs cænobijs nullum agnoſcunt. In propria ſibiq; deſignata ſtatione, quisq; quot poteſt cellulas extruit, id quidem toto regno, ſed in aula maximè, eas deinde cellulas habitandas pretio quæſtuq; magno locant aduenis, qui ad ſua negotia conueniunt, vnde fit, vt hæc cænobia publica potius hoſpitia magno aduentantium tumultu inquieta videantur, in quibus nihil minus quam Idolorum cultus procuratur, aut nefaria ſecta explicatur. Cœnobia Oſciamorum.

Horum conditio, quantumuis vilis & abiecta, non impedit, quo minus à multis ad exequias, alioſque ritus nonnullos quibus animantia fera, volatilia vel terreſtria, vel etiam aquatica, libertate donantur, lucelli alicuius faciendi gratia, euocẽtur. Ea quidam religioſiores huius dogmatis ſectarij viua coëmunt, vt ea denique in aerem, campos, & aquas, libera dimittant, arbitrati ea re ſe multum promereri.

His porro noſtris temporibus, non parum hæc ſecta reuixit, cui templa multa inſtaurata vel erecta; eius cultores ferè

ſunt Eunuchi, fæminæ & rude vulgus, præ omnibus vero quidam, qui ſe religioſiores huius dogmatis obſeruatores profitentur, quos Ciaicum, hoc eſt, ieiunatores dixeris, nam domi ſuæ per vniuerſam vitã carne & piſcibus abſtinent, & idolorum turbam ſtatis adhibitis precibus domi colunt, & ne vſquam lucri ſpes abſit, in aliorum ædes præmio ad recitandum inuitati euocantur.

Tertia Sinarũ ſecta Lauzu.

Ab hac cænobiorum ratione fæminæ à viris ſeparatę, non excluduntur, eæ capillitium quoq; radunt, & nuptias repudiant: has Sinæ ſua lingua Nicu appellãt, ſed eæ nec multũ ſimul veniunt, & ſi cũ viris conferãtur, multitudine longè ſuperãtur.

Venio nunc ad tertium profanæ Religionis dogma, ꝙ Lauzu appellatur, à Philoſopho quodã, qui eodẽ cum Confutio tempore floruit, originẽ traxit. Eum fingunt annis 80. in parentis aluo geſtatũ, priusquã naſceretur, qua ex cauſa Lauzu, id eſt, Philoſophus ſenex appellatur. hic dogmatis ſui librum nullũ reliquit. nec videtur nouum dogma inſtituere voluiſſe, Sed eum extinctũ, ſectarij quidã Tauſa vocant, ſectæ caput appellarunt, & varios libros è varijs ſectis & commentis ſtylo pereleganti conciñarunt. Degunt hi in ſuis quoq; cænobijs cælibes, diſcipulorũ emptores, æquè abiecti, & improbi, ut ij, de quib⁹ ſuprà diximns. Capillũ minimè radunt, & eundem inſtar laicorũ nutriunt, hoc ſolo ab ijs diſtincti, quod ad nodũ, quo crinẽ in vertice colligunt, pileolũ ligneũ geſtant. Alij ſunt etiã qui coniugio illati, domi ſuę religioſiorem ſectæ obſeruationem profitentur, ſtataſq; ſibi preces alijſq; recitantes.

Dogmata terciæ ſectæ.

Aſſerunt iſti, ſe inter reliqua inanium Deorum ſimulacra, Cæli quoq; Dominũ venerari, ſed corporeum illũ, & cui indigna multa contigiſſe, ipſi etiam in ſuis libris, delirant, quę deliria narrarem, niſi eſſent ab inſtituto meo aliena, ſed tamen ex vno cætera licebit coniectare. Fabulantur Cæli Regẽ, qui nunc regnat cognomine Ciam appellari, nam qui prius

impera-

imperabat,Leu dicebatur. hic die quadã in terras venerat ſuper Candido Dracone obſequitans, Eum Ciam, quem coniectorem fuiſſe dicunt, conuiuio excepit,interim vero dum Leu epulabatur in Candidũ Draconẽ conſcendit, à quo in cælum euectus cæleſte regnum occupauit, & reuerti conantem Leu in perpetuum excluſit, ſed tamen à nouo cæli Rege impetrauit, vt monti cuidam in hoc regno præſideret, vbi eum viuere nunc aſſerunt antiqua exutum dignitate, atque ita illi ipſi ſe regni alieni inuaſorem ac tyrannum pro Deo venerari profitentur.

Præter hoc cæli numen, triplex aliud effingunt, quorum vnum ipſum Lauzu ſectæ caput faciunt: atque ita hę duæ ſectæ ternarium Deorum ſuo quæq; modo ſibi fingunt, vt appareat ipſum falſitatis parentem, auctorem vtriusq;, nondum ambitioſam de diuina ſimilitudine cupiditatem depoſuiſſe. Hæc etiam ſecta de præmiorum ac pænarum locis agit, ſed in loquendi modo diſcrepant non parum à ſuperioribus. Hi enim ſuis paradiſum ſpondent ex anima ſimul & corpore conſtitutis, & in ſuis templis quorundam effigies exponunt, quos hac ratione in cælum euolaſſe fabulantur. Ad eam rem conſequẽdam exercitationes quasdam prę́ſcribunt; poſitas in vario ſedendi ſitu, certisq; precationibus, imo etiam Pharmacis, quibus ſpondent vna cum ſuorum Diuorum fauore vitam poſſe ſectarios conſequi immortalem in cælis, aut vt minimum vitam in mortali corpore longiorem. Ex quibus facilè ſectæ vanitas, & delirantium improbitas colligitur. Triplex aliud numen præter vnum cæli numen effingũt.

Huius ſectæ ſacrificulorum peculiare munus eſt Dæmones impijs precationibus è domibus pellere, Idq; duobus modis tentare ſolent; nam horrenda Dæmoniorum monſtra in flaua papyro atramento delineata, domorum parietibus affigenda tradunt, inde tam inconditis clamoribus domos complent, vt ipſa dęmonia eſſe videantur. Officia ſacrificulorum terti æ ſectæ.

Aliud etiam ſibi munus arrogant, nam è ſicco cælo imbres elicere, aut nimios continere, alia quoque priuata & publica infortunia ſe poſſe promittunt. Et quidem ſi quod ſpondent re ipſa præſtarent, haberent qui ſe decipi ſinunt, quo culpam eleuarent; ſed cum omnia impudentiſſimi impoſtores mentiantur, neſcio quid homines non ſtupidi prætexere poſſint aut cauſari. Et ſanè, niſi quæ narrant, omnia vno mendacij nomine inuoluamus, videtur, ex ijs aliquos magicæ artis præſtigias aſſecutos.

In Regijs cæli ac terræ fanis hi ſacrificuli reſident, & regijs ſacrificijs adſunt, ſiue ea Rex ipſe per ſe, ſiue per nominatos Magiſtratus exequatur, qua re vna non mediocrem auctoritatem adipiſcuntur. horum ſacrificiorum muſicos concentus ipſi ex omnibus inſtrumentis apud Sinas receptis concinant, quæ ſi ſimul pulſentur, abſona Europæis aureis videntur. Euocantur etiam ad exequias, ad quas pretioſis induti veſtibus procedunt, tibias & alia muſica inſtrumenta pulſantes, nouas etiam ædes conſecraturi, & ſupplicantium pompam per vicos ducturi accerſuntur. Has pompas communi viciniæ ſumptu vicorum capita certis temporibus inſtituunt.

Origo tertiæ ſectæ à Mago.

Hæc ſecta prælatum agnoſcit, cui cognomen eſt Ciam, quam ille dignitatem hæreditario in poſteros iure à mille iam annis ad hæc vſque tempora transmiſit. Et videtur hæc dignitas originem traxiſſe à Mago quodam, qui in ſpelunca quadam Quiamſinenſis prouinciæ degebat, in qua hodieq; illius poſteri degunt, & artis ſuæ preſtigias, ſi vera ſunt quæ narnarrantur in liberos deriuant, Hic eorũ Antiſtes, maximam partem Pequini degit, & à Rege colitur. nam ab eo in intimum palatium penetralia conſecraturus admittitur, ſi forte ſuſpicio eſt, à malignis ea ſpiritibus infeſtari. Per Vrbem patente ſella geſtatur, & reliquum apparatum præfert, quem

ſummi

ſummi Magiſtratus ſolent, prouentumq; annuum ab Rege opimum accipit. Verum è quodam Neophyto noſtro accepi, horum temporum prælatos ita imperitos eſſe, vt ne ſacrilega quidem ſua carmina, ritusq; norint. Eius porro velut præſulis facultas in plebem nulla eſt, ſed in ſolos Tauſus dogmatis miniſtellos, & in eorum cænobia ſupremam exercet poteſtatem. Ex his porro cænobitis pleriq;, vt longioris vitæ præcepta conſectantur, ita Alchimiſticis conflationibus inſudant exemplo ſanctorum ſuorum, quos ipſi artis vtriusque præcepta tradidiſſe commemorant.

Atque hæc ſunt tria fere Gentilicæ ſuperſtitionis capita. Sed neque in his humani generis vanitas conquieſcit, ſinguli enim fontes labentibus paulatim ſeculis, à fraudum Magiſtris in tot Mæandros deriuati ſunt, vt ſub triplici nomine trecentæ mihi ſectæ inter ſe diſcrepantes numerari poſſe videãtur. ſed & hæ quotidianis incrementis augentur, & in peius ruunt, corruptioribus indies legibus, quibus inuentores malorum viuendi licentiam ſe laxare profitentur.

Triplex hæc ſecta incremẽtis augetur indies.

Huius familiæ, quæ nunc imperat caput, Humuvus lege lata ſanxit, vti tres illæ leges ad regni auxiliũ conſeruarentur, quod fecit vt ſectariorũ omnium animos ſibi conciliaret, ſed ea tamen cõditione vt Litteratorũ dogma Reipublicæ adminiſtrationem gereret, ac cæteris præeſſet. Hinc fit vt nulla ſectarum aliam extinguere meditetur. Reges quidem ſingulas ſectas colunt, & eas adhibent ad res ſuas cum opus eſt, ſingularum templa ſæpe inſtaurat, vetera & noua erigit. Regiæ vero vxores in idolorum ſectam ſunt omnino propenſiores, & in eorum miniſtros multas eleemoſynas conferunt, integraq; alunt cænobia extra palatij fines, vt eorum precibus adiuuentur.

A Regibus & Reginis ſectæ coluntur.

Vnum incredibile videri poteſt, ſimulacrorum nempe in hoc regno multitudo non in fanis ſolum viſitur, quæ ſæpè

Idolorũ multitudo viſitur.

aliquot millia colenda exponunt, ſed priuatis etiam in ædibus ferè ſingulis, loco iam gentis more ad eam rem deputato, in foro, in vicis, in nauigijs, palatijsq; publicis, hæc vna abominatio pæne primo ſe ſpectandam offert. Et tamen omnino certum eſt perpaucos eſſe, qui portentoſis ſimulacrorum commentis fidem habeant, ſed hoc ſolum ſibi perſuadent, vt ſi nihil ex hoc externo idolorũ cultu boni accipient, nihil ſibi tamen inde mali poſſe prouenire.

Porro his temporibꝰ ſapientiſſimi cuiusq; hęc eſt receptiſſima ſententia; tres has leges in vnã coaleſcere, ac ſimul omnes obſeruari poſſe ac debere. quare nõ ipſi ſe minus quã ceteros perturbatiſſime in fraudem inducunt, arbitrati has de Religione quęſtiones eo vtilitati publicæ vtiliores, quo plures fuerint de ea loquendi modi. Et ad extremũ alia omnia quã quæ ſperauerant conſequuntur, dum enim tres illas leges ſe ſimul omnes obſeruare poſſe confidunt, exleges eſſe reperiuntur, cum nullam ſyncerè perſequantur; atq; ita non pauci tandem ſuam ingenue irreligionem agnoſcunt, & qui falſa credulitate ſeipſos fallunt, æquè omnes maximam partem in errorum profundiſſimo Atheiſmo verſantur.

De Saracenis ac Iudæis ac fidei demum Chriſtianæ apud Sinas veſtigiis.

Capvt Vndecimvm.

SVperiori capite Gentilicos Sinarum ritus ac ſectas, genti proprias, aut iam pro proprijs habitas, expoſuimus nunc de ijs agam, quæ ab Sinis externæ & peregrinæ habentur, aliquã vero vnius ac veri Numinis notitiã habuerunt. De Saracenis primũ, de Iudæis deinde, ad extremũ de veritatis Chriſtianæ veſtigijs loquar, & quidẽ eo conſilio vt illatã hoc noſtro ſeculo in Sinas Euangelij lucem cum antiquitatis ſerie ſequentibus libris nulla deinceps interruptione coniungam.

In

In Sinarum regnum ab occaſu è Perſide, quo nomine Mogores & alia regna quæ perſicum Idioma callent compræhendo, multi varijs temporibus Mahometanæ impietatis ſectatores penetrarunt. Et quidem eo maximè tempore, quo Tartari Sinis imperitabant magno numero videntur irrupſiſſe, tum enim aduenis ab ea parte liber erat in hæc regna ingreſſus. Quin etiam ad hanc vſque diem quotannis pauci Legationem è Perſide mentiti negotiatores cõmeant, & ex ijs aliqui ſemper alijs ſeſe Saracenis clam aggregant, quanquã magna cura Magiſtratuum omnes in patriam remittuntur. Sed de his infrà latius cum de vnius è noſtra Societate peregrinatione in Catayum, id eſt, Sinarum regnum agendi erit locus. Saracenorum ingreſſus in Sinas.

His igitur Saracenis qualibet tandem via aduenerint (externi enim ſunt omnes, exceptis omnino perpaucis) plena hodie ſunt omnia. nam liberorum ſerie in eam multitudinem excreuerunt, vt hodie permulta familiarum millia numerentur in ſingulas fere prouincias & primarias quasque vrbes diſperſa. In his templa ſua habent magno ſumptu extructa, in quibus preces ſtatas recitant, liberos circumcidunt, & alios ritus ſuos peragunt. Sed quod quidem hactenus ſcire potuimus, neque ſuas ineptias euulgant, aut euulgare laborant, ſed viuunt omnino quoad cætera Sinicis legibus, niſi quod porcina abſtinent, & ſuorum dogmatum ſunt etiam non parum imperiti, & ab Sinis ferè contemnuntur. Nunc tamen pro indigenis habentur, nec ſiniſtram de ijs ſuſpicionem, vt de cæteris aduenis concipiunt. Imo ad Litterarum ſtudia & gradus publicos etiam Magiſtratus nullo diſcrimine admittuntur. Ex ijs autem plurimi ſi Sinenſium litterarum gradum aſſequuntur, etiam legem auitam deſerunt, nec de ea quicquam retinent præter ſuillæ carnis abſtinentiam, à qua natura abhorrent potius, quam religionis intuitu abſtinent. Saracenorum multitudo. Saraceni ad gradus admittuntur.

Annis

Annis quoque ſuperioribus Iudæam etiam fæcem in hæc regna confluxiſſe deprehendimus, id maximè conſtitit ex eo quod nunc ſum narraturus. Cum iam Societas noſtra annis aliquot in Pequinenſi Regia ſedem fixiſſet, vt infrà ſuo loco narrabitur, Iudæus quidam natione & profeſſione ad P. Matthæum Ricium viſitandũ venit, fama illius permotus, de quo ac reliquis ſocijs multa legerat in libro quodam de rebus Europæis à Sinenſi quodam Doctore conſcripto. Is in Prouincia Honan, in eius metropoli Chaifamfu natus Ngai cognomẽto dicebatur, & iam in Licentiatorum ordinem adſcriptus ad ſolita Doctoratus examina Pequinum aduolarat. Iudæus igitur quoniam eo in libro legerat, noſtros minime eſſe Saracenos, & aliud nullum numen noſſe, præter cæli terræq; Dominũ, nihil omnino dubitauit, noſtros eſſe legis Moſaicæ profeſſores. Ingreſſus igitur ædes noſtras alacri vultu, ſe legem cum noſtris vnam profiteri aiebat. Et ſanè naribus, & oculis, & reliquis oris lineamentis, externam ſpeciem Sinis abſimilem omnino præferebat.

Iudæorum ingreſſus.

Ergo eum P. Matthæus Ricius in ædem ſacram deducit, in aram expoſita erat effigies Deiparæ & pueruli IESV, quem S. Ioannes Præcurſor flexis genibus adorabat. Erat enim is dies D. Ioanni Baptiſtæ ſacer, & quoniam Iudæus nihil omnino de noſtra profeſſione ambigebat, nihil dubitauit eam eſſe Rebeccæ effigiem, puerulos vero Iacob & Eſau, & ita ſupplex imaginem eſt veneratus, præfatus primum ſe imaginẽ nullam venerari ſolere, ſed hos tamen ſe gentis ſuæ parentes nõ poſſe nõ honorare. Ex vtroq; aræ latere quatuor Euangelij ſcriptorum effigies expoſitæ erant, ſciſcitatur ergo Iudæus, eſſentne hi quatuor è duodecim eius filijs, qui in ara viſebãtur, annuit Pater, arbitratus eum de duodecim Apoſtolis loqui, alter enim de altero, id quod non erat ſentiebat. Inde hominem in cubiculum ſeductum interrogare cæpit accuratius, qui eſſet, & paulatim

Iudæus cum P. Matthæo Ricio verſatur.

latim

latim intelligere cæpit antiquæ legis eſſe profeſſorem. Ipſe porro Iudæi nomen ignorabat, ſed ſe tamen Iſraelitam eſſe fatebatur. Vnde conijcere licet decem tribuum diſperſionem in Orientis extremos fines penetraſſe. Regia deinde Biblia Plantinianis typis excuſa vidit, & vt aperuit Hebræos Characteres agnouit, tametſi eos legere non poterat.

Ex hoc audierũt noſtri, in ea quam dixi metropoli, decem duodecimue Iſraelitarum eſſe familias, & Synagogam perelegantem, quam nuper decem aureorum millibus inſtaurarant. In ea ſe quinque libros Moyſis, videlicet pentateuchum voluminibus inuolutis magna veneratione annos iam quingentos aut ſexcentos aſſeruare. Aſſerebat etiam in Chequianæ prouinciç Metropoli Hamcheu nomine longè plures eſſe cum ſua quoq; Sinagoga, familias. Et alibi quoque non paucos, ſed ſine Synagoga degere, eo quod paulatim extinguantur.

Multas ille ex veteri inſtrumento narrabat hiſtorias, quales de Abrahamo, Iudita, Mardochæo, Heſtere narrantur, ſed in efferendis nominibus à noſtris ſono non parum differebat, ac fortaſſe propius ad antiquitatem accedebat. Hieruſalem enim Hieruſoloim, & quem Meſſiam vocamus, ille Moſciam appellabat, Aſſerebat aliquos inter ſuos contribules Hebræi ſermonis eſſe non imperitos, & inter eos fratrem ſuum, ſe vero quoniam à puero litteris Sinenſibus inſudarat, id ſtudij genus neglexiſſe, nec obſcurè ſignificabat, ſe ex eo quod Sinenſia ſtudioſius amplecteretur, Litteratorum inſtituta, ab Archiſynagogo ſuorum cætibus indignum prope iudicatum, de quo nihil admodum laborabat, ſi Doctoratus gradum adipiſceretur, hoc enim ipſum etiam Saraceni faciunt, neque enim tum ſectæ præſulem verentur.

Idem de Chriſtianorum quoq; reliquijs patrem certiorem fecit, de quo mox: nunc ſolum de Iudæis. Triennio ergo

poſt, neque enim citius licuit, P. Matthæus Ricius vnum è noſtris fratribus Sinam natione, in eam metropolim miſit, vt inueſtigaret, quam vera Iſraelita ille retuliſſet, ac de Iudæis quidē omnia reperit, vt dixerat; Exſcribi etiam ſibi fecit initia librorum, & fines quos in ſua Synagoga aſſeruabant, hæc deinde cum pentateucho noſtro contulimus, & eadem eſſe reperimus, & eosdē characteres, niſi quod antiquo more punctis carerent. Per eundem Fratrem noſtrum, Pater Mathæus Ricius litteras ad Archiſynagogum Sinicè ſcriptas tranſmiſerat, quibus aſſerebat ſe Pequini omnes omnino veteris inſtrumenti libros domi habere, ſed & noui teſtamenti codices, qui res à Meſſia geſtas continebant, eum enim iam aduéniſſe affirmabat. Hic inſtitit Archiſynagogus aſſerens, Meſſiam poſt decem annorum millia non ante venturum. Idem reſcripſit quoniam de eius virtute multa famæ teſtimonio inaudiſſent, ſi à ſuilla abſtinere vellet, & ad ſe migrare, ſe illi Archiſynagogi dignitatem delaturos.

Chriſtianorū veſtigia explorantur à noſtro.

Poſtmodū alij tres ex eadem ciuitate Iudæi Pequinum venerunt, ita ad Chriſti fidem ſuſcipiendā comparati, vt ſi per negocia dies ibi paucos ſubſiſtere licuiſſet, baptiſmo initiari potuiſſe viderentur. Ex his vnus erat prioris ex fratre nepos, hos Patres noſtri perhumanè exceptos multa docuerūt, quæ ipſi etiam eorum Rabbini ignorabant. Et de aduentu Meſſiæ edocti eius effigiem, in ara expoſitam ſinguli adorarunt, quo ritu ſolet ab ipſis Chriſtianis fieri. Doctrinę Chriſtianæ compendium, & alios de noſtræ fidei rebus libros iam Sinicè loquentes à noſtris acceperant, & ad ſuos detulerunt. Hi tres de ſua lege multa querebantur, eam ad interitum vergere patrij iam ſermonis ignorantia, & breui ſe futuros omnes aut Saracenos aut Ethnicos. Dicebant Archiſynagogum illum iam ætatis vitio perijſſe, filium hæreditario iure Parenti ſuffectum iuuenem, & ſuæ legis eſſe omnino imperitum. Querebantur-

Tres Iudæi à noſtris Patribus in fidei noſtræ myſterijs erudiuntur.

rebantur etiam turpe ſibi videri in per elegãti templo nullam ſe imaginem habere, ſed neque domi in priuatis oratorijs. q̃ ſi Chriſti Seruatoris effigiem ſui, in ſuo templo conſpexiſſent, magnopere ad Religionis ſtudium incenſum iri. Maximè verò querebũtur interdici ſibi eius animalis eſum, quod ipſi ſua manu minimè mactaſſent, id ſi in hoc itinere obſeruaſſent, iam fame illos perituros fuiſſe. Infantes etiam octauo die circũcidere, videri vxoribus ſuis Ethnicisq́; propinquis inſtitutũ eſſe barbarum & crudele; quod ſi per legem noſtram omittere liceret, facile ſe eam ſuſcepturos, nec admodum in ſuilla carnis abſtinentia pugnaturos. Atque hæc ferè ſunt quæ de Iudæis hactenus explorata comperimus.

Nunc ad Chriſtianæ veritatis reliquias colligendas & perſequenda veſtigia eo me libentius accingo, quod id Europæis noſtris ſcio fore gratiſſimum. Ex eodem Iudæo, alijsq́; indicijs, id annis ſuperioribus accepimus. Cum iam apertè P. Matthæo Ricio conſtitit Licentiatũ illum Sinenſem eſſe legis antiquæ profeſſorem, ad aliquod apertius quàm quod eatenus habebamus, rei Chriſtianę veſtigium depręhendendum animum applicuit, Et quidẽ quamdiu hoc eos nomine appellauit, nihil aſſecutus eſt, ſed paulatim varijs eos legis dogmatis deſcribens, vbi de Cruce ſermonẽ miſcuit, q̃ maximè optabat, eſt aſſecutus. Apud Sinas Crucis nullus eſt vſus, & ideo neque nomen, quã ob rem noſtri, nomen illi Sinicũ impoſuerũt, illud à charactere, qui denariũ numerũ ſignificat & perfectam Crucem hoc ſigno ✠ exprimit, mutuati. Et fortaſſe non ſine numine accidit, vt idem hodie noſtri Cruci nomẽ imponeret, quod veteres olim apud Sinas eadẽ ſermonis penuria cõpulſi iam ante indiderant. Vtriq; enim Scie cu, id eſt, denarij numeri characterem appellarunt: nec in eo ſacrarũ litterarum exemplo, à quibus littera T deſignatur, diſceſſerunt, perfectiorem etiam Crucis figuram mutuati.

Veſtigia Chriſtianæ veritatis deprænhenduntur a P. Ricio.

Cruci nomen impoſitum.

Cum igitur de Cruce hoc nomine appellata ſermo illatus eſſet, Iſraelita ille narrauit, In metropoli Caifum fu eius patria & in alio emporio celeberrimo Lincino nomine Prouinciæ Sciantum; & in Scianſi prouincia externos quoſdam viuere, quorum maiores è regnis aduenerant, eos eſſe Crucis adoratores, eamq; ſolere in cibo potuq; digito exprimere, ſed neque ſe neque illos arbitrari ſcire, cur eum ritum adhibeant. Hoc Iſraelitæ teſtimonium cum eo conſentiebat, quod iam diu ex varijs Patres audierant de eodem Crucis exprimendæ ritu varijs in locis vſurpato. Imo infantibus in fronte characterem eundem ſalutaris ſigni atramento exprimi cõtra puerilia infortunia. Cum his quoq; conſentit id quod Hieronymus Ruſellus in commentarijs ad coſmographiam Ptolomæi cum de Sinis loquitur, annotauerat. Et quoniam de Cruce apud Sinas agimus, omitti minimè debet aliud eius veſtigium. Vidit vnus è noſtris Patribus in antiquarij manibus venalem nolam ex ære campano perelegantem, in cuius apice ſacra ædicula inſculpta erat, & ex aduerſo ædiculæ Crux, in circuitu vero græci aliquot Characteres. Comparare ſibi eam voluit qui vidit, ſed in pretio minimè conuentum, nec vnquam poſtea ad exſcribendos illos characteres antiquarius ille comparuit.

Crucis adoratores.

Veſtigiũ Crucis aliud.

Addebat idem ille Iſraelita, illos ipſos Crucis adoratores doctrinæ partem quam ipſi precationum loco recitabant, è ſuis ipſorum libris deſumi & vtriſq; eſſe communem, fortaſſe Dauidicum pſalterium intelligebat. Hos aſſerebat fuiſſe permultos in Aquilonaribus maximè prouincijs, & litteris, armiſq; ita floruiſſe, vt ſuſpicionem Sinis natura facillimis rerum nouarum fecerint. Eam ſuſpicionem arbitrabatur ab Saracenis Chriſtiani nominis hoſtibus toto terrarum orbe acerrimis, excitatam ante annos non amplius ſexaginta. Ea ſuſpicio eo peruenit, vt cum ab Magiſtratibus manus injici

ſibi

ſibi timerent, omnes hac illac diffugere, & alij ſe Saracenos, alij Iudæos, Plerique Idolorum cultores mortis metu profeſſi ſunt. eorum templa in Idolorum fana cõmutata ſunt. Et templum quidem Crucis apud ſuos, ipſe ſuo nomine quo nunc ex quo fanum eſt dicitur, appellabat. Ex eo tempore tanto ſunt metu conſternati, vt nihil magis occultent, quam ſe ex ea gente prognatos. Vnde factum eſt, vt cum frater noſter eo ſe contuliſſet ad Chriſtianorum reliquias explorandas & familiarum nomina ab Iudæo commemorata ſecum deferret, nemo ex ijs fuerit, qui ſe talem profiteretur, ideo fortaſſe, quod frater noſter ex vultu Sina eſſe noſceretur, & ſuſpicarentur, fortaſſe eum exploratorem eſſe ab Magiſtratibus transmiſſum, nec hactenus per noſtrorum paucitatem Europæus eò Sacerdos mitti potuit, quanquã opus erit per otium ibi ſedem figere ad vanos metus eximendos, quod aliquando Deo bene volente pręſtabitur.

Has tres barbarorum ſectas, vt Sinæ appellant, vno nomine confundunt, earumq; Sectatores Hoei Hoei vocant, cuius nominis Ethymologiam hactenus ignoramus. Peritiores tamen eos hac ratione diſtingunt: Saracenos vocant Hoei ſuillæ carnis abſtinentes. Iudæos Hoei, qui etiam neruos à menſis excludunt, hunc enim hodieq; obſeruant ritum à percuſſo femoris Iſraeli neruo in gentem introducto. Crucis vero adoratores Hoei vocant, qui animalibus vngulæ rotundæ veſci refugiunt. Nam eum & Sinæ omnes ac Saraceni Iudæiq; equos, mulos, aſinosq; à menſis minimè remoueant, ipſi fortaſſe gentis ſuæ conſuetudine ab ijs veſcendis abhorrebant. Aſſerebat etiam alijs eos nominibus appellari. Nam etiam Sinæ eos Hoei vocant Crucis cultores. Saracenos vero non Sinæ ſolum, ſed etiam Iudæi Hoei vocant trium legum profeſſores, pro eo quod è Iudæis, Chriſtianis, Ethnicisque farraginem compegerunt. Saraceni porro Crucis adora-

Quibus nominibus Sinæ Saracenos, Iudæos, & Crucis adoratores cõpellent.

Saraceni Crucis adoratores Ieſuinos vocant.

ratores præter vulgare gentis vocabulum, quo Chriſtianos omnes Iſai, id eſt, Ieſuinos vocant, etiam in hoc regno antiquos illos Crucis profeſſores Terzai appellant, cuius appellationis cauſam neſcio, niſi quod ex Armenio quodã audiui, Armenios Chriſtianos in Perſide eodẽ nomine nuncupari. Vnde fortaſſe conijcere licet hos Crucis veneratores ex Armenia originem traxiſſe, & ab occaſu varijs fortaſſe temporibus, & eo maxime cum Tartari magnis exercitibus in Sinarum regnum irrupſiſſent penetraſſe; quo etiam tempore Marcum Paulum Venetum conſtat huc perueniſſe.

Hæc maximè ſunt quæ ex ipſo Sinarũ regno veſtigia depræhendimus, ſed tamen rei Chriſtianæ in his regnis originem altius etiam referre poſſumus ex ijs, quę ex oræ Malabaricæ codicibus Chaldæis colligi curauimus, quã oram D. Thomæ Apoſtoli opera Chriſto adiunctã clarius eſt quam vt in dubium etiam à pertinacibus reuocari poſſit. In ijs ergo codicibus legimus clariſſimè ab eodem Apoſtolo Chriſti fidem in Sinas inuectam, & plures eo in regno Eccleſias conſtitutas. Et ne cui res tanta, dubia fortaſſe videatur, teſtimonia ipſorum codicum è Chaldæo ad verbum Latine reddita hic adſcribam, quæ P. Ioannes Maria Campori è noſtra Societate eius vineæ cultor annos iam plures & ſermonis Chaldæi benè peritus, iuſſu Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Patris Franciſci Roitz, eiuſdem Eccleſiæ paſtoris è noſtra Societate transtulit, & propria manu noſtrorum rogatu tranſcripſit, vt in hos Commentarios insererentur, ne quando periret tam inſigne antiquitatis monimentum. Id igitur ita ſe habet.

Fides Chriſtiana ab Apoſtolo Thoma in Sinas inuecta.

In Breuiario Chaldæo Eccleſiæ Malabaricæ D. Thomæ vocatur Gaza, id eſt, theſaurus, in officio D. Thomæ Apoſtoli in ſecundo Nocturno in vna lectionũ ſic habetur ad verbum: Per D. Thomam euanuit error idololatriæ ab Indis. Per D. Thomam Sinæ & Æthiopes conuerſi ſunt ad veritatẽ. Per

D. Tho-

D. Thomam Baptiſmi Sacramentũ acceperunt & filiorũ adoptionem. Per D. Thomam crediderũt & confeſſi ſunt; Patrem & Filium, & Spiritum ſanctũ. Per D. Thomam acceptã ſeruauerunt fidem vnius Dei. Per D. Thomam doctrinæ viuificæ ſplendores orti ſunt vniuerſæ Indiæ. Per D. Thomam regnum cælorum volauit & aſcendit ad Sinas.

Deinde in quadam Antiphona ſic habetur. Indi, Sinę, Perſæ, & ceteri Inſulani, & qui in Syria, Armenia, Græcia, & Romania, in commemoratione D. Thomæ offerunt adorationem nomini tuo ſancto.

In ſumã vero Canonum Synodalium parte ſecũda ſermone ſexto capite decimonono de canonibus conſtitutis ſuper Epiſcopos & metropolitanos ſimul habetur Canon Theodoſij Patriarchæ in hæc verba;

Hæ ſex ſedes capita Prouinciarum & Metropolitæ videlicet Hilam, Nziuin, Prath, Aſſur, Bethgarmi, & Halah, qui digni habiti ſunt, vt ordinationi Patriarchæ interueniant, nec abſunt vt alij quarto quoque anno apud Patriarcham conueniant. Sic etiam Epiſcopi magnæ Prouinciæ nimirum reliqui Metropolitę, Chinę, Indię, Paſes, Mauzęorũ, Xam, Raziquęorũ, Herionæ (hæc eſt Cambaia) & Smarcandię (hęc eſt Mogor) qui longiſſime abſunt, nec vaſtiſſimi montes & turbulentiſſima maria permittunt eis tranſitum ad libitũ, mittant litteras conſcenſionis (id eſt communionis) ad Patriarcham ſemel ſexto quoque anno. Quando vero Luſitani Cocinum appulerunt, regebat hanc Eccleſiam Malabaricorum montium D. Iacobus, qui ſic ſcribebat Metropolita Indiæ & Chinæ, vt conſtat etiam ex eiuſdem manuſcripto noui Teſtamenti codice, vbi in calce ſic habetur: ſcripſit hunc librum D. Iacobus Metropolita Indiæ & Chinæ. Eodem modo D. Ioſeph poſt prædictum D. Iacobum, qui Romæ diem obijt ſic ſubſcribebat.

bat. D. Ioſeph Metropolita totius Indiæ & Chinæ, & hic eſt antiquiſſimus titulus Epiſcoporum huius Eccleſiæ.

Atque hæc pro inſtituta breuitate ſint de vniuerſo regno ſatis, donec integrum his de rebus volumen, quod Deo volente aliquando fiet, euulgetur. Nunc de Chriſtianæ religionis ingreſſu, quod in hoc opere maximè ſpectauimus ſermonem aggrediamur.

DE

DE CHRISTIANA EXPEDITIONE APVD SINAS AB SOCIETATE IESV SVSCEPTA.

Liber Secundus.

B. Franciſcus Xauerius Chriſtianam apud Sinas expeditionem aggreditur, ſed non ingreditur.

CAPVT PRIMVM.

INiurius in primum huius expeditionis auctorem Franciſcum Xauerium, adeoq; in expeditionem ipſam videri poſſem, niſi ab eo qui primus eam tentauit, & velut morte ſua corporiſq; depoſitione adijt poſſidendam, ac è cælis ipſis deniq;, vbi plus poterat, ianuam ſocijs, vti non temere credimus, aperuit, quam tot ſeculis occluſam, tanta viuens animi contentione recludere minimè potuiſſet, niſi, inquam ab eo primordia caperem enarranda. In eam enim amplitudinem regni vaſtiſſimi, in eum agrum gentis ad Euangeliũ aptiſſimæ, in ſpes magnas fidei dilatandæ primus ille è noſtra Societate Franciſcus Xauerius inhiauit. Ac tametſi id in eius vita deſcribenda aliquot auctores ſcripſerint, hic tamen arbitror breuiter repetẽdum, totamque huius rei ſeriem, ex ipſa noſtræ Societatis hiſtoria, cuius primus tomus nuper prodijt, totidem verbis adſcribendum, ne inutilis aliter ſcribendi labor, aut temerarius videatur.

B. Franciſcus primus expeditionis Sinenſis author.

Agebat in Iaponia Xauerius, & frequens in diſceptationibus audiebat Idolorum Sacrificulos, vbi acrius premerentur, ad Sinarum auctoritatem recurrere. Ex eo enim quod Iapo-

nes in rebus quæ ad ſacrorũ cultum ac religionem, quæq; ad Reipublicæ adminiſtrationem ſpectant, omnibus, prudentiæ ac ſapientiæ primas Sinis deferunt. Inde fiebat vt identidem vulgo iactarent, ſi vera eſſet religio, quam Chriſtiani colerẽt, vtique futurum fuiſſe, vt eam Sinæ tanta præditi ſapientia ſuſciperent. Quocirca ad eos protinus excurrendum ſibi eſſe Xauerius cenſuit, vt expugnata Sinarum ſuperſtitione, ea deinde facilius, illato Euangelio, Iapones liberaret.

B Franciſci Xauerij profectio è Iaponia ad Sinarum fines.

Ergò cum è Iaponia in Sinarum fines ex itinere in Indiam nauigaturus, peruenisſet; In Sanciana Inſula, in qua id temporis nondum Amacenſi oppido conſtituto, Luſitani cum Sinis cõmercia contrahebant, peropportune Iacobum Pereriam nauarchum experientem, & induſtrium, nec minus diuitijs nobilem, ſuiq; ſtudioſum, qui propediem Indiam verſus nauigationem adornabat, offendit. Cum hoc de profectione ſua Sinenſi, ſuoq; ad Regem introitu conſilia contulit. Ea erãt eiuſmodi: vt quoniam acceperat preregrinos omnes præter Legatos Sinarum aditu prohiberi; in Indiam reuerſus, à Prorege Goanoque Antiſtite legationẽ curaret ad Regem, cuius ipſe Legationis comes inuẽto ſic aditu & admiſſus ad Regem, vel palam ſi per eum liceret, vel certè diſſimulanter Euangelium Sinis inferret. Ita ſanctus Pater nõdum ſatis cognito eius regni ſtatu, euentus ſuos cæterorum ferè regnorum æſtimatione metiebatur. Probauit Xauerij cõſilium Pereira vir prudens, & ſimul addidit cõmodiſſimum eſſe, ſi cum legatione munera iungerentur. Ad eam rem ſuam ipſe operam, fortunas, ac nauim liberaliter offert, decretiſq; in idipſum aureorum triginta millibus, certum cum eo hominem Goam deſtinat. Nihil de celeberrimis illius nauigationib⁹ attingo, quod alienum ab inſtituto.

B Franciſcus Goam peruenit.

Goam igitur vbi peruenit, totus in eo verſabatur, vt Alfonſo Noroniæ Indiæ Proregi Ioanniq; Albuquercio Antiſti-

ti,

ti, ſuis & Pereriæ conſilijs apertis Sinenſem legationem vrgeret, cuius ipſe comes ac ſocius in regnum illud iam vndique ſeptum & peregrinis omnibus intercluſum liberè penetraret. Eius legationis princeps declaratus eſt Iacobus Pereria vir ſingularis auctoritatis, & ad Xauerij voluntatem ac ſtudium quodam̃odo factus. Is quanquam Malacæ ſubſtiterat, in Inſulam Sundam interim nauigaturus, dum Xauerius rediret, tamen eius Procuratores in adornanda profectione illa, comparandiſq; pro dignitate muneribꝰ totoq; Legationis apparatu, nullis impendijs ſumptibusq; pepercere. Xauerius autem tali comitatu merito lętus, confectis & ipſe rebus omnibꝰ intra menſem, quæ ad maturandam profectionem pertinebant, acceptiſq; è Procuratore Epiſcopoq; diplomatis, & conciliandæ fidei litteris ac muneribus ad Regem Sinarũ, ocius ad ordinandam accuratè Societatem, ne quid per eius abſentiam detrimenti caperet, animum contulit.

Anno igitur 1552. decimo octauo Kalendas Maias, Goa diſceſſit Malacam verſus. Eo cum appuliſſet, Aluarum inprimis Taidium decumbentem inuiſit, eiq; deinceps omnium ſedulitate officiorum adfuit. Vetus erat is Xauerij amicus, iamque Malacenſis deſignatus arcis præfectus, eidem maritimam eorum tractuum præfecturam Xauerius ipſe à Prorege impetratam Goa detulerat. Itaq; tametſi nulla erat cauſa, nullum ius, tamen, ſi qua forte hominem transuerſum libido ageret, poterat legationi moras inijcere. At Xauerius qui ſciebat quanta res ageretur, Diabolum nequaquam quieturum intelligens, ſemper timuerat ne quid tam felicibus cœptis obſtaret. Hoc igitur impenſius hortabatur domeſticos, vt eam expeditionem Deo precibus quam accuratiſſimis commendarent, hoc item officioſius Aluarum demereri ſtudebat. Cæterum nec timor inanis fuit, nec beneficia vlla quicquam aut officia valuere. Senſit Pater è primo congreſſu Aluarum legationem

Franciſcus Xauerius Malacam peruenit.

illam Pereriæ decretam tam honorificam ac quæſtuoſam animo non ſatis æquo tuliſſe.

Franciſci prudentia.

Pereria nondum ab Sunda, quo negotiorum abierat cauſa, reuerterat; ſed vt mox adfuit, ſedulò enim Xauerius monuit, quam ſe modeſtiſſimè gereret, nec ſummo vellet iure contendere, ſed totam rem Aluari poteſtati permitteret, vt hac illum modeſtia deliniret. Is autem Pereriæ inuidens incrementis, vt qui iam pridem ei erat infenſus, ne legationem illam obiret, impendentem Vrbi obſidionem falſo cauſatus, & infrequentiam coloniæ, Pereriæ nauim ipſumq; omnino Pereriam portu excedere omnino vetuit, ipſo ad ſe nauis gubernaculo afferri iuſſo.

Franciſcus expeditionem Sinenſem vrget.

Xauerius autē pro cauſæ grauitate ſollicitus, allegare Principes Ciuitatis amicosq; cōmunes ad Aluarum, orare per ſeſe omni animi demiſſione, ne curſum moretur Euangelij, obteſtariq; per Chriſtum, ne ſe cum Legato quem Prorex Indiæ deſtinaſſet, Sinarum profectione prohibebat. Verum vbi nihil proficiunt preces, cæpit ſenſim intermiſcere terrorem, explicans, quanta ipſe ſibi damna conſciſceret. Primum igitur Franciſcus Suarius Malacenſis Paſtor & Vicarius idem Epiſcopi, ad illum cum litteris Goani Antiſtitis acceſſit, grauiterque admonuit, videret etiam atque etiam, quantam rem disturbaret, neq; cōmitteret vt Antiſtitis obſiſtens imperio iram in ſe diuinam atq; etiam Regis accenderet. Sed nihil Epiſcopi litteræ & Vicarij valuit denuntiatio, niſi vt obfirmatus animus obdureſceret magis. Tum Franciſcus ipſe Aluarus qui Malacenſem præfecturam nondum Aluaro Taldio per tempus ceſſerat, eundem conuenit ſimul cum litteris Regis Luſitani, in quibus ſui conſilij eſſe teſtabatur, cum Xauerium in Indiam mitteret, vt Euangelium per omnes Orientis oras promulgaretur, ſimul cum Proregis decreto, quo ſi quis legationem Sinicam impediret, reum perduellionis faciebat.

Hæc

Aluarus maris Præfectus aduerſatur expeditioni.

Hæc coram multis recitata cum audiſſet Aluarus, ſtomachabundus ab Sella ſurrexit, ſolumq; pede percutiens; Quid mihi negotij cum Proregis decretis clamat; cum ſciam magis è Regis re futurum, hæc ſi legatio non mittatur. Tum igitur Xauerius qui nunquam ad eum diem publicè ſe pro Apoſtolico Nuncio geſſerat, vt præſentem ei terrorem iræ cæleſtis incuteret, illud eſſe tempus exiſtimauit, quo modeſtiæ Chriſtianæ magnanimitas proderetur.

FranciſcusPōtificis Diploma profert.

Pontificis diploma diu reconditum, quod Apoſtolicus Nuncius creabatur, & Anathema grauiſſimum infligebatur ijs, qui eius in augenda religione conatibus obſtitiſſent, inuitiſſimus quidem, ſed profert tamē, non tam vulneris imponendi quam deterrendi gratia. Eius denunciandi negotium Suario tradit, qui continuo Aluarum adit, nec magis Iudicis quam Patris officio, dirum Anathema vbi propoſuit, orat per Chriſti mortem & obteſtatur, ne in tam graues mortiferasq; plagas cum dedecore probroq; coniuncta ſciens ac prudens ſe ipſe præcipitet, neue tam grandi & inexpiabili ſcelere ſe obſtringat, pro quo pænas ſua opinione maiores Numini ſit daturus. At ille quem ipſa iam pugna pertinacius fixerat, ne intentato quidem tam graui vulnere auctoritateue Romani Pontificis ab obſtinata voluntate diſceſſit. Quin potius (vt nunquam poteſt ſcelus ſine ſcelere defendi)

Aluarus conatur Franciſco infamiam aſpergere.

ſancto viro conatur infamiam aſpergere, tanquam ſanctitatem & Apoſtolicas ementiens litteras decludendis gentibus nomen ſibi celebre venaretur. Ita conſilium omne Xauerij & diuina illa inſtituta legatio vnius hominis vitio euerſa eſt. Tum vero Xauerius tam proiectæ infeſtus audaciæ, vt ſuæ ſtatueret ſeueritatis exemplum, cæteroſq; redderet tardiores ad impediendos conatus pro Euangelico, proque animis laborantium,

Franciſcus curat pronūciari interdictum.

pronunciandum curauit Præfecto Maris, eiusq; adminiſtris ac Satellitibus nominatim Pontificia auctoritate interdictum eſſe ſacris: non vt eis nouum vulnus infligeret, ſed

vt memoriam inflicti reuocans medicaminis admoneret. Ea de cauſa ad Gaſparem Goanni Collegij Rectorem ex Sanciano litteras dedit, vt ex Epiſcopi auctoritate pronunciandum idem rite curaret.

Nihil autem ex omnibus ærumnis atq; moleſtijs quas perpeſſus erat in omni vita Xauerius acerbius ei accidit, quam quod per eum, à quo minimè oportebat, tanto rei Chriſtianæ damno ad nihilum profectio illa recidiſſet: non enim diuinæ gloriæ & ſaluandarum zelus animarum hebes ac ſtupidus eſt, ſed eorum in quibus verè eſt, vrit depaſcitq; præcordia. Mæſtus igitur non tam ſua, quam Præfecti vice, ſuomet ſcelere periclitantis ingemuit, elata voce canens violatorem illum humani diuiniq; iuris breui ſuæ cupiditatis ambitionisq; ſupplicium non pecunia ſolum & honore, ſed etiam corpore luiturum. Neque aliter cecidit. nam paulo poſt Aluarus lepra teterrima coopertus, cumq; alia multa in omnium oculis deliquiſſet, & eadem audacia qua Xauerij auctoritatem, Proregis contempſiſſet imperium, confeſtim quaſi deficere moliretur ab Rege comprehenſus, oneratur catenis, & vt erat vinctus, Goam inde in Luſitaniam ad Regem pro meritis mulctandus abripitur. Ibi vltore Deo fortunis omnibus ſpoliatus, notatus ignominia, æternis tenebris addictus, ſupra lepram fœdiſſimam ab Amicis demum ac propinquis ob apoſtema intolerandi fætoris derelictus interijt.

Dei vindicta in Aluarum.

Iam vero tametſi tanto præſidio ac ſpe legationis ſubito deſtitutus, in conſilio tamen fortiter perſeuerans; quóq; magis deeſſent humana præſidia, hoc Deo fidendum amplius intelligens, eam penetrandi ad Sinas rationem excogitat. Sinæ alicuius colligere, ſeu mercari gratiam ſtatuit, per quem in continentem furtim abijciatur. Nam quia fama acceperat in Sinarum regno peregrinos, qui ſine fide publica eo penetraſſent, æternis tenebris vinculisq; mandari, hos inter vin-

Franciſcus aliud excogitat conſilium penetrandi in Sinas.

ctos

ctos Xauerius, quæ erat eius incenſa in animos charitas, optauit, vt his primum tradita Chriſti lex per eos deinde miſſos è tenebris, ad proximum quemq; manaret. Et ipſe tandem è vinculis aliquando miſſus, ſi Deo cordi foret, Chriſti legem doctrinamq; diffunderet.

Ergo ſpem ingreſſus quod Chriſtianus homo prohiberet, id per Ethnicum conſequendi, vno ſocio ſibi relicto cum interprete Sina conſcenſurus vrbem egreditur, Multas interim Vrbi illi clades calamitatesq; denuncians. Proſequebantur abeuntem officiosè permulti, quorum è numero Vicarius modeſtè ſuggeſſit, vti præfectum ſalutaturus adiret, ne ſermonem hominibus daret, ſi prætermiſſo ſalutationis officio velut alienior, iratiorq; diſcederet. Cui Xauerius: Egóne vt hominem à fidelium cõmunione ſeiunctum ſalutandi cauſa cõueniam? Nunquam ego illum, nec ille me in hac vita videbit, ac ne poſt mortem quidem, niſi tum, cum eum apud Chriſtum Iudicem in valle Ioſaphat accuſauero.

Franciſci vaticinatio grauis

Hæc vbi & ſimilia dixit, Templum quod erat è regione reſpiciens genua flexit, ſupiniſq; manibus, humentibus oculis Numen ei placare Diuinum homo mitis & miſericors cæpit, verbis quæ circumſtantes exaudiebãt amantiſſimis. Tum deiecto in terram vultu meditabundus aliquamdiu perſtitit; poſt hæc erexit ſe ore ardenti & pleno maieſtatis, nec vllum verbum effatus, in conſpectu omnium exuit calceos, & ex Euangelico præcepto puluerem excutiẽs, omnes qui ea ſpectabant terrore lachrymiſq; compleuit. Quin etiam deinde ſocios iuſſit omnes Malaca diſcedere. Pereriæ verò Legato ne mutuo conſpectu, vt fit, vtriuſq; mœror augeretur, è naui ſalutem per litteras miſit, eaillum conſolatione permulcens, futurũ breui vt contumeliam illam quam damno implicitam pertuliſſet, alia viciſſim emolumenta & noua decora cõpenſarent: Id quod ipſemet cõmendationibus ſuis ab Rege litteris impensè curauit.

Franciſc⁹ Numen diuinum placat.

ab

ab hoc enim ille deinde magnis & fortunis & honoribus eſt auctus. Huius in naui, quam ipſo retento Pereria Aluarus demum miſit, è ſuis hominibus manipulo maxime fido impoſito Xauerius Iulio menſe ſoluit, & ad Sincapuranũ fretum delatus, cum aliquamdiu ſubſtitiſſet, indeq; denuo Pereriam conſolatorias per litteras ſalutaſſet, nauigatione repetita ſecundis ventis non multis poſtquam Malaca ſoluerat diebus, fines Sinarum attigit.

Franciſcus Sinarum fines attingit.

Sancianus Inſula.

Sancianus eſt Inſula inculta atque deſerta, leucas à continenti triginta, quo per id tempus commercij cauſa cõmeare ſoliti Luſitani Sinæq;, Illi raptim ſibi tuguria è ramis olim vel ſtramine conſtruebant. Huc poſtquam peruenit Xauerius, totus in ſuam expeditionem conuerſus, percunctabatur ex Sinis Luſitaniſq;, ecqua tandem via reperiri poſſet inſinuandi ſe in eas vrbes, hominumq; colloquia. Cumq; illi omnia regni clauſtra acribus ſepta cuſtodijs, nullum omnino aditum qua adſpirarent, relinqui aduenis reſpondiſſent, Edictis ſeueriſſimis interpoſitis, ſi vel peregrinis, præfectorũ iniuſſu, continẽtem attingeret, vel indigena peregrinum introduceret. Xauerius ad hos terrores impauidus, cum alia nulla rei conficiendæ pateret via; conſilium eſſe ſuum expoſuit, omni ope atque arte moliri, contemptis periculis, vt in vrbem aliquam Sinarum clam deuectus, ipſemet Prętorem adiret, negotiumq; tranſigeret. Quod conſilium cum nimis audax ac pæne temerarium Luſitanis eſſet viſum, non defuerunt, qui ab eo reuocare hominem, ne ſe in apertum vel vitæ vel ſeruitutis diſcrimen offerret, totis viribus conarentur. Quibus tamen Xauerius reſpondebat intrepidus, nihil ſe tam malle, quam vt Sinarum ſalutem, de quorum indole ingenioq; tam multa audiſſet, ſuo repræſentaret interitu, nec metuenda ſibi eſſe pericula, vincula, ſeruiturẽ, atq; adeo peracerbã necem; vbi de liberandis animis ab æternæ mortis, ſeruitutiſq; periculis ageretur.

Franciſci animus impauid' inſinuandi ſe in aliquam vrbem Sinarum.

Franciſci zelus animarum.

Has

Has inter curas febri correptus, & per dies quindecim afflictatur, vt primum melius habere cæpit, ad priſtina ſtudia laboresq; ſe retulit, nihilo ſegnius idoneum aliquem mercatorem quęritans, à quo transmitteretur in Sinas. Ergo Luſitanos primum, deinde Sinas omni artificio ſibi deliniendos ratus, multas rei celandæ vias in medium protulit, obteſtatus, ſibi vt in tam honeſto ſtudio morem gererent; ſed in tanto fortunarum capitisq; diſcrimine aures omnium munierat metus: nec qui ſe periculorum ſocium adiungeret reperiebat. Augebat rei deſperationem ingraueſcens comitum morbus, & Antonius interpres Collegij Hoenſis alumnus ipſa loquendi deſuetudine patrij ſermonis oblitus, nulli iam vſui poterat eſſe Xauerio: Quibus incõmodis quanquam ſpes eius infringi debilitariq; poterat, ea tamen excitabatur & reuireſcebat aliunde.

Franciſcus febri corripitur, ea liberatus negotium ſuũ vrget.

Franciſci conſtantia.

Interim difficulates ſuperante conſtantia, alius interpres non modo lingua, ſed etiam domeſticarum litterarum peritus ſua ſponte comitem itineris ſeſe obtulit. Inde Mercatorẽ Cantonienſem paulo fidentiorem nactus, ſpe ac pollicitationibus ad audendum impellit, magnoq; piperis pondere, quod erat aureis amplius ducentis à Mercatoribus Luſitanis in eleemoſynam acceptum cum illo tranſigit, vti ſe cum interprete libelliſq; ſuis atque ſarcinulis exponat. Ille vero quo occultiora eſſent omnia, neque nautarum dubiæ fidei committeret caput, ita rem gubernandam ſuſceperat, vt liberis ſuis ſeruiſq; fideliſſimis pro remigibus vteretur, & intempeſta nocte Xaueriũ lembo transmitteret, vltro etiam illi pollicitus, apud ſe bidui triduiue receptum, donec è latebris tuto emerſus cauſſam ſui aduentus ſuo periculo præfecto Cantoniæ exponeret.

Geminum in ea re aggredienda denunciabant amici periculum: alterum, ne Sina Mercator pernumerata mercede receptum cum ſocijs inermibus peregrinum, vel è naui deturbaret in mare, ne quid emanaret indicij, vel in ſolitudine ali-

qua ſcopuloq; relinqueret; Alterum, ne aduenam ſine fide publica ſeſe inſinuantem Præfectus vrbis flagris atrociter cæſum, aut ſupremo ſupplicio afficeret, aut perpetua ſeruitute vinculiſq; mulctaret. Xauerius tamen pericula longe plura, vt ad ſocios ſcripſit, longeq; grauiora conſiderans, ne vel prouidentiæ Diuinæ diffidere, ſi prouinciā eius inſtinctu ſuſceptam hominum terrore deſereret, vel Chriſti diſcipulus videretur indignus, ſi tam apertè denunciantem (Qui perdiderit propter me animam, inueniet eam) non audiret: vel demum regno Dei non eſſet aptus, ſi manu ad aratrum appoſita retro reſpiceret.

Sed dum noua animo concepta fiducia ſuum iter adornat, nouæ difficultates oboriuntur; recens eius interpres ſeu occulta Luſitanorum arte vt Xauerium retinerent, ſeu terrore periculorum inductus, nec opinantem illud ſubitò deſerit: Perſtat tamen in ſententia Pater, & cum vetere interprete, quanquam non ſatis idoneo proficiſci conſtituit. Adoriuntur deinceps eum ex compoſito Luſitani, non tam illius quam ſua cauſa ſoliciti. Circumfuſi pro ſe quisq; rogant, ſi ſuo non tangatur, at alieno periculo moueatur. Sinarum Præfectos, ſi Sinas conetur irrumpere, vnius irritatos audacia nomen omne Luſinatorum ad ſupplicium vocaturos. Quod ſi certum fixumq; ſit aleam tentare fortunæ, tamdiu certe cunctetur, dum opportuna profectio naues ſuas periculo ſubtrahat. Quibus ille quod ad ipſorum incolumitatem ac mercimonia pertineret, omnem illis timorem dempſit, perſanctè pollicitus, non ante ſe, quo tendebat iturum, quam ipſi ſeſe recepiſſent in tutum.

Luſitani conātur Franciſcū ab incępto dimouere.

Ita maturantibus illis, ſuum Xauerius quoq; iter, ac tranſmiſſionem in id tempus apparabat. Sed ecce nouum etiam ante denunciatum ab amicis incōmodum: Mercator quocum deciderat ſeu horrore ſupplicij, ſeu inuidi hoſtis inſtin-

ctu;

ctu; cum diu Xauerius cupidus expectaret, non comparebat, nec promiſſis ſtetit. Ita paulatim cum ſanctum Dei præconem cuncta deficerent, vnus non deficiebat animus, & erga Deum fiducia, quin potius hæc, ad humanorum diminutionem præſidiorum amplificata, eorum loco omnium ſuccedebat. Acceſſit & illud ſolatij, quod cum audiſſet Sionis Regem Legationem ad ipſum Regem Sinarum in annum inſequentẽ meditari, ſtatuebat ſi Cantonienſis ille portitor cōdicto tempore non occurreret, adnauigare Sionem, omniq; ope conniti, vt cum regio Legato penetraret.

Franciſci fiducia in Deum.

Iam Luſitanę naues ferè omnes vela fecerant, ac ſocium ſuum longo implicitum morbo, ne ſibi in tam ancipiti re impedimento foret, in Indiam tempeſtiue remiſerat, ipſe cum interprete Sina, alioq; puero in Sanciano remanſit, erga reliquos inquilinos vſitata obtinens munera charitatis, incredibili ardore agendi, quam plurima patiendique pro Chriſto, Mercatorem adhuc illum opperiens, quo cum pepigerat, inque omnia occaſionis momenta vigilanter intentus.

Franciſci charitas erga inquilinos Sancianos.

Sed videlicet Deo magis cordi fuit, præmium inde quaſi perfecti operis Xauerio reddere quam vt perficeret. Nondum ſatis forſitan ea regna ad Euangelij ſationem erant idonea, reſeruabat illud decus eius poſteris Deus: Et tot ab eo ſuſceptos exantlatosq; labores æternis maluit condecorare præmijs, quam aperire curſum ad nouos. Ita duodecimo Kalendas Decembris ſecundum rem diuinam quam pro mortuo fecerat, noua febri corripitur, cum eaque progreſſus ad nauim, ægros de more conuiſit, diuerſaturus vtique inter eos, niſi maris nauisq; iactatio terram repetere coegiſſet. Hîc igitur iacentem in publico Luſitanus, æſtuantemq; ſummis ardoribus conſpicatus miſericordia captus, in ſuum tugurium curandũ, & pro ſua tenuitate tractandũ ſuſcipit. Erat id tugurium ex ijs mapalibus, quæ ad extremam litteris oram Luſitani adhuc eo

Franciſcus noua febri corripitur.

Franciſcũ Luſitanus ægrotum ſuis humeris in ſuum tugurium portat

 tempo-

tempore ab Sinis ædificatione prohibiti ſubito, vt dixi excitabant, & in diſceſſu diſturbabant ventis & frigoribus peruium.

Hic hoſpes hoſpitem rogat venam ſibi patiatur incidi, nec abnuit obſequens æger, cunctis ſe profeſſus in rebus quę ad curationem ſui corporis pertinerent, tametſi non erat neſcius, quales tandem ea Inſula Medicos ferret, in medentium poteſtate fore. Miſſo ſanguine non ſine conuulſione & contractione membrorum faſtidium ſibi ſubſecutum eſt ingens. cibus porro idoneus ægroto præter paucas amygdalas ſerius à Nauarcho Luſitano traditas, erat nullus. Eo enim iam creuerat cibi horror, vt prorſus omnia reſpueret, totoq; biduo nihil guſtaret. Iactabatur peſtifera febri ſubſidijs omnibus deſtitutus, & morbus vrgebat in horas, cum tanta animi æquitate Xauerius & morbum & incommoda perferebat, nulla vt exciperetur ex eius ore querela, nulla vox alienam implorantis opem. Illud vnum placide non ferebat, vulgari ſe & cõmuni leti genere in lectulo mori, ſibiq; optatiſſimam martyrij palmam è manibus quodammodo rapi; quo tum inſigni beneficio cum ſe profiteretur indignum, ad diuinæ prouidentiæ rationem animum denique ſuum ipſe compoſuit. Atque vt in morbis grauioribus natura ferè cuiusque ſe prodit, ſic ægrotante Xauerio ſingularis eius virtus ita ſe extulit, vt eadē propemodum faceret moribundus quæ conſueuerat ſanus. Nunc defixo in cælum obtutu, cum Chriſto ſermocinans, nunc è pſalmis pium aliquid ſuaue recinens, & eas ſubinde voces ingeminans, Iesv fili Dauid, miſerere mei: Mater mei, memēto mei; quibus alijsq; conſimilibus vocibus duos extraxit dies.

Franciſci morbus augeſcit.

Franciſci patientia.

Franciſci ſermocinatio cū Deo.

Xauerius autem, vt affuit hora migrandi, tum vero preces intendere, & arrepto Crucifixi Domini ſigno crebros ante Deum gemitus edere, & imis è præcordijs mixta precibus ſuſpiria ducere. Cum autem gemendi precandiq; finem nullum faceret, voce pariter atque anima deſtitutus, extremum ſpiritum

Franciſcus animam Deo reddidit ſuam.

tum edidit quarto Nonas Decembris, anno poſt Chriſtum natum 1552. ętatis quinto circiter & quinquageſimo, Indicę ſuæ peregrinationis vndecimo, in ipſa cura ac meditatione Sinarum. Quid eius deinde mortem conſecutum, quam læta oris facies, quam admirabilis incorrupti corporis in viua calce ſepultura, quot prodigijs Goam vſque ſanctum cadauer renauigarit, ijs narrandum relinquo, qui res eius geſtas ſunt perſecuti. Qua ratione nunc è cælis Sinicam expeditionem diſponi ac aperiri à Deo per Socios ac filios ſuos impetrarit, quod inſtituti noſtri eſt, narrare poſthac aggrediamur.

Huius expeditionis principia iterum ab Societate IESV inſtaurantur.

CAPVT SECVNDVM.

TAMETSI non defuerunt ex alijs ſacris ordinibus poſt obitum B. Xauerij Viri pietate ac reliquis animi dotibus inſignes, qui hanc expeditionem Chriſtianam tentarunt, è D. Franciſci maximè, Diuiq; Dominici familijs; qui vel ab Indijs orientalibus Luſitana, vel ab occidentalibus Hiſpana nauigatione appulerant: quia tamen effectum ſortiri incenſa eorum ſtudia (Deo fortaſſe illos alio vtilius auocante) minimè potuerunt, de illis dicere ſuperſedeo, memor quippe inſtituti, ac eorum, qui hanc è Societate IESV expeditionem Chriſtianam ſuſceperunt.

Cui cum funes cecidiſſent in præclaris, pręclaram illam hæreditatem ab optimo Parente proprij corporis etiam depoſitione ſemel initam, filij nunquam dimiſerunt, ſed feciſſe mihi videntur, non ſecus atque ij, qui fortiſſimæ arcis obſidionem aggreſſi, expeditam ad omnem rei bene gerendæ occaſionem muniunt ſtationem. Sedem igitur Societatis in limine huius regni peropportuno loco extructam ſtatuerunt, quæ ex ipſo

ſitu videbitur, qui neceſſario ſub oculos ponendus, ne lector locorum imperitus, ſæpius in hiſtoriæ progreſſu aberret.

Luſitani Sinarum fines attingunt.

Cum Luſitani primum immenſa maria emenſi, ſeculo ſuperiore in vltimum Orientem penetrarunt, Sinarum deniq; fines attigere, & illius regni opibus exploratis, omni conatu cum ea gente miſcere cõmercia procurarunt. Non erat res ita procliuis; Sinę quippe præ omni gente, ſuſpicionũ etiam vmbris territantur, id ex eo maximè tempore, quo erepto imperio Tartaris, vti dictum eſt libro ſuperiore, ſeruiêre. Innatum gentis metum augebat Luſitanarum claſſium apparatus, bellicorum tormentorum fragor, nauium ad eam diem Sinis inuiſa magnitudo. Confirmabantur hæc omnia Mahometanorũ, qui plurimi ſunt in Emporio Cantonienſi teſtimonijs. In eam enim oram ad auſtralem Sinarum plagam appulerãt Luſitani: aſſerebãt hi, gentem hanc Francos appellari, ſic enim Saraceni Europæos vocant. Sinæ vero quoniam liquida R. omnino carent, nec vnquam duas conſonantes ſine vocali media norunt, Falancos in hodiernam diem in prouincia Cantonienſi duntaxat nuncuparunt, quo etiam nomine noſtratia tormenta bellica vocauêre. Aſſerebant inquam Francos natura pugnaces ac robuſtos, gentium domitores, imperij ſui fines ſolis vniuerſi finibus definire. Teſtem nuper Malacam, teſtem denique Indiam vniuerſam Europæorum armis commercij prætextu ſubactam. Hæc ſuſpicio non vana, tametſi Legatione Luſitanos arcuerit, ex quo euulgata eſt, euicit tamẽ lucri cupiditas, ne à commercio excluderentur. Quæſtus enim non ærario ſolum publico, ſed priuatis etiam peculijs ex hac negotiatione tantus eſt, vt Magiſtratus, diſſimulato metu, eam nunquam excluſerint omninò, ſed ſenſim admiſerint; verum ea lege, vt quamprimum, diſſoluto mercatu, omnes in Indiam cum ſuis rebus reditum maturarent. Tenuit ea ratio annos plures, dum paulatim ab metu confirmati, in Inſula maiori peninſu-

Sinarum gens ſuſpicioſa.

Lucri cupiditas Luſitanos in Sinas admiſit.

peninſulam exiguam ad habitandum negotiatoribus conceſſerunt. In ea peninſula idolum erat, quod hodieq; viſitur, cui nomen Ama: Inde locus Amacao, ac ſi dicas Amæ Sinus appellatur. Hic deinde ſcopulus verius quam peninſula habitari cæptus, non à Luſitanis ſolum, ſed ab omni vicinarũ gentium colluuie; propter nobile commercium rerum omnium, quæ vel ab Europa, vel ab India Molucisq; Inſulis, nauibus Luſitanis vehebantur, frequentatus, quin etiam magis argenteorum nummorum cupiditas, ipſos Sinas ad cohabitandum inuitauit. Inde annis labentibus vrbs paulatim extrui cæpta eſt, nec ſolum cum Sinis commercia, ſed etiam connubia Luſitani contraxere, atque ita vniuerſam peninſulam ædibus priuatis oppleuere, & è ſterili ſcopulo nobile in paucis emporium aſſurrexit. Nec ſolum in ultimum orbem nauigatrix cupiditas negotiatores deportauit, ſed ne latius paterent Imperij Luſitani fines, quam Chriſtiana religio, non pauci eum in locum, vel Religioſi, vel alij Sacerdotes confluxere, qui Luſitanos conſeruandos, vel indigenas ad Chriſtum adducendos ſuſcepere. quem etiam in finem Luſitani Reges, locum Ciuitatis appellatione donatum auctoritate Pontificia, Præſule adornarunt, quo facilior, nec ſine Eccleſiaſtica Maieſtate, ſacrorum adminiſtratio in extrema orbis plaga redderetur.

Peninſula Luſitanis conceſſa.

Cõmercia Sinarũ cum Luſitanis.

Emporium ex Peninſula factum.

His ita pręmiſſis, ad inſtitutum redeamus. Eo in loco Societas noſtra ſedem perpetuam fixit, ac primam Dei Matri ędem ante reliquas omnes, quæ poſtea fuere non paucæ, excitauit. Erat enim locus inſtituto noſtro peropportunus. Cum enim Societas noſtra iam inde à ſuis initijs Indicam meſſem, quæ vel in Oriente, vel in Occidente albeſcebat, ſibi cum reliquis meſſoribus demetendam ſuſcepiſſet, viſa eſt hæc area in medio tot naualium ſita, minimè negligenda. Nam inde in Boream patebat orbis Sinicus verius, quam Imperiũ ad auſtrum Molucæ Inſulæ: ad ortum Iaponia & Inſulæ Philippinæ: ad occa-

Prima Sedes Societatis Sinarum finibus Amacaenſis.

Situs loci.

occaſum vero Cochinchina, Camboja, Siaoum, aliaque permulta.

Ex hac igitur pugilum Chriſti ſtatione, omiſſis ijs, quæ in reliquas orbis partes factæ ſunt, excurſionibus, ac potiſſimum illa nobiliſſima, quę magnam Iaponiæ partem in obſequium fidei Chriſtianę captiuauit, In Sinarum quoq; regnum ſerius quidem, ſed aliquando tamen vexillum Chriſtianæ Crucis importatum. Id qua occaſione quoue euentu factum ſit, aggredior enarrare.

Occaſio ingreſſus in Sinarum regnum narratur.

Qui Amacaenſem Societatis noſtræ ſedem iam inde à primis principijs incoluerant, in Sinarum fines ingreſſum iam ſæpè tentauerant, ſed fruſtra, vel rei difficultate prohibiti, vel quod in expeditionē Iaponicā intenti, quę tanto fructu procedebat, non omni conatu rem Sinicam procurarent. Ergo multis annis regio Sinica nondum ad meſſem alba videbatur. Ad extremum, vbi arriſit ei, qui tempora & momenta poſuit in ſua poteſtate, perfecta res eſt optata potius quam ſperata.

Alexander Valignanus expeditionem Sinicam excitat.

Alexander Valignanus è Societate noſtra, Sacerdos Italus, ex Europa venerat, à Præpoſito Generali Indiæ totius Viſitator renunciatus, iamque luſtrata ea Indiæ parte, quæ Cis-Gangem ab Europæis appellatur; ad eam quoque luſtrandam, quæ vltra Gangem ſita eſt, nauigarat, tandemq; in Amacaenſem portum delatus, in Iaponiam tranſmittere cogitabat. Verum nauigationis legibus prohibitus, decem non minus menſes in Amacaenſi noſtrorū ſede ſubſtiterat. Ibi re Sinenſi ex-

Incitamenta Sinicæ expeditionis.

integro accuratius explorata, ſopitum eius expeditionis ardorem excitauit. Ex Imperij magnitudine, gentis nobilitate, alta iam plurium ſeculorum pace, Magiſtratuum prudentia, Reiq; publicæ adminiſtratione non vane ratiocinabatur, gentem Sinicam ſolertem, & ſtudijs omnium bonarum artium addictam, adduci tandem poſſe, vt viros aliquot litterarum virtutiſq; laude præſtantes in ſuo regno viuere pateretur, &

maximè

maximè tales qui patrij ſermonis litterarumq; iam non eſſent imperiti, neque hoc ſolùm, ſed ſpem non vanam videri, aliquando fore, vt huic genti, ſanctiſſimæ legis noſtræ ſcita fortaſſis arriderent, cum ea politicam Reipublicæ adminiſtrationem, non modò non interturbent, verum etiam egregiè promoueant. Eò accedebat, fore, ut illa gens, ſuę vanitatis fortaſse pertæſa, cæleſtium bonorum deſiderium conciperet, æternaq; ſpectaret.

His igitur alijsq; de cauſis omnino ſtatuit, aliquot Sinenſium litterarum, ſermonisq; ſtudio deſignare, vt ij iam eſſent comparati, ſi fortaſſe aliqua pateret rima, qua Euangelicus præco ſeſe in eam planitiem intruderet. Non deerant autem ex ipſa Societate noſtra viri longo rerum Sinenſium vſu nobiles, qui Viſitatoris ſententiã improbarent, aſſerentes in tentandis Sinis Æthiopem lauari, ad quos B. Xauerius tam incenſis ſtudijs, tamq; profuſa largitione penetrare minimè potuiſſet: cuius exemplum ſecuti etiam alij Religioſorum ordines, de re conficienda deſperarant. Verum Viſitator à ſuſcepta deliberatione ſe dimoueri non eſt paſſus. quis enim ignorat, Superiorum animos, ſæpè luce diuina, cum opus eſt, ad res perſpiciendas colluſtrari? Ergo cum in Amacaenſi noſtrorum ſede, tanta erat operariorum paucitas, omnino neminem reperîſſet, quem huic muneri deſtinaret; ad Præpoſitum Prouincialem ſcripſit in Indiam) is erat id temporis Rodericus Vincentius Luſitanus) vti primo quoque tempore, minimùm vnum ſacerdotem rei operandæ idoneum, in hunc portum Sinarum mitteret. Ipſe vero Viſitator prius in Iaponiam quam ſolueret, ſcripto reliquit, quid ab eo, qui mitteretur, exigeret, & quam rationem in hoc Sinenſi ſtudio vellet obſeruari.

P. Valignani conſtantia.

Nominatus eſt igitur in India Michaël Ruggerius Italus, è regno Neapolitano, qui ſuperiore, quam nominaretur, an-

Michael Ruggerius in Amacaenſem portum deſtinatur.

no ex Europa venerat, & iam in ora Piſcaria rem Chriſtianam procurabat. Is igitur in Amacaenſem portum anno Domini 1579. menſe Iulio cum appuliſſet, & Viſitatoris mandata perlegiſſet, animum applicare cœpit ijs, quę facere iubebatur. Iubebatur autem Sinicum ſermonem eum, qui curialis dicitur, & in vniuerſo regno idem eſt, ediſcere. nam præter hunc ſingulæ prouinciæ ſuum habent diuerſum, vt ceteræ orbis regiones Idioma. Characteres item & legere & pingere hieroglyphicos iubebatur, neq; enim paucis alphabeti figuris, vt reliquus ferè orbis, ſuos conceptus ſcribendo exprimunt, ſed tot figuras pingunt, quot ſunt voces, resq; vocibus ſignificatæ, vt libro ſuperiore fuſius explicatum eſt.

Sinenſis idiomatis diſcendi difficultas.

Si tantum facilitatis res ipſa habuiſſet, quantum animi adferebatur, maiores breuiori tēpore progreſſus extitiſſent. Sed idioma Sinicum non perdifficile ſolum eſt, & intricatum præ cæteris omnibus, de quibus quidem audierim, aut legerim; verum ipſa quoq; Magiſtrorum penuria difficultatem difficiliorem ſeipſa reddebat. Nam ij Sinæ, qui Amacaenſi in oppido iam Chriſti ſacris initiati, Europæo iam habitu cultuq; viuebant, & qui ad commercia ex interiore continente ventitabant, vtriq; erant æquè prope Curialis linguæ, ac Luſitanæ imperiti. Negotiatores quippe prouinciale idioma frequentant. Curiale tametſi intelligant omnes, minus tamen politè eloquuntur. Characteres vero ſuos ne ipſi quidem vniuerſos norunt, vulgus eos fere, qui ad commerciorum formulas ſatis eſſe iudicantur. Itaq; quam minimè ineptus Magiſter Patri viſus eſt Sina pictor, qui quod linguæ deerat, arte ſuppleret, quippe non raro contingebat, vt, cum hieroglyphici characteris vim Europæo ſermone non poſſet Magiſter exprimere, ad mutæ picturæ remedia recurreret. Sed tamen improbo labore, quem incenſus amor minimè ſentit, omnia ſuperabantur.

Neque

Neque hac dumtaxat ratione bonus Pater ad rem Sinicam proludebat. Sollemne Luſitanis negotiatoribus bis quolibet anno nundinarum, tempus eſt, ad ea ſcilicet comparanda, quæ Indica nauigatio menſe fere Ianuario, vel Iaponica exeunte Iunio ſolet euehere. Hæ nundinæ non in Amacaenſi portu, nec in aliqua deſerta Inſula, vt olim, ſed in ipſa Metropoli frequentantur. Nam ex oppido ſuo Luſitani Magiſtratuum voluntate in Cantonienſis Prouinciæ metropolim biduo ferè aduerſo flumine nauigant, & in eo portu ſanè nobili in nauigijs pernoctant, diuinum tempus liberæ per vrbem negotiationi deputatur. Sed hæc omnia tot vigilijs & cautelis, facilè vt appareat, antiquos etiamnum metus palpitare. Nundinarum tempus vtrumq; ſigillatim bimeſtre, & ſæpè longius. Hunc morem cõmemoraui, quia prima & hactenus ferè ſola Euangelij præconibus in regni penetralia penetrandi ianua fuit ex Luſitanorum, qui ſanè magnam pietatis Laudem vbiq; referunt, vel induſtria, vel propenſa in religionem voluntate.

Nundinæ Amacaenſes anſam præbent penetrandi in Sinas.

Cum ijs igitur negotiatoribus P. Michael Ruggerius ad ſua quoq; commercia cum Sinis ineunda, omnino ire conſtituit, eo maximè conſilio vt exploraret, num ab aliquo fortaſſe Magiſtratu ſedem in aliqua regni parte poſſet eblandiri. Initio magnam è recenti caſu difficultatẽ ſenſit. Nuper enim cum alius è noſtro ordine eò ſe ad ſacra ex more, negotiatoribus per nundinarum dies procuranda contuliſſet, ad Chriſti fidem adoleſcentulum profani Simulacrorũ Sacerdotis diſcipulum ita pellexerat, vt volentem in Almacaenſe oppidum, ſed clam tamen abduxerit. Id ſubodoratus Magiſter, apud Magiſtratus grauiter queſtus eſt, effecitq;, adnitentibus etiam adoleſcentuli propinquis, vt Magiſtratus eum vi retorquerent non ſine magna noſtrorum moleſtia, vel apud eam gentem infamia, quaſi malis artibus pueros ſeducerent, parentibusq; ſubducerent; quod apud Cantonienſes, vt non eſt inuſitatũ, ita eſt in paucis criminibus capitale.

P. Ruggerij ſollertia & comitas in agendo.

Verum enim vero P. Ruggerij ſollertia, & in agendo comitas hanc denique maculam eluit, obicemq; perfregit. nam & ipſe cum nonnullis agere cæpit magna eorum voluntate, & maximè cum ſupremo maris præfecto, Hai-tao vocant, ſub cuius ditione etiam aduenæ, quotquot in prouinciam Cantonienſem appellunt, eorumq; negotia, numerãtur. Hanc Patri neceſſitudinem conciliauit opinio virtutis atque litterarum: quodq; intelligeret eum ab Luſitanis pro parente ac Magiſtro coli: delectabat eum etiam aduenæ Sacerdotis ſtudium, quem audiebat Sinicos libros euoluere ſtudioſè. Quoties igitur ad eius tribunal vna cũ Luſitanis itabat, cum cęteri genu flecterẽt, qua ratione Magiſtratus omnes pro tribunali compellari ſolent, eo iubente, Pater ad latus adſtabat; quin etiam eum exemit ceterorum lege, qui in nauigijs pernoctabant. nam in ipſa vrbe locum ei deſignauit in eo palatio, in quo regni Sian Legati, cum honorium Regi vectigal deferunt, excipi conſueuere. quo in loco rei diuinæ operandæ poſſeſſionum accepit, Sinenſium libris noctes dieſq; intentus; eò Dominicis, feſtiſq; diebus Luſitani ad rem ſacram, ſacramentaq; ſuſcipienda cõueniebant. Id enim Patri liberè per eos dies dumtaxat licebat, quibus commercia contrahebantur. nam ijs abeuntibus ipſe quoque ad ſuos redire iubebatur. Nec minor Patri fuit neceſſitudo cum Supremo militum illius Prouinciæ Præfecto, Zumpim Sinæ vocant, quem horologio donauit, quod rotulis horas emetiebatur, & à quo viciſſim, cum eum officij cauſa viſitaret, per honorificè fuit acceptus.

Luſitani rem diuinam & Sacramenta frequentant.

Non parum valuit hęc inita cum Mgiſtratibus neceſſitudo ad rem Chriſtianam Sinis perſuadendam: nam ex ijs, qui in Amacaenſem portum, commeatum, & alia minutiora conuehunt, non pauci, excuſſis gentilitatis tenebris, Euangelicam lucem aſpexere. Vnde cum Catechumenorum numerus excreuiſſet, pia Luſitanorum liberalitate domus ijs imbuendis

apta

apta, in proximo colle poſt ædem noſtram ſacram excitatur ex oratorio à D. Martino appellata. In ea domo indigenas imbuebat liberius, non perturbato inferiore domicilio, vbi Luſitanorum maximè ſalus procurabatur. Liberius etiam ibi Sinenſibus libris, adhibitis interpretibus, inſudabat.

Domus pro Catechumenis à Luſitanis extruitur.

Iam hoc nouale ſpem amplioris meſſis dabat, ſed duo erant quæ agri illius culturam diſturbabant: vtrumq; ex Operariorum paucitate naſcebatur. Nam cum occupationes noſtris Miniſterijs annexæ cũ gente Luſitana eſſent permultæ, oportebat quoq; P. Michaelem neceſſario in his occupari, & à Sinenſi ſtudio negotioq; auocari. Deinde cum in Cantonieſem Metropolim ad nundinas, vt dixi, nauigabat, Amacai bene cæpta, nullo proſequente, interrumpebantur, magno rei Chriſtianæ damno. nam ſubinde vtrumq; nundinarum tempus cõtinuatum, dimidiatum annum exæquabat. His incommodis accedebat, quod non ſatis expeditè aliquod idioma ſola ſpeculatione ſine exercitio comparari poteſt, quod patri accidebat, qui ſolus in hoc ſtudium incumbebat.

Amacai operariorum paucitas cæpta diſturbat.

De omnibus monitus per litteras in Iaponia Viſitator, ex India P. Matthęum Ricium in huius expeditionis ſociũ euocauit. Ex Europa venerat is eadem nauigatione cum P. Ruggerio, & tum Goæ Theologicis ſtudijs finem imponebat. Is vbi appulit eandem ſpartam ornare, & idem cum ſocio iugum ducere cæpit, & abſenti P. Ruggerio ſuffectus, inchoatum opus proſequebatur. Idque eò commodiùs, quod iam vetuerat Viſitator eos, qui rem Sinicam procurabant, ad alias occupationes auocari. Hic porro eſt Matthæus Ricius, cui præ cæteris, qui cum eo impigrè adlaborarunt, expeditio Sinica in acceptis referri debet.

P. Matthæus Ricius ex India Amacaum euocatur.

Intra eundem annum tertio Patres in Sinarum regnum admiſſi ſtationem tamen in eo nondum impetrarunt.

Capvt Tertivm.

Quatuor Principes Iaponenſes Romam ꝓficiſcuntur.

ANno humanæ ſalutis 1582. è Iaponia rediens Pater Valignanus Viſitator, quatuor illius Inſulæ Principes ſecum adducebat, qui à Regibus ac Dynaſtis nõnullis Romam eo conſilio mittebantur, vt debitam Pontificiæ ſedi ſubmiſſionem Chriſtiano ritu præſtarent, quod etiam fecere, & in patriam deinde ſalui rediere. Quo vero tempore commodam nauigandi occaſionem in Amacaenſi Collegio præſtolabatur, nihil antiquius habuit, quam vt rem Sinicam omni conatu ꝓmoueret. Nam in eum finem ſodalitium erexit in æde noſtra ſacro Iesv nomin inſignitum, & id ſodalitium ſanctiſſimis legibus inſtituit aptiſſimisq; ad Neophytorum ſalutem promouendam. Vetuit porro, vt ea res feliciorem haberet ſucceſſum, Luſitanos homines in ſodalitium illud adſcribi, ſed Sinas dumtaxat vel Iaponios, cęterarumq; nationum in fide tyrones. Ea res quotidianis aucta incrementis, Dei gloriam in ea ciuitate magnopere ſanè promouerit. Adminiſtrari porro ſemper ſodalitium voluit ab vno ex ijs Patribus, qui iam eſſent expeditioni Sinicæ attributi. quem etiam fungi voluit alio munere, à quo in ijs Regionibus Pater Neophytorum appellatur. Sub cuius cura Neophyti omnes aut Catechumeni eſſe conſueuerunt: vt eorum non ſolum ſalutem promoueat, ſed etiam negotia auctoritate ſua dirigat, & conſulat paupertati. Hæc domi noſtræ geſta, dum ingreſſum ad maiora diuina bonitas aperiret, quod eodem ferè tempore contigit in hunc modum.

Sodalitiũ nomini Iesv ſacrũ inſtituitur.

Prouincię Cantonienſis Prorex in primis ſui ordinis habe-

tur.

tur. cuius enim prouincia hæc in extremis regni finibus ſita, quam longiſſimè diſtet à Regia Pequinenſi, eaq; tota mari alluatur, non raro contingit, vt infeſtæ latronibus viæ pyratis maximè Iaponibus maria videantur. hinc ſtatutum eſt, vt Cantonienſis Prorex in vicina quoque Quam-ſi prouincia poteſtatem exerceat, ſi quando caſus illum aliquis ad numeroſiorem delectum adſtringeret, tum enim ex illa quoque prouincia militem legere ſummo iure poteſt. Tametſi ea, quam dixi, Quam-ſi prouincia ſuum quoq; Proregem habeat, inſtar cæterarum, hac etiam ex cauſa Cantonienſis Prorex, minimè in ſua metropoli, quod reliqui faciunt, ſed Sciauquini ſedem habet, quæ ciuitas alteri prouinciæ contermina cómodiorem viſa eſt habere ſtationem.

Prouincia Cantonienſis.

Hoc igitur tempore ſupremum hunc Magiſtratum gerebat è prouincia Fuquiana oriundus nomine Cinſui, vir ſagax, idemq; nũmorum cupidus. cum itaq; cuperet aliquid ab Amacaenſibus emungere, hoc vſus eſt artificio. Diploma ad eos miſit, quo diplomate iubebantur Epiſcopus, ciuitatiſq; Præfectus eius ſe quamprimùm ſiſtere tribunali; quod intellexiſſet ab his aduenas illos negotiatores gubernari, re in deliberationem vocata, parum tutum & e dignitate Luſitana viſum quod iubebatur. Ne tamen edictum ſpreuiſſe & Proregis auctoritatem neglexiſſe viderentur, ſtatutum eſt, vt nominatorum vicem alij duo ſupplerent. Epiſcopi vicem auctore P. Valignano Viſitatore ſupplere iuſſus eſt P. Michael Ruggerius, eo conſilio, vti tentaret, an perpetuam in eo regno poſſet ſtationem impetrare: in Præfecti locum Vrbanus Auditor nominatus Matthias Penella dicebatur. ad Proregem porro cõciliandum, ne forte inchoatum commercium interturbaret, ſumptu publico non exiguum munus earum rerum, quibus Sinas delectari conſtabat, mittebatur. Panni holoſerici (quos adhuc eo tempore Sinæ conficere neſciebant) vndulatæ veſtes

Ingreſſus in Sinarum regnũ tentatur per duos è noſtris legatos.

ſtes, Cryſtallina ſpecula, & id generis alia non pauca, quæ mille aureorum ſummam excedebant.

Legati à Prorege Cantonienſi accipiuntur.

Excepti ſunt à Prorege maximo apparatu, ad incutiendum verius terrorem, quam Legatos cohoneſtandos comparato. Verum inſpectis muneribus, quoniam in eum finem hæc omnia cudebantur, ſubitò ſupercilium depoſuit, vultuq; ad ſerenitatem compoſito ſtatuit, vt in ſuo portu degerent, ad eum modum, quo hactenus fecerant, Sinenſium Magiſtratuum legibus obtemperantes, quæ verba ſolemnes eſſe formulæ vidẽtur. nam Luſitani ſuis ibi legibus, & reliquæ nationes eorum nutu reguntur, etiam Sinę, qui cum religione Sinenſi habitu depoſito Europæum induerunt. Reliqui Sinæ ſub gregarijs Magiſtratibus viuunt, quos in eum portũ Cantonienſis Respublica delegat. Sed ad Proregem redeamus. ad munus porro quod attineret, nolle ſe quicquam, niſi perſoluto accipere, ac ſubito ex interprete ſingulorũ pretio audito, argenti pondus pro tribunali pendi iuſſit. Id faciebat, quoniam largitiones in eo regno ſeueriſſimè puniuntur. clam tamen miſit, qui renunciaret, id argenti pondus ideo appendi iuſſum, vt alia totidem ſibi denuo compararent, & ad ſe illi ipſi deferrent.

Legati argenti pondere donari honorificè à Prorege dimittuntur

Non prætermiſit P. Rugerius, id, cuius maximè cauſa venerat, vſus interprete, proponere: aſſerens ſe iam Sinenſi ſermoni, litteriſq; operam dare. qua re Prorex maximè ſe delectari præſetulit, ſpemq; fecit, cum aliàs rediret, id quod petebat obtinendi. Donatos deinde argenti pondere, vario commeatu, maximo magiſtatuum militumq; comitatu, & vario tibiarum aliorumq; inſtrumenterum cantu, per publicos vrbis vicos ad ſuum nauigium magnificè remiſit. tãtum poteſt apud omnes lucelli ſpes, ſicubi videtur affulgere.

Auguſto menſe, vt fere ſolent, aduenerant ex India in Amacaenſem portum onerariæ Luſitaniæ. ijs vehebanrur è Societate non pauci; vel Amacaenſi Collegio, vel expeditioni Chriſtia-

Chriſtianę apud Iapones deſtinati. Vnus P. Matthæus Ricius, de quo ſupra, Sinicam in ſpem vocabatur. Attulerat is ſecum horariam è rotis machinam, non inelegantē, Præpoſiti Prouincialis munus, ad rem Sinenſem promouēdam. Et id temporis vrbis Præfectus Auditorem (comparatis iam è Proregis voluntate omnibus) ad eum remittebat, cui etiam vt prius P. Ruggerius comes addebatur, ſed importunè, vel potius, vt ex euentu videbitur, opportunè cecidit, vt in grauem morbum incideret. Ergo Proregi per Auditorem renunciari iubet, ſe per morbum ex condicto redire minimè potuiſſe, habere ſe tamen machinam perelegantem, quæ nullo pulſante, horas ære campano metiebatur, quæ res Sinenſibus noua & inaudita adhæc vſque tempora miro ſemper ſtupori fuit. Fecit Auditor quod erat rogatus, nam oblatis Proregi ſuis mercibus, interrogauit, quid eſſet cauſæ, cur Pater minimè ex condicto veniſſet. Ægritudinem vetuiſſe cum dixiſſet, mœrorem præſetulit: vbi vero de horaria machina inaudijt, tanta eius cupiditate exarſit, vt mox ei, quem habebat à ſecretis, imperarit diploma ſuo nomine ſcriberet, quo Pater cum primum per ægritudinem poſſet, cum admirabili opere illo venire iuberetur. Matthæus Ricius Amacaum appellit.

Diploma illud cum Amacai lectum eſt, plura etiam continebat: Patres enim auctoritate publica vocabantur, vt ædem vtramq; ſacram & priuatam ea in vrbe excitarent. inde magni applauſus, vel domi, vel foris velut in re diu expetita facti. Ipſe verò viſitator ſatis dubius, quid in re præſenti ſtatueret, hærere cæpit. ſentiebat enim nondum ſatis eſſe P. Ruggerium inſtructum ijs præſidijs, quæ ad rem tantam requiri videbantur. permagni enim refert initia benè cōſtitui. Parum abfuit, quin hanc occaſionem, niſi Patrum cæterorum conſenſus arripiendam peruaſiſſet, elabi ſineret. Inter eos ſocios, qui in meſſem Iaponicam mittebantur, aduenerat P. Franciſcus Paſius, Per Diploma Patres Amacao ad Proregem vocantur

P. Franciſcus Paſius in partem laborum mittitur.

quem iam diximus ex Europa eadem nauigatione cum ſuperioribus Patribus Sinicæ rei addictis in Indiam appuliſſe. Vir inſigni prudentia ſolertiaque & gubernandi laude præditus. Eum Viſitator præ cæteris elegit vnum, qui præclaris animi dotibus ſermonis imperitiam ſupplere poſſe videbatur. Ei P. Ruggerium collegam aſſignauit. P. vero Matthæum Ricium D. Martini Catechumenorum Collegio præfecit, ad reliquos deinde duos acceſſurũ, ſi ſpes euentum eſſet ſortitura. Et quia Indicæ nauigationis ſeſe tempus per eos dies aperiebat, qua Viſitator vna cum Dynaſtis illis Iaponibus in Indiam cogitabat, ſcripto reliquit, vt ſi fortè re infecta Patres redire cogerentur, P. Franciſcus Paſius in deſtinatam ſibi prius Iaponiam nauigaret, alij duo in aliam rei bene gerendæ occaſionem intenti, ſuum nihil ominus inſtitutum proſequerentur.

Duo ſocij ad Proregẽ Sciauquinum perueniunt.

Duo igitur ſocij Sciauquinum ad Proregem cum perueniſſent, horariam machinam obtulerunt, cui acceſſit etiam vitrum trigonum, in quo mentitis cum voluptate coloribus obiecta referuntur. Ea quoque res Sinis inſolens, opinionem diu habuit lapidis mirè pretioſi. Mirum, quantum Prorex vtroq; ſit recreatus, & quanta beneuolentia ſocios exceperit. Aſſignauit quoque non incõmodam in Idolorum fano ſuburbano, cui Thien-nin-zu nomen eſt, ſtationem. quo ſæpe commeatum, & varia edulia ſubmittebat, nec raro ſocios in ſuum palatium viſitationis officio fungentes admittebat. In eo fano quatuor aut quinque plus minus menſes commorati, à varijs Magiſtratibus Viriſq; primoribus interuiſebantur. Iamq; magnam in ſpem venerant, eam ſtationem fore perpetuam. nam etiam ab eo qui Proregi erat à ſecretis, vti P. Matthæo venire quoq; liceret, impetrarant. Et iam ille ſe in Amacaenſi Collegio ad iter ſedulo comparabat; Sed ecce tibi ſubito caſu res omnis euerſa, ſpem viſa eſt ſuſtuliſſe potius, quam diſtuliſſe.

Prorex ſtationem ſocijs deſtinat.

Nam dum res eum curſum tenerent, ſubitus ex aula nun-

cius

eius Proregi triſtis, eum officio, neſcio qua ex culpa excidiſſe; nunciauit. Veritus igitur ne aduenarum in proregia vrbe ſtatio ſucceſſori minus arrideret, indeq; ſibi maius malum acceſſeret. Socios ex ea vrbe ita dimiſit, vt in Metropolim tamen diplomate ſuo munitos ablegaret; quo diplomate iubebatur, vt ijs Magiſtratus agrum ædi ſimul, ac ædibus in ea Metropoli deſignaret. Eam Metropolim Sinæ Quam-cheu vocant, ſed Luſitani ex Prouinciȩ nomine deluſi, Cantonium appellarunt.

Socij à Prorege triſti quodã nuncio, dimittuntur.

Hæ rerum vices acerbè ſane ſocios affecerunt, quod eam rem ad ſperatum finem perducere minimè licuiſſet. ſatis enim intelligebant, nullum in Exproregis diplomate præſidium fore, ne nihil tamen intentatum dimitterent, in Metropolim ſecundo flumine renauigarũt, nec minus accidit, quam quod fuerant ſuſpicati, aberat tum forte maris præfectus, quem ſupra diximus Hai-tau nominari, ad quem nominatim diploma dirigebatur, & vt adfuiſſet, nulla diplomatis habita ratione, ne exſcendere quidem à riparum cuſtodibus ſunt permiſſi. Ergo in Amacaenſe Collegium cum mœrore redierunt. Pater deinde Paſius ex Viſitatoris voluntate in Iaponiam nauigauit; vbi annos plures ſtrenuè deſudans, deniq; Præpoſitus Proprouincialis utramq; miſſionem, Sinenſem videlicet, atque Iaponenſem, diu gubernauit. Et cum ea deniq; utraq; expeditio, Prouincia eſſet à Præpoſito Generali appellata, ipſe illius Viſitator renunciatus, in Amacaenſe Collegium venerat, rem in primis Sinenſem curaturus. ſed intra paucos menſes extinctus, magnum ſui deſiderium reliquit. Nam ex ea excurſione ſua prima, neſcio an amoris plus, quam experientiæ, animũ adiecerat ad rem Sinicam promouendam. quod ſanè fecerat è Iaponia ſedulo ſemper & accommodatè.

P. Franciſcus Paſius moritur

Videamus qua ex cauſa tertiùm in regni fines ſine fructus utilitate ſint noſtri euocati. Apud Sinenſes Magiſtratus vſu

Tertiùm ſine fructu, ſocij in regni fines euocantur.

receptum eſt, vt omnium quæ ſcribuntur diplomatũ, exemplar in Archiuio aſſeruetur, & quid in ſingulis executioni mandatum ſit, ad calcem apponatur: vt quolibet in euentu conſtet; quid mandatum, quid peractum. Exturbato igitur Prorege, cum ſucceſſor adueniſſet, ac forte diplomatum volumen eo pręſente euolueretur, inuentum eſt exemplar eius diplomatis, quod abeuntibus ſocijs Exprorex tradi imperarat. quod cum effectum ſortiri minimè potuiſſet, nihil ad calcem de more ſcriptum legebatur. Prorex itaq; in metropolim ſuper ea re ſcribi iuſſit ad maris Præfectum, ad quem id diploma fuerat deſtinatum. Ille quoniam abfuerat, omnium inſcius, ſcribit ad Gubernatorem Vrbis, quem Anſanum Luſitani, Sinæ Hiam-xan vocant, quod ſub eius ditione Amacaenſis quoque portus contineatur. Sed ille quoque inſcius, ad eos militum præfectos, qui Amacaenſi portui præſunt, mandatum ſcribit, vti de ea re quamprimum inquirãt. Ergo cum Epiſcopum adiſſent, in Collegium noſtrum ſunt amandati, quibus diploma, vt erat ſigillo ſuo munitum, oſtenſum eſt, id illi ſibi tradi ſummopere poſtulabant, indignum rati, Proregis quondam ſui diploma in manibus eſſe aduenarum. Re in deliberationem à ſocijs vocata, percommodè incidit eo tempore, Viſitatore abſente, adeſſe Viros è noſtra Societate primarios: Nam Æthiopiæ Patriarcha aderat Melchior Carnerus, qui Æthiopicæ expeditioni diſſolutæ ſuperfuerat, & Epiſcopatum Amacaenſem in Paſtoris abſentia moderatus, aliquamdiu fuerat Collegij Rector: erat & idem Sinicæ miſſionis ſuperior, P. Franciſcus Capralis; aderat ExRector eiuſdem Collegij P. Petrus Gomezius, & necdum abierat P. Franciſcus Paſius, & alij multi, qui Iaponicam in procinctu nauigationem præſtolabantur. Concilium erat omnibus, diploma illud Sinenſibus illis militum Præfectis minimè reſtituendum, ſed vrgendum, vt ſocij duo, illud ipſi in Metropo-

tropolim ad Maris Pręfectum deferrent, & illius executionem poſtularent. In eam rem P. Ruggerius & P. Matthæus Ricius nominati, nec illi ipſi militum Præfecti abnuere, & quoniam vltra non poterant, in Anſanum vrbem nauigandi fecere facultatem ac ſpoponderunt, ibi vrbis Gubernatorem, Ci-hien vocant, eos vlterius in Metropolim dimiſſuros.

Anſanum vbi ſocij peruenerunt, pro tribunali auditi ſunt, ſed eo euentu, vt Gubernator diploma ſibi tradi poſtularet, in Metropolim amandandum, quod cum Socij facere abnuerent, excanduit, arreptumq; diploma in terram abiecit; Proregis inquit officio deturbati, diploma prodeſſe quicquã poſſe arbitramini? in metropolim vero nauigandi prorſus renuit facere facultatem, ſed omnino impetrauit, vti retro ad ſuos renauigarent. Abiere ſocij triſtiores, quod aditum in ipſo ſibi limine occluſum aduerterent. In hoſpitium igitur ſuum reuerſi, audax ſane conſilium inierunt. Ex hoc oppido in Metropolim nullo non die nauigat oneraria quædam non maxima, qua multi quotidie mortales ſe ſuaque transmittunt. In eam ſtatuêre, nulla cetero quin alia facultate, ſe ſi admitterentur immittere, & inſcio Gubernatore in metropolim nauigare. Tergiverſabatur initio Nauarchus aduenas recipere. Sed Patrum interpres adoleſcens vtique ſolers, oſtenſo Proregis diplomate, Nauarcho impoſuit. In onerariam igitur vna cum ſarcinis admiſſi, dum ſe iam vela facturos putant, eijciuntur. Nam cęteri, qui eodem nauigio in metropolim transmittebant, nauarchum ita terruerunt, vt mutato conſilio, Patrum ſarcinas in ripam eiecerit, ipſiq; coacti in hoſpitium, vnde venerant, redire.

Anſanum perueniunt ſocij ad Gubernatorem.

Audax facinus ſocij aggrediuntur.

Eo ipſo tempore triſtis Vrbano Gubernatori nuncius de morte ſui parentis aduenit, qua ex cauſa officio exutus, ipſo momento, ex conſuetudine Sinenſi, ad triennem luctum domum priuatus repetebat. Inde factum eſt, vt nullo prohibẽte,

dies aliquot ſocij in eo oppido ſubſtiterint, omnemq; lapidem mouerint, ad Metropolim adeundam. Id deniq; paucorum nummorum largitione impetrarunt ab eo, qui Gubernatori ſuffectus erat, & ope Notarij, qui, ne aliquod ſibi malũ crearẽt, eam facultatem ita texuerunt, vt non largitionem accepiſſe, ſed Reipublicæ obſequium præſtitiſſe viderentur. Socij itaq; inſcij in metropolim velut captiui nauigarunt. Sic enim ſcribebatur hos ſacerdotes aduenas Anſani repertos, quod haberent, videlicet neſcio quod Exproregis ad Maris præfectum, diploma, ad quem mittebantur.

Perueniunt in Metropolim.

Non ideo minus benignè ab Maris præfecto excepti, nec reſerato diplomate, rogantur ecquid velint? Reſponſum ſupplici libello iam rite confecto datum, quo libello continebatur; eos eſſe viros Religioſos, qui per tot maria, è patrio ſolo venerant, Sinenſis imperij fama allecti, vt in ea ad extremum vſque ſpiritum degerent. Nihil ſe aliud poſtulare, quam exiguam aream, in ea ſe cæli Domino ædiculam excitaturos, nemini ſe porro oneri futuros, vitęq; neceſſaria ſe corrogata iam ab ſuis ſtipe, curaturos. De Chriſtianæ legis euulgatione, nec in hoc libello, nec primis principijs vllus fiebat ſermo, ne ea res neceſſariam in eo regno ſtationem impediret. neq; enim ita de ſe abiectè ſentiunt Sinæ, vt arbitrentur ſe aliquid ab aduenis audire poſſe, quod non in ſuis libris habeant accuratius explicatum. A nouæ quoq; legis prædicatione mirè abhorrẽt, experti quippe, ſeculis ſæpe ſuperioribus, ciuiles rerum nouarum tumultus ab ijs cæpiſſe, qui prætextu legis nouæ multorum ad rebellionem conſpirantium cætus cum Reipublicæ pernicie cogebant.

Socij impetrãt ad tempus cõmorandi facultatem.

Supremus Maris Præfectus ſociorũ vota laudauit quidem, ſed reſpondit tamen id in Superiorum Magiſtratuum eſſe voluntate, & à ſolo Prouinciæ Viſitatore, Cai-yuen ipſi vocãt, vel à Prorege poſſe concedi. Cauſantẽ hæc Maris præfectum.

ſocij rogarunt, vti ſaltem in ea metropoli tantiſper cõmorandi ſibi faceret facultatem, in Palatio Legatorum regni Sian; vbi nundinarum tempore ſolebat P. Ruggerius commorari, donec nundinarum Luſitanarum tempus adueniret; interim ſe vel à Prorege, vel à Viſitatore impetraturos, vti ratam eam haberent ſtationẽ: quam rem præſentibus conceſſit quidem, ſed eo ipſo die renunciari iuſſit: Prouinciale enim luſtrum per eos dies ab Viſitatore inſtituendum, aiebat proinde vereri ſe, ne ſi eos ille, quo tempore negotiatores abſunt, in Metropoli reperiret, id minus moderate laturus eſſet. Illius cenſuram nulli non Magiſtratui eſſe formidabilem. Imperauit igitur, vti extemplo Amacaum ſe referrent.

Conijci facile poteſt, quo mœrore ſocios tam inexpectatus nuncius affecerit. Abiêre tandem, vbi nullam commorandi ſpem, adhibita omni induſtria, ſupereſſe viderunt. Anſanum peruenerunt ac res peiore in ſtatu, quem ante repererunt. Pro Vrbanis portis Proregis noui, cui cognomen Co, edictum expoſitum legebatur, quo edicto præter alia, quæ prouinciale bonum, attinebant, hoc, quod ad rem ſpectabat, de Amacaenſibus ſanciebatur: Primum querebatur multis, varias Amacai fraudes, & alia contra leges fieri, quorum omnium culpam in Sinas ipſos aduenarum interpretes reijciebat, à quibus ipſi aduenæ ad ea ſollicitabantur, ac inſtruebantur: Sed præter cætera compertum ſibi eſſe, Aduenarum interpretes perſuaſiſſe externis quibuſdam Sacerdotibus, vti Sinarũ ſermonem & characteres ediſcerent, & aream in ipſa metropoli peterent ad excitandam ædem ſacram, ſimul ac priuatam, quam rem aſſerebat regno ſuo pernicioſam, cui non expediret aduenas in interiora admitti. Minabatur denique ſe interpretes illos, niſi deſiſterent grauibus ſupplicijs mulctaturum.

Amacaum coguntur reuerti

Edictum Proregis noui.

His auditis, ijsque viris, quæ ipſis acciderant, integro menſe quo negotium hoc excurrit, & animaduerſa incredibili auerſione

uerſione, qua Sinæ aduenas deteſtantur, ſpem prope omnem ſocij depoſuerunt, ſedis vnquam in regni penetralibus locandæ. Hoc potiſſimum Prorege Magiſtratum gerente. neque enim videbatur ille ipſe facturus, quod tantopere improbarat.

Sciauquinum Patres euocantur, & facultatem impetrant ædis extruendæ, ſedisq́ figendæ.

CAPVT QVARTVM.

DESPERATIS ad hunc modum rebus, ſatis admirabile videri poteſt quod ſubiungam; nondum à ſociorum regreſſu hebdomada tota effluxerat, cum è Proregia vrbe Sciauquino in Amacaenſem portum appulit è Proregis Satellitio famulus; deferebat is patentes illius gubernatoris litteras, qui vniuerſam illam regionem ex officio moderatur, Ci-fu; Sinæ vocant, ijs litteris è Proregis auctoritate Patres è Societate IESV Sciauquinum vocabantur, aream è publico ad ædem ſimul, & ædes extruendum accepturi. Hæc ſanè mutatio, dexteræ excelſi, & non humanæ induſtriæ tribuenda. Abſit verbum illud: Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia, ſed cogitandum potius ſocijs, in futuris deinceps laboribus poſt mortales induſtrias ſpem ſupra ſpem erigēdam, nec vnquam deſperanda meliora. Prorex quidem, acerrimis verbis nuper eam rem publico diplomate improbarat: Gubernator eius regionis Patres noſtros ne viderat quidem: ſed non eſt conciliū aduerſus Dominum, in cuius poteſtate ſunt tempora & momenta: quibus ab æterno ſtatuerat hanc gentem ſua luce colluſtrare, & in manu potenti, brachioq́; extento occluſas tot ſæculis fores Euangelij ſui præconibus aperire.

Patres Sciauquinum vocantur.

Admiranda Dei conſilia.

Nam quod in eam rem feciſſe Patres narrabatur, næ nihil humanis calculis rem ſubducendo proderat ad rei tantæ creationem,

tionem, ſi non ea manus interueniſſet, quæ omnia ex nihilo potenter eduxit. Narrabant enim, Patres, ſe cum ſecundo Sciauquinum admiſſi ab Exprorege dimitterentur in Metropolim, præſentibus aliquot Proregum famulis, certam pecunię ſummam ei ſpopondiſſe, qui à nouo Prorege reditum eis impetraret. E quibus vnus, isque infimi ordinis ex ijs militibus, qui pro foribus palatij excubabant, libellum Proregi obtuliſſe dicitur, velut ſociorum interpretis nomine, quo libello ſtationem ſocijs ea in vrbe permitti, & aream ad ædem utramque dari poſtulabat. Mira res, qui aduenas ſacerdotes eorumq; interpretes ita crudeli edicto exagitarat, libellum ſibi ab abiectiſſimo ſatellite oblatum, non modo non reiecit, ſed ad Gubernatorem regionis (dicebatur is Guam-puon è prouincia Cequiana) remiſit expediendum; is patentes militi litteras dedit, quas ille ipſe ad Patres detulit Amacaum.

Æſtimari facilius quam dici poteſt, quo alacritatis ſenſu rem illam noſtri acceperint. idq; eò magis, quò inopinata vehemẽtius in animos velut inſiliunt, & irritant omnino potentius. Videbantur enim ſentire diuinam manum, & ſupra vim humanam cæleſte conſilium. Toties igitur nominati huius expeditionis pugiles, ea comparare cœperũt, quæ ad eam rem neceſſaria eſſe videbantur; Neque id ſine labore, nam cũ hoc negotium ex amicorum liberalitate penderet (ex ijs enim plerique, tribus intra paucos menſes excurſionibus largitatẽ exhauſerant) hanc quoq; profectionem non ſecus ac reliquas in ventum abituram, non omnino temere verebantur. Acceſſerunt eodem multa illius anni naufragia, maximè vero Iaponienſis onerariæ in Inſula Leuquiceo, in qua vna ſunt prope vniuerſæ ciuitatis opes, manum ſtrinxerant eorum, quibus aliàs erat ex more profuſus. Incõmodum Patribus obijcitur.

Verum & hoc incõmodum, Deo prouidente, ſublatum. Amacai degebat ijs temporibus Luſitanus Negotiator tam ac-

quirendis opibus, quàm largiendis fama celebris; Gaſpar Viegas dicebatur. Is qui hanc expeditionem in primis ſemper adiuuerat, & nunc eam calamitoſiſſimo ciuitatis tempore minimè dereliquit. nam pecuniarium eleemoſynæ nomine ſubſidium ſocijs eiuſmodi contulit, vt huius expeditionis initijs ſufficere poſſe videretur. Et quoniam eius officiosè memini, non omittendum duxi, quod is Goanam Probationis domũ Societati erexit, annuoq; cenſu ſtabiliuit, ac deniq; morti vicinus in Societatem noſtram adſcribi petijt, & impetrauit. Neque vero ille ſolum, ſed alij quoq; amici, Collegijq; Rector P. Franciſcus Capralis multa contulere; quibus inſtructi, ſoluerunt magna ſpe pleni, fore vt nunc tandem aliquando hoc negotium optato fine clauderetur.

Eleemoſyna ſocijs ſubuenitur.

Benefactor Patrum ſocietatẽ ingreditur.

In Cantonienſi Metropoli, & nunc & cum prius Sciauquino dimiſſi redirent, Hiſpanos repererunt. Nam cum è Philippinis Inſulis nouam Hiſpaniam peteret oneraria quædam, vi ventorũ in Inſulam Prouincię Cantonienſis acta, cui nomen Nan tau, ibi naufragium fecerat. Cum porro omnes è ſalo in ſolum euaſiſſent, ab Sinis compræhenſi aſſeruabantur, dum ſtatueret Prorex quid ijs fieri vellet. è quibus tres omnino aduentus ſui rationem reddituri in Metropolim fuerant amandati. Nunc vero octo decemue è Sacra D. Franciſci familia religioſos repererunt, qui ex ijsdem Inſulis Philippinis in regnum Sinenſi conterminũ, Caucincina dicitur, ideo nauigarant, quod auditũ erat, illius Regem Chriſtiano ritu ędem ſacrã velle excitare. Verum poſtea peius habiti redibant in patriam: quo in reditu naufragium in Inſula Sinenſi Prouinciæ Cantonienſis, cui nomen Hainan, paſſi, à Sinarum claſſe compræhenſi, rebus omnibus exuti, & pro pyratis habiti, Magiſtratibus ſiſtebantur. Magna fuit horum Patrum exultatio, nec minima noſtrorum, cum ſe eadem ex cauſa inter infideles reperirent. Eos noſtri, quia liberi captiuos omni humanitatis officio

In naufragi ſocij compræhenſi.

E D. Franciſci familia aliquot in Naufragio capiuntur.

ficio recrearunt, quin etiam effecerunt, vt ex ijs aliqui Augu-ſtiſſimum Miſſę Sacrificium in Palatio Legatorum regni Sian, vbi noſtri commorabantur, celebrarent, quod cum iam diu minimè licuiſſet, magno cæleſtis gaudij ſenſu perfecerunt. Nec nihil in omnium liberationem contulere, cum enim à noſtris aſſereretur, eos eſſe viros Religioſos, de quib⁹ id ne ſu-ſpicari quidem liceret, cuius inſimulabantur, rogareturq́; vti lautius haberentur, Amacai omnia etiam cum fænore reſti-tuenda; breui factum eſt, vt egentes abundarent & captiui o-mnes liberarentur, in oppidum Amacaenſe amandati.

Franciſcani noſtrorum opera liberantur.

Hæc in tranſitu. Diſceſſerāt è Collegio ſocij Septembri men-ſe ineunte anni 1583. & Sciauquinum duce Milite illo nemi-ne vſpiam iter retardante, quarto Idus eiuſdem menſis perue-nêre. Mox in Gubernatoris palatium deducti, ab eo pro tribu-nali tum ſedente, flexis genibus, vt cæteri, perbenignè fuêre accepti, interrogatiq́; qui, & vnde, & quorſum? Hi opera In-terpretis in hanc fere ſententiam reſponderunt. Eſſe ſe viros Religioſos, qui vnum cæli Dominum pro Numine venera-bantur: Veniſſe ſe ex vltimis ad occaſum orbis partibus, iti-nere annorum trium quatuorúe ad hoc Sinarum Imperium illius fama euocatos: cupere ſe in hoc locum aliquem, vbi pro-cul à Negotiatorum tumultu, & rerum profanarum impedi-mentis (quæ Amacai omnino repererant) liceret ſibi exiguas ædes ad habitandum & ædiculam ad numen colendum exci-tare, quod ſuum inſtitutum ad extremum vſque diem certum erat retinere. Eum igitur enixè rogabant, ne ſua vota reijce-ret, ſeq́; in perpetuum, hoc tam inſigni beneficio adſtringeret, maximè quod ſponderent, nemini ſe moleſtiam aut ſumptum parituros. Vir erat natura comis, & ad bene agendum pro-penſus; ergo ſubito amore ſocios eſt complexatus, & quibus in rebus potuit impensè ſemper fouit. Reſpondit igitur in hunc fere modum. Nihil ſe dubitare de eorum, cuius in-

Socij Sciauquinum perueniunt à Gubernatore examinantur.

tuitu, illorum ſe patrocinium ſuſcepturum: Obirent igitur ciuitatem, loca omnia luſtrarent, vnum eligerent, effecturum ſe, uti Prorex in eorum veniret voluntatem.

Turris exædificatur in agro Sciauquinenſi.

Hoc eodem tempore Sciauquinenſis regio communi vndecim vrbium ſuarum ſumptu turrim exigebat ex ijs, quas antiqua ſuperſtitio perſuaſit, ſortem vniuerſæ regioni proſperam importare. Et iam primũ pauimentum, ſupra quod alia nouem erigenda erant, aſſurrexerat; & amæniſſimo quidem loco ad ripam fluminis magni, & commodè nauigabilis, à quo Proregum & Gubernatorum ſedes Sciauquina ſub ipſa vrbis mænia opportunè alluitur, à quibus aberat turris milliario & amplius; verum eo vſq; & vlterius etiam ager ſuburbanus habitatur non infrequenter, & conſitis arboribus hortiſq; cum voluptate ſpectatur. Eodem in agro erecta iam turri, magnificum templum delineabant: quo in templo, Gubernatori ſex totos annos de vniuerſa regione, litteratis ac plebe bene merito, grati animi teſtem, è gentis ritu ſtatuam ſtatuebant.

Sedes Patribus à Gubernatore conceditur.

In eum locum noſtri, ab eo milite, qui eos adduxerat, & alijs quos è ſuperiore aliquot menſium ſtatione ſibi conciliauerant amicis deducuntur, iſque ita cunctis arriſit, vt non omnino ſtatuerint, aliud nihil vel luſtrandum, vel petendum, quam illius agri partem, in quo turris florida (ita ob varietatem operis dicta) conſurgebat: hanc itaq; ſententiam ſuam die inſequenti Gubernatori ſignificarunt. Nihil illi gratius accidere poſſe viſum; nam cum hæc vniuerſa eo vel auctore conſurgerent, vel auctori erigerentur, totum hoc opus velut rem ſuam promouebat. Itaq; viſum ei eſt, loco non parum ornamenti acceſſurum, ſi aduenarum ſacerdotum habitatione, re apud Sinas inſolenti, cohoneſtaretur. Eos igitur domum remiſit curam in ſe ſuſcipiens vel libelli, quem Proregi daret componendi, vel rei impetrandæ.

Non procul ab eo fano, in quo prius ſub Prorege alij ſocij fuerant

fuerant commorati, degebat iuuenis honeſtus & ingenioſus cognomine Ciu, nomine Ni-co; is quia vicinus, familiariter noſtris vſus fuerat, & peculiaris amicitiæ vinculum contraxerat, eo maximè, quod eum Patres fide Chriſtiana non mediocriter imbutum, in Chriſti ſacra pelliciebant, ſed inopinatus diſceſſus rem diſcuſſit. huic tamen aram, in qua Deo optimo maxime quotidiè litare conſueuerant, aſſeruandam tradiderunt, vt quoniam Neophyti deerant, is minimè ineptus videbatur, qui minus aberat à Religione Chriſtiana. Eum igitur, cum in hoc reditu primum viſitarent, ab eo ſunt cum vniuerſæ familię gratulatione ſuſcepti. Aram vero illam ipſe in aula loco decenti ſtatuerat, & ſupra aram, quod alia deeſſet effigies cubitalibus in tabula characteribus duobus, Dei nomen expreſſum legebatur, in hunc modum; Thien-chu, Cæli Domino. Et in eadem ara ſeptem octoue foculi, vel thuribula odoriferos ſuffitus continebant. Ipſe vero ſuis ante aram temporibus non plane ignoto Deo diuinos honores & ſtatas preces exhibebat. Ea res cæleſtis gaudij dulcedine Patres compleuit, cum viderent iam tandem aliquando poſt tot ignorantiæ ſæcula, reperiri vnum aliquem, qui veri Numinis nomen inuocaret. Iuuenis porro ſocios domo abire omnino non permiſit, uſq; dum ab Gubernatore Proregis reſponſum acciperent. Id Patribus accidit percõmodè, nam per eos dies in ara ſua Miſſæ ſacrificia pro felici tantæ rei ſucceſſu peragebant.

Ara à quodam Neophyto aſſeruata.

Nec diu pependit reſponſum, quo enim die Exaltatæ Crucis celebritatem Eccleſia peragit, ſocij ſunt ab Gubernatore accerſiti, redditiq; certiores, poſtulata ſua Proregem approbaſſe, iuſſi ergo in diem inſequentem, in Turris aream ſe conferre, aduentumq; ſuum ibi præſtolari, aream ſe extruendæ cum primum voluerint ædi deſignaturum. Redditæ pro beneficio ab ſocijs Gubernatori gratiæ gentis ritu, percuſſo leuiter ſolo fronte tertio demiſſa. Inde Domum reuerſi, Deo

Area ſocijs ædificandæ ædi deſignatur.

Optimo Maximo latius ſua beneficia gratulati, nullum gratiis agendis finem dabant, quod tum demum tanta res tantopere expetita, tot annis procurata, imperrata videretur, ad eius vt ſperabant gloriam, in hoc vaſtiſſimo oriente, ac Reipublicę Sinenſis bonum immortale.

Die igitur inſequenti eum in locum ſe ſocij contulere. Aderat quoq; Gubernator vna cum altero è Collegis: è ciuibus porro accerſitus venerat quidam operum præfectus, qui poſt adminiſtratam quoq; alibi Rempublicam domi ſuæ tum priuatus degebat, & vna cum alijs ciuibus primarijs Turri extruendæ præerat. his non ſatis arridebat Patrum conſilium, & iam gubernatorem monuerant periculum eſſe, vt alij deinde ab his aduenę ex Amacaenſi portu accerſerentur, à quibus ipſa Ciuitas publicum fortaſſe caperet detrimentum. Hinc Patres à Gubernatore quamprimum moniti, viderent ne ſocios aduenas in contubernium euocarent, & Sinenſis Reipublicæ leges accuratè obſeruarent. Socij autem modeſtè reſponderunt, ſe omnino imperata facturos. Deſignatus igitur in eo campo angulus ad ædem excitandam, qui cum anguſtus vtrumque videretur ad aream templi & ædium explicandam, Interpres id Gubernatori ſignificauit. Ille vero, habitationi ſolum locum deſtinatum, Templum enim amplum & magnificum deſignari. Intellexere ſubito Patres, deluſum Gubernatorem arbitrari, velle noſtros illi fano quod in eius honorem extruendum erat, præeſſe: quem oportuit omnino de rebus noſtris admoneri. Dictum igitur ſe idola minimè, ſed vnum cæli Dominum pro numine venerari. Subſtitit aliquantum admirabundus Gubernator, arbitratus fortaſſe aliam nullam reperiri numinis colendi normam præter eam, quę ab Sinis obſeruatur. Cum alijs deinde aliquantiſper collocutus, ait: Nihil admodum refert, fanum extruemus: in illud deinde quas voluerint Deorum effigies inferrent. Et nihilominus aſſignatæ areæ anguſtias aliquanto laxauit.

Gubernator deluſus inſtruitur.

Ingens

Ingens vt in re noua & hactenus apud Sinas inaudita, concurſus, nam tota illa turris area ſic oppleta eſt, aduenas ſacerdotes videre cupientium multitudine, vt eam ne ipſi quidem Gubernatores vel ſatellitio vel auctoritate perrumperent. Vbi vero trigonum illud vitrum Gubernatori primario delatum munus oblatum, & icuncula Deiparæ Virginis viſa eſt, penè obſtupuerunt. Quibus vero è vicino videre licuit, ijs tanta coorta eſt admiratio, vt in ſtuporem verſi viderentur. Magiſtratus maximè qui aderant Gubernatori, quo admirabilius omnia efferebant, eo acrius curioſæ multitudinis deſiderium acuebant. Gubernator ea in palatium deferendi, petiit ſibi fieri facultatem, vt vniuerſam familiam hac nouitate recrearet. Ergo hæc ſocij & alia nonnulla illi ſubmiſere, precati, vt ea munuſcula recipere ne grauaretur. Verum omnia deinde cum fide reſtituit, etiam ſudariolum acu pictum Europæo more perelegans, tametſi vna ex illius Vxoribus illius deſiderio mirè flagraret. Tanta eſt Sinarum Magiſtratuum formido verius quam religio, quæ eos à largitionibus palam accipiendis maximè deterret: verebatur enim ne teſte Ciuitate vniuerſa inſimularetur, quod pretioſſimis muneribus delinitus, aduenas ſacrificulos in Sinenſe regnum admiſiſſet, & perpetua ſtatione donaſſet.

Concurſus hominum ad aream.

Ex eo quod intellexerant ſocii ſuam ſtationem parum nonnullis arridere, ſtatuerunt ſibi omnino feſtinandum, ne mora quicquam moliendi tempus & facultatem daret, extemplo igitur ædium fundamenta ponere ſtatuerunt, & vt præſentes inſtarent operi quam maximè, vicinam pretio domunculam conduxere, ibi erecta ara Dominicis aliiſq; feſtiuis diebus ſacris operabantur, reliquo tempore ipſo in loco è laterum congerie, quam operi parabant, vtcumq; licuit, ſtationem adumbrauere: vbi ad reliquos labores accedebat incredibilis omnium ordinum concurſus, quem aduenarum ſacerdotum fama,

Aedium fundamenta ponuntur.

Gentem Sinenſem ſibi Patres conciliant.

fama, quæ inſolentem oris ſpeciem, & reliquam Europæarum rerum nouitatem ſupra verum de more ſparſerat, è locis etiam non proximis exciebat. his omnibus fieri omnino ſatis oportebat, idq; vnum vt facerent ſocij laborabant, quo auerſam ab aduenis natura gentem, omni vrbanitatis genere conciliarent. Ergo trigonum illud vitrum, quod illi lapidem ſine pretio pretioſum appellabant, Libros noſtros, Dei Parentis effigiem & alia quibus nouitas ſplendorem dabat, cuilibet optanti oſtendebant.

Interim Vrbani Baccalaurei alijq; litterati, ij maximè qui floridæ Turris operibus præerant, non ſatis æquo animo noſtrorum aduentum in Vrbem ſuam, & iniquiore locum eo in agro illis deſtinatum, ferebant, & externos fortaſſe rerum ſuarum teſtes futuros exiſtimabant. Ergo in Vrbe muſſitare primùm, deinde etiam tumultuari, facturos hîc externos iſtos quod eos in Amacaenſi portu feciſſe conſtabat, quo primum pauci negotiatores aduenerant, ſed ij annuis incrementis in eam multitudinem excreuerant, vt iam exterminari non poſſe viderentur. His aliiſq; ſermonibus impetrarunt deniq;, vti ſummus ille operum Præfectus, quem vna cum Gubernatore ſupra veniſſe diximus, Tan-ſiuo-hu vocabatur, Patribus renunciari iuberet, vti ab inchoanda æde abſtinerent, cauſatus eum diem ædificio nefaſtum in ſuis faſtis pronunciari, ſe aliũ feliciorem poſtea electurum, quo ædibus ſuis ritè principium darent. Verum ſocij rem ſubodorati, reſponderunt, ſe illum diem ſcire non minus ac reliquos eſſe fortunatum. Et tamen ſuperueniente imbre prohibiti, vellent nollent opus diſtulere. forte ita Deo diſponente, ne quid turbarum ab aduerſariĩs cieretur, res enim poſtea, iis maxime volentibus adiuuantibuſq; ita compoſita, vt & noſtris commodius planè & ex voto ceciderit.

Ab inchoato opere Patres iubentur deſiſtere.

Ne quippe à noſtris ſpreti viri primarij viderentur, nihil eorum

eorum renunciationi tribuentibus, P. Ruggerius vna cum ſuo interprete ad auctores tumultus ſe contulit, ſui rationem redditurus. Oſtendit igitur non eo ſe animo veniſſe, vt bene meritam de ſe Rempublicam & nominatim ciuitatem læderent, aut ſiniſtri quippiam molirentur. His alijsq; facti æquiores, cum minimè poſſent Gubernatoris conceſſionem infirmare, ad rem è partium voluntate componendam deuenêre. Volebant igitur vti noſtri loco ſibi deſignato cederent, quod molium ſuarum ideam deformari dicerent: aliam offerebant aream plateæ viciniorem, quæ domus noſtræ ianuam extra illius campi ſepta fieri permittebat; quod noſtri ſummis votis expetebant, atque ita coemptis aliquot caſulis aſſignataque campi parte non exigua, noſtri tandem libentes acquieuere, conciliatisq; iam animis etiam ab ijs noſtri ſunt adiuti. cum enim lateritium per eos dies opus intermiſiſſent, multa laterculorum millia, & lignorum ſtruem noſtris commodarunt, vti opus denuo inchoatum citius conſurgeret, & ad finem perduceretur.

Alia offertur Patribus area pro ædificio.

Delinearant noſtri exiguam quidem, ſed non inelegantem domunculam Europęo more. quæ quidem in alteram contignationem aſſurgeret, Sinenſi ferè conſuetudine, quæ vna contignatione tectum claudit; ſed commune malum, initijs maximè, tenuitas noſtra ædificium neceſſario ſiſtebat. Nam Amacaenſia ſubſidia vrbis calamitas abſtulerat; Et Collegij Rectori huius quoque Miſſionis Superiori tutius videbatur, ab huiuſmodi mole abſtinere, ne quam tenerrimis ad ſuſpicandum indigenis delineatæ arcis vmbram facerent. Et tamen ne periret, quod iam erectum erat, trigonum vitrum pignori dederunt, eius loco aureos viginti acceperunt, quibus ea pars quę excitata fuerat tecta, ſocijs ad habitandum hoc modo ſatis fuit, dum ſperatum aliunde ſubſidium adueniret.

Tenuitas ſociorum ædificium ſiſtit.

His ita peractis, ad confirmandam, Magiſtratuum au-

Statio ſociorũ
Diplomate Proregis confirmatur.

ctoritate, ſuam in eo loco ſtationem animum adiecere. A Prorege igitur primum ampliſſimum accepere diploma, quod pro foribus appenderent. Eo diplomate narrabatur primum, qua ratione noſtri Sinarum fines attigiſſent, idque cum inſigni commendatione virtutis atque ſanctimoniæ laude, deinde ſignificabatur ſe Proregis auctoritate locum ad cõmorandum, & ſuo ſumptu viuendum deſignaſſe. Inde gtauiſſimis pœnis propoſitis vetabatur, ne quis quicquam noſtris moleſtiæ inferre auderet, id neminem plane impunè facturum.

Gubernatoris beneuolentia erga Patres.

Non ita multo poſt patentes litteras officij ſui ſigillo munitas idem binas dedit: vnæ donationem illius areæ continebant, alteræ facultatem faciebant in Metropolim, Amacaum & quo alio vellent per vniuerſum regnum commeandi. Ipſe vero Gubernator frequens Patres viſebat, & alios Magiſtratus primarios adducebat, grauiſſimisq; verbis in omni eos congreſſu cõmendabat. Neomenia qualibet ex more in tribunal itabant ſocij, & ſolitos ritus honorisq; cultum illi exhibebant, vbi viciſſim multis beneuolentiæ ſignis ab eo excipiebantur, Vnde noſtri ſemper profeſſi ſunt, ſe illi ſub hæc principia maximè multum debuiſſe, quam grati animi recordationem varijs munuſculis ſubinde teſtati ſunt. Huius proinde viri apud omnes authoritas, & in adminiſtranda Repub. integritas, tantum valuit, vt multi de noſtris pellendis nihil ultra muſſitarint. Nec ſolus hic fouendos tuendosq; Patres ſuſcepit, reliqui Magiſtratus eodem euentu ab alijs ſæpè viſebantur. Vnus Prorex noſtros in conſpectum ſuum non admiſit. nam cum ad eum ſocij pro Tribunali conſidentem gratias de ſtatione conceſſa reddituri adire voluiſſent cum munuſculis, ea nec attigit, nec ingredi permiſit: Renunciari tamen iuſſit, nihil opus eſſe, vel eos admitti, vel de muneribus eſſe ſollicitos, contenti viuerent loco ſibi deſignato.

Cum

Cum Sinis de Legis noſtræ capitibus paulatim ab Sociis agi cæptum.

CAPVT QVINTVM.

IN his fere principijs, ne quam ſuſpicionis vmbram legis noſtræ nouitatẽ facerent Socij, non admodum dilucide de ea ſermonem inſerebant, ſed potius quod ab excipiendis viſitantium officijs vacuum tempus ſupererat, id ferè in vernaculi ſermonis, ſcriptionis ac rituum gentis ſtudio impendebant. Enixè interea laborabant, vti compendioſiorẽ ad docendum viam, vitæ ſanctimonia, virtutumq; exemplo, Sinarum animos ſibi conciliarent, & ad id ſenſim ſine ſenſu diſponerent, quod nondum verbo vel ſermonis infantia, vel gentis vitio poterant ſine periculo euertendæ rei perſuadere. Et habitum quidem eum adhibebant, qui modeſtiſſimus apud Sinas habebatur, nec à noſtro admodum diſcrepabat, talaris ea erat toga, manicis laxiſſimis; quam rem Sinæ maximè comprobarunt. *Initia Sociorũ in docendis Sinis.* *Patrum veſtitus.*

Domus noſtra duas habebat vtrimq; cellulas, & media erat velut aula quædam, eam in Oratorij morem cõcinnarunt, aram ipſam in medio ſtatuentes, ſuper qua Sacram Dei Parentis effigiem vlnis ſacrum pignus filiolum geſtantis collocarunt. Vt Deo quem nos colimus authoritatem noſtri conciliarent, Thien-cui, hoc eſt, cœli Dominũ appellarunt; cum enim D conſonantem neſciant, aptius illi nomen indere non potuerunt, quod apud Sinas magnificum diuinumq; videbatur. Et hæc appellatio ab his principijs orta in hanc vſq; diem perſeuerat, ſiue in congreſſu Deum, ſiue ſcriptis libris contingat appellari, quamuis deinde claritatis cauſa, alijs quoque nominibus appelletur, inter quæ celebriora, Supremus omnium moderator, Primum rerum omnium principium & alijs huiuſcemodi. Deipara vero, Magna Dei Mater appellatur. *Aram in aula domus ſtatuunt.* *Deo authoritas cõciliatur.*

Cultus Sinenſium ergaDeiparam.

Hanc porro Dei Parentis & pueruli Iesv effigiem in ara collocatam, quotquot ad viſendos Patres accedebant, ſiue ij Magiſtratum gererent, ſiue litterarum gradibus inſignes eſſent, plebs quoque vniuerſa, quin ipſi quoque ſimulacrorum ſacrificuli, ſolitis inclinationibus ac genuflexionibus, ſolum fronte leuiter, gentis ritu quatientes, venerabantur ſanè religiosè. Picturæ vero præſtantiam, viua lineamenta coloresque admirandi nullum finem faciebant Quanquam non ita multo poſt ſublatæ Deo parentis imagini è primario altari, Chriſti Seruatoris effigiem, grauibus ſane de cauſis ſubſtituere, viſum eſt accommodatius. Primùm quidem, ne (ut fama iam ſparſerat) nos mulierem pro Numine venerari ſibi perſuaderent. deinde, vt ſublime illud incarnati verbi myſterium commodius edocerentur.

Chriſti effigies imagini Deiparæ ſubſtituitur.

Inde ſua ſponte veniebant non pauci de legis noſtræ capitibus aliquid audituri: nam fere gens acris ingenio de ſuarum ſectarum non immerito dubitat vanitate: hac de cauſa Decem decalogi præcepta Sinenſi ſermone Socij donauere, eaq; typis edidêre, & volentibus tradidere; nec pauci aſſerebant ea ſe in poſterum obſeruaturos, quod ea viderent mirè cum lumine ac lege homini à natura indita conſpirare. Cum opinione SS. Legis noſtræ creuit veneratio. multi enim ſuffimenta ſacros ad vſus ſponte ſua conferebant; nec nihil ſocijs alendis eleemoſynæ nomine largiebantur. Oleum etiam ad concinnandam lampadem, quę coram ara ſplendebat, offerebant. Procliue admodum erat credere, noſtros aliquot agros idolorum fanis aſſignatos, à Magiſtratibus impetraſſe, Sed viſum eſt aptius Chriſtianam non vendere libertatem, hac enim ratione noſtri peculiarem in modum in Magiſtratuum futuri fuiſſent poteſtate. Et valuit hoc quoque non parum ad SS. legem noſtram ab omni cupiditatis ſpecie vindicandam, iam enim ab ipſis principijs apud Sinas conſtat, legis diuinæ præ-

Decem Decalogi præcepta traduntur.

Liberalitas Sinenſium erga Patres.

cones

cones è Religione quæſtum minimè procurare, & ex eo facilior ſemper noſtris fuit in palatia Magiſtratuum aditus, quod ij iam ſatis intelligerent, noſtros nihil ab ijs nec opportunè nec importune poſtulare; quod omnino faciunt quotquot ab ijs in familiaritatem admittuntur.

Legis Chriſtianæ euulgandæ modus.

Mutus hic legem Chriſtianam euulgandi modus, qui pro verbis opera ſubſtituit, nihil habuit minus virium ad ſpargendam vbiq; ſanctiſſimæ legis noſtræ nouitatem. nam in poſterum veniebant permulti, rerum fortaſſe nouarum deſiderio euocati, redibant autem omnes rerum diuinarum ſtimulis tacti, nam liberius deinde Patres, hortatoribus ipſis velut Sinis, qui ſciſcitando inſtabant de orbis Chriſtiani ſanctiſſimis moribus, imo etiam de Sinenſium ſimulacrorum vanitate diſputabant, idque faciebant vel Interpretis opera, vel lingua licet impeditiore quam didicerant, non enim quod volebant, ſed quod poterant efferebant, maximè vero in eo inſtabant, legem noſtram vniuerſam maximè cum innata homini luce conſentire. E qua luce legem antiquiſſimi Sinarum Doctores ſuis libris tot prius ſæculis, quam ſimulacrorum inanitas irreperet, commendauerant, eamq; legem minimè ſe tollere, ſed adimplere, ſupplentes ea, quæ lumine ſupra naturam illuſtrati, & ab ipſo Deo homine edocti didicerant.

Pauper quidã, primus Chriſtianis ſacris initiatus apud Sinas.

Hæc ferè applauſu maiore quam fructu dicebantur, nondum enim Sinenſis elatio ita detumuerat, vt in aduenarum Religionem tranſire nullo ciuium ſuorum exemplo poſſe videretur. Primus igitur qui in Sinarum regno Chriſti ſacra ſuſcepit, ex infima fuit fece hominum: Infirma enim mundi elegit Deus, vt confundat fortia. Is inſanabili morbo ad medicorum deſperationem afflictus, in publico agro iacebat à parentibus crudeliter eiectus domo, quod vix ſeipſos ſuſtinerent, id vbi reſcitum à Patribus, hunc adeunt & interrogant, velletne legem ſuſcipere, quæ deſperato iam corpore,

animam in tuto felicitatis æternæ portu collocaret. Ad hæc igitur lęto animo reſpondit, omnino ſibi eam legẽ arridere, quæ huiusmodi miſericordiæ opera ſuis perſuaderet. Ergo à domeſticis famulis extruitur illi ruſticum, ſed nitidum tamen mapale, ibi eum omni neceſſario ſumptu noſtri recreabant, ac ſimul fidei Chriſtianæ capitibus imbuebant, poſtea vero quam ſatis inſtructus videbatur, Baptiſmum primus in Sinarum regno ſuſcepit, ac ne perderet, quam acceperat innocentiam, Sinenſis regni primitię, paucis poſt diebus ad cœlum, vti iure ſperari poteſt, euolauit. hoc maximè principio in rem tantam inchoauit Dominus, vt cum hac Eccleſia quoque ſuum retineret inſtitutum. Ac ne meriti pars vlla ſeruis ſuis ex pij operis applauſu forte detraheretur, permiſit etiam, vti hoc opus obtrectatorum iaculis impeteretur, commenti ſunt igitur nonnulli, aduenas illos, ex ipſo hominis vultu cognouiſſe, eum in capite pretioſiſſimam gemmam habere reconditam, ideoq; hæc in viuentem beneficia contuliſſe, vti demortui cadauer ad eruendam gemmam in eorum eſſet poteſtate.

Opinio Patrũ creuit.

Magnam Religio Chriſtiana in hac etiam principiorum ſterilitate opinionem ſibi non ſolum ex ſanctimonia veritateque, ſed etiam rebus exiguis non parum conciliabat. Videbant domi noſtræ libros ex Europa complures, & ex ijs ingentia quædam volumina, iuris nempe Canonici codices, admirabantur typorum elegantiam, concinnam inuolucrorum etiam inauratorum ſpeciem, ac tametſi nec intelligerent, nec legerent, quæ continebantur, ex ipſo tamen ornatu non ineptè ſanè nonnulla colligebant, ea nimirum quæ ijs in libris legebantur magni eſſe momenti oportere, in quibus ornandis nullis ſumptibus parcebatur; præterea apud Europæos litteras ac Scientias eſſe, & quidem in pretio, eosq; non ſolum cæteras poſt ſe relinquere nationes, ſed ipſos etiam Sinas,

quod

quod ipſi nullis, niſi oculis teſtibus, in animum prius induxiſſent. Videbant etiam ſocios Europæis ſcientijs minimè contentos, ad Sinenſia volumina diu noctuq; euoluenda animum etiam applicuiſſe, in eum finem litteratum vnum aliquem ſtipendio allectum domi habere, muſæum ſuum ſuis etiam libris oppleuiſſe, vnde minimè dubitabant, Patres, apud ſuos, litterarum laude inſignes haberi. Inde factum eſt, vt litterati viri non pauci plus aliquanto de fidei noſtræ capitibus exigerent, quam quod decem præceptorum formulis circumferebatur. Ergo Patres his rerum ſucceſſibus ad audendum incitati, & aliquanto iam peritiores, vna cum domeſtico rerum Sinenſium Magiſtro Doctrinæ Chriſtianæ volumē ad ingenia Sinenſia accommodatè concinnarunt. In eo volumine nonnulli ſectæ idolorum errores confutabantur, ea maximè quæ ductis è naturę lumine rationibus perſuaderi nequaquam difficile eſſe videbatur. nam reliqua priuatę Catechumenorum inſtitutioni Patres reſeruabant, quia nondum ab ipſis pro dignitate ſcribi, nec à Sinis cum approbatione legi poſſe putabantur. Id volumen illi ipſi typis ſuis euulgarunt, & admirabili applauſu doctiſſimi quique acceperunt; ſed præ omnibus Gubernator Patribus addictus, & admirator extitit ſingularis huius voluminis, cuius exemplaria prope innumera vniuerſo regno ſparſa, legis nouæ famam in vniuerſam Sinenſis imperij vaſtitatem intulerunt, eò faciliusq; penetrarunt, quo nondum auctores poſt tot annos penetraſſe potuerunt. Quin etiam aptius longe in hoc regno ſcriptis fidei noſtræ capita, quam verbis exponuntur, non ideo ſolum, quod Sinæ librorum ſint veri helluones, maximè ſi quid contineant nouitatis, ſed quia Sinica ſcriptio hieroglyphicis illis characteribus expreſſa peculiarem habet in exponendo vim atq; maieſtatem.

Doctrinæ Chriſtianæ volumē concinnant.

Doctrinæ Chriſtianæ exemplaria ſparguntur cum fructu

Hæc vbi animaduertiſſet Gubernator, & Socios opinione

ſua

ſua Superiores comperiſſet, ſtatuit eos etiam inſigni apud Sinas ritu cohoneſtare. Solent enim ſummi quiq; Magiſtratus, ſi quando beneuolentiam ſuam, qua familiares ſuos perſequũtur, volunt palam euulgare, magno apparatu & pompa Tabulam inſigni opere ſtriatam, & coloribus illuſtrem mittere, in ea tabula cubitalibus inſculpta characteribus tribus quatuorue inſcriptio legitur, quibus eius qui cohoneſtandus ſuſcipitur laudes explicantur; ad latus, infra inſcriptionẽ, alterum minori charactere, eius Magiſtratus nomen ac dignitas ſcribitur, qui amicum cohoneſtat, ad alterum vero latus annus legitur illius inſcriptionis, qui apud Sinas, ab eius qui regnat, inauguratione numeratur.

Patres publico honore à Gubernatore afficiuntur.

Voluit igitur Sciauquinis Gubernator ſocios, quos ipſe protegendos, ornandosq; ſuſceperat, eos hac honoris formula commendare ideo, quia iam eo honore digni ob res hactenus geſtas videbantur; & vt populus eius auctoritatem ſecutus, eos coleret ac veneraretur impenſius. Binas igitur huiuſcemodi domum noſtram inſcriptiones ſolito apparatu ſubmiſit. Alteram volebat ſupra ædis ſacræ limen, quod erat etiam ædi priuatæ commune collocari. Inſcriptio illa erat in hunc modum. Diuorum floris ædes. Alteram in ea volebat aula ſtatui, quæ amicos viſitatores excipit, huius hæc erat ſententia: Gens ex occaſu ſacroſancta. Hæc ſuis locis collocata magnam noſtris apud omnes ordines auctoritatem pepe rere, nemo enim erat qui non inſcriptionem priorem in tranſitu legeret, vel poſteriorem in conſeſſu. Ex quo fiebat, vt nemo neſciret, quanti à grauiſſimo huius regionis Magiſtratu fierent, cuius erat in vniuerſa prouincia incredibilis opinio, non ex officij litterarumq; magis maieſtate, quam ex opinione virtutis ac Reipublicæ bene geſtæ collecta.

Abſen-

Abſente P. Michaele Ruggerio graui calumnia P. Matthæus Ricius liberatur, & Mathematicis operibus in ſtuporem Sinas adducit.

CAPVT SEXTVM.

LONGA Amacaenſis ſubſidij penuria, in eas Socij venerant rei familiaris anguſtias, vt & non pauca debitorum nomina contraxerint, & familiam vltra ſuſtinere non potuerint, ab interpretibus neceſſarijsq; famulis inſtructam. Ædificium enim iam diu ſtiterat eadem tenuitas, quæ maiora etiam indies mala minabatur. His vt occurreret P. Ruggerius omnino ſtatuit ipſe in Amacaënſem portum excurrere, vt iam amicos euentu lætiores, ad promouendam tot annis expetitam hanc expeditionem inflammaret. Ergo à Gubernatore nauigium petit, & impetrat ſanè magnificum, & quali ſumptu publico vehi Magiſtratus ſolent, inſtructum etiam amplius triginta Remigibus, idq; ea facilitate ac beneuolentia, vti facile amorem in ſocios ſuum teſtaretur. Et quoniam inaudierat eo in oppido horarias cudi machinas, rogauit etiam atque etiam, vti confici ſibi iuberet ab artificibus vnam, ſe ſumptum deinde omnem cumulate redditurum.

P. Ruggerius rei familiaris anguſtijs ſuccurrere conatur.

Vbi appulit P. Michael, eandem temporum calamitatem reperit, nam è Iaponia nondum oneraria redierat, è qua vna ciuitatis illius incolumitas, ciuiumque fortunæ dependent. hinc factum eſt, vt oportuerit omnino reditum in annum inſequentem differre, ne vacuis manibus reuerſus, creditoribus deſperationem iniiceret. Luſitanis porro ex inſolita onerariæ mora trepidis ipſum Collegium (quod in hanc vſq; diem annuos redditus nullos habet) in eas deuenerat rei familiaris anguſtias, vt omnino nihil reperire potuerit, quo ſumptum horariæ machinæ, quam Gubernator commendarat, cōflaret.

P. Ruggerius artificem mittit ad Gubernatorem.

ret. Atq; ita viſum eſt, illum ipſum artificem Sciauquinum ad Gubernatorem amandare; erat is Indus ex agro Goano, Canarinos vocant, colore fuſco, quem Sinæ, vt rem nouam, ſatis admirantur. Rediijt igitur cum hoc reſponſo, & artifice, nauigium, Gubernator eius aduentum pergratum habuiſſe præſetulit, delinitus maximè inſigni rerum noſtrarum munuſculo, quæ alteri ſocio fuerant è Collegio noſtro transmiſſæ. Mox igitur fabros artifici ferrarios adiutores duos dedit è peritiſſimis vniuerſæ ciuitatis, à quibus opus hoc domi noſtræ cæptum eſt atque perfectum.

Cauſæ odiorũ & calumniarũ in noſtros.

Hos primatum fauores vulgi odia temperabant; iam enim Sciauquini ciues odiſſe noſtros, imo & perſequi non dubitarunt. Odiorum cauſas attingam vniuerſim, calumniæ peculiares deinde commemorabo. Iam ſæpe dictum eſt, Sinas ab aduenis quos timent abhorrere, quæ innata genti auerſio aliquot ſæculorum, vetito cum exteris commercio, ex deſuetudine vires cæpit. hæc odiorum cauſa Sinas omnes, ſed maxime vulgus amplectitur, quin etiam Cantonienſis prouinciæ Incolas, quæ incultior cæteris prouincijs, olim Sinenſi adiecta imperio, ac hodie per ignominiam à reliquis inter barbaras numeratur. Reliquæ ſanè ſuperiores prouinciæ natura cultiores ſunt longè, pluresq; litterarum gradibus inſigniuntur, & primos Magiſtratus gerunt. Huic prouinciali genio fauit, hanc ſæpè regionem, exteris nationibus terra mariq; conterminam, terra latrones, mari pyratas expertam, grauia damna toleraſſe, & nuper Luſitanorum aduentu minime lætam, videri ſibi malum in ipſas fauces admiſiſſe, quantumuis magnus ærario regio, priuatisq; negotiatoribus quæſtus acceſſerit. De ærario negotiatoribusq;, qui ex alijs fere prouincijs commeant, parum ſolliciti, queruntur omnia ſibi rerum pretia, ex eo commercio accreuiſſe, ad alios cõmoda deriuari. Inde odij ſui teſtem Luſitanis appellationem ſane ignominioſam

Luſitanos, dæmones appellant.

nioſam impoſuêre. Eos enim vix alio quam dęmonum aduenarum nomine hodieq; appellant. Sciauquini vero ciues, ſuas etiam odiorum ſibi cauſas inuenêre. Verebãtur enim ne cum noſtris Luſitani negotiatores in regni penetralia ingrederentur, idq; ſibi videbantur non vanè coniectare, è libero cum Amacaenſibus noſtrorum commercio, & è Magiſtratuum fauore, quem in dies augeri videbant, & inuidebant. Verum nihil eos ita pungebat, quam mentiens fama, eam videlicet turrim quam ipſi tanto ſumptu, ac ſudoribus excitabant, ab aduenis ſacerdotibus excitari; hi ſermones aliam cauſam habuerunt nullam, niſi quod turris exſtructio in idem fere tempus incidiſſet, cum ædium noſtrarum exſtructione. Verum hoc famæ ſatis fuit, vt turris quam floridam vocari volebant, nomen immutaret, Externa quippe turris vocabatur.

Hinc fiebat vt mira pellendorum Sociorum cupiditate inflammati, cum id non poſſent, multis iniurijs eos afficerent, quoties ſeſe cauſa offerebat, vel prætextus quærebatur. Nihil porro erat moleſtius, quam quotidianis domum è turri lapidationnibus infeſtari, nam cum eo quotidiè ludibundi aliqui conuenirent, quem in finem etiam hę moles ab Sinis excitantur, è vicina turri & celſa, nullus irritus in tectum lapis mittebatur. hæ lapidationes porro denſiores hoc maximè tempore depluerunt, quod è ſociis vnum domi ſupereſſe, & domeſticam familiam non neſcirent imminutam. ad hæc permoleſtè ferebant, ædium fores, quæ extructionis tempore cuilibet patebant, è ſocietatis inſtituto, claudi. volebant enim è domo noſtra Idolorum fanum facere, quod cuilibet ſemper patet, nec ludibundorum petulantias excludit.

Cupiditas noſtros è ſtatione cæpta pellendi.

Lapidibus ſocij petuntur.

Accidit vero die quadam, cum iam intolerabilis eſſet inſolentia, vt è famulis domeſticis vnus, ædium ſeptis egreſſus, puerum interceperit lapidationis auctorem, eumq; in domum compulerit, minatus ſe eum ad Magiſtratus abducturum; Ac-

currere ad pueri clamorem vicini aliquot Viri graues, & pro puero veniam precati facile impetrarunt, vti eum P. Matthæus iuberet liberum emitti. Ex hoc euentu vicini duo noſtris infenſiſſimi, calumniam texuerunt, vocato ad ſe pueri propinquo neſcio quo, curialium negotiorum perito, perſuaſerunt vti fingeret, puerum à Patribus interceptum, triduo domi latuiſſe, pharmaco quodam non inſolenti apud Sinas, loqui prohibitum ac vociferari, ideo conſilio factum vti Amacaum in perpetuam ſeruitutem puer, pretio vendendus mitteretur. Eius ſe rei vocatos teſtes fore. Non difficile fuit perſuadere homini, qui ſe hoc facto ſciret vniuerſæ Ciuitatis gratiam comparare, quam ſciebat aduenis ſacerdotibus infenſam, de ijs pellendis ſæpius cogitaſſe.

Calumnia in noſtros grauis.

Edoctum ergo puerum, quem fratrem appellabat, ſecum per celebriores vrbis vicos in Gubernatoris tribunal abducit, & vt fabulæ fides eſſet, paſſis vterq; crinibus eiulans, Cælum Magiſtratusq; obteſtabatur vicatim, vti maleficium externorum dæmoniorum vindicarent. Ad Gubernatorem vbi peruenit, mira arte accuſationem texens, omnino perſuaſit, maxime quod diceret, eos ſe habere totius rei teſtes, quibus ipſa vicinia notaq; probitas fidem dabat. Quid ageret in tam ſubito caſu bonus Pater? aliud nullum niſi in inuocato Deo præſidium reperire ſibi videbatur. Die inſequenti cum iam libellum vna cum amicis texeret ad calumniam detegendam; ſubitus in domum apparitor Gubernatoris irrupit, qui Patrem ad tribunal ita perturbatè pertraxit, vt ſine libello, adoleſcente Indo comite, qui melius aliquanto Sinicè loquebatur, ire ſit coactus.

Pater ad tribunal perducitur

Vbi in Gubernatoris conſpectum venit, ſic ab eo compellatus eſt, vt qui iam credulam nimis aurem accuſatori vtramque tradiderat. Querebatur enim acriter, eos tot à ſe beneficijs affectos, & in Sinenſe regnum admiſſos, hanc vicem

&

& ſibi & ſuis ciuibus rependiſſe. Interpres adhæc non planè imperitus iudiciorum Sinenſium, laxas tunicæ manicas ſaxis oppleuerat, quas ad hæc Gubernatoris verba in eius conſpectu exonerauit, & ſaxa in mediam aulam abiecit, obteſtatus vti calumniæ falſitatem accuratius excutere ne grauaretur. Inde vterque, vt poterat, frequentes lapidationes, puerum compræhenſum, eoq; momento dimiſſum, exponebat.

Concurrerat in tribunal ingens multitudo cupida videndi, qua pœna impius ille aduenarum ſacrificulus tanti criminis, nemine dubitante, conuictus plecteretur. Verum Gubernator audita rei defenſione, non difficilior fuit ad agnoſcendam veritatem, quam facilior fuerat ad calumniatorem admittendum. Intellexit igitur ſubito hæc omnia accuſatoris eſſe commentum. Verum cum is pręſens omnia denuo confirmaret, & ſe grauiſſimis teſtibus omnia clariſſimè probaturum aſſereret, voluit animi ſui ſenſa patefacere (dubium videlicet ſe eſſe fingens) & ipſi quoque multitudini calumniam aperire, ne accuſator, gratia, qua noſtros apud ſe valere plurimum conſtabat, oppreſſus fuiſſe videretur. Vt afflictum Patrem interim ſolaretur, eum culpa eximens, vniuerſam in Canarinum illum horariæ machinæ artificem reijciebat, iubebatq; Amacaum extemplo remitti, ſe nunc inſtrumentum illud fieri ſibi nolle. Deinde acceſſiri iuſſit, tres operum Præfectos, qui extruendæ turris opus eo die promouerant. Accuſator vero repugnabat, volens vicinos illos vocari calumniæ ſcilicet auctores, quibus dicebat rem apprimè conſtare. Dimiſſa vero multitudine abiens, vetuit Patrem è palatio dimitti. qui ſane toto eo tempore anxius, euentum rei Deo, Diuiſq; omnibus, ſed maximè Deiparæ commendat.

Calumnia detegitur.

Accuſator calumniam proſequitur.

Interim vero accuſator liber dimiſſus, vna cum Gubernatoris apparitoribus, operum præfectos conquirebat, & prece ac pretio etiam contendebat, vti accuſationem ſuo quoq; te-

ſtimonio comprobarent; effecit autem vt ipſi apparitores, duos illos vicinos, mali capita, velut à Gubernatore nominatos, accerſerent. Pater interea, nihil dubitabat, ab operum Præfectis ſe quoque in inuidiam facti vocandum, quibus ſciret noſtrorum aduentum ſtationemq; ſemper diſplicuiſſe, & inde occaſionem, noſtros è ſtatione pellendi, arrepturos. Id erat quod maximè Patrem angebat, veritum ne tot annorum labores, præſens calumnia extingueret; & ex eadem Religio Chriſtiana (quæ aliàs pro nomine IESV optari debet) magnum detrimentum acciperet.

Verum enim vero, contra euenit omnino quam putabatur, vocati enim vbi adfuere tres ſenes ſane venerandi; Gubernātor rediјt in tribunal, ſimul omnes flexis genibus præſtolabantur, quid iudex & à quo quæreret. Ipſe vero Seniorem è Præfectis operum compellans, ſciſcitatur; verum eſſet, nec ne, quod accuſator dicebat; puerum illum à patre furto ſubdu-

Innocētes noſtri pronunciātur.

ctum? Negauit ſenex, ſed contra commemorauit, vidiſſe ſe frequenti lapidatione à puero illo tectum aduenarum Patrum impetitum, & è domeſticis neſcio quem ſubito in puerū impetu irruiſſe, & eum in ædes impuliſſe, ad cuius clamorē excitis viris aliquot, qui fortè tranſibant, Patrē rogaſſe, vti puerum dimitteret, & hanc ei culpam condonaret; quod ipſe in eorum gratiam libens præſtiterat: ſubintulit Gubernator; Triduumne totum domi detentus eſt puer? Ille vero ſubridens ait, Sinico loquendi more, qui noſtrati fere reſpondet in hunc modum: Nec toto illo ſpatio detentus eſt, quo tertio Apoſtolicum Symbolum recitari poſſet.

Calumnia vindicatur.

Nec plura: Gubernator in accuſatorem excanduit, & ignominioſiſſimè compellatum, iuſſit atrociſſimè cędi. Ergo à ſatellitibus nudatus, ſoloq; afflictus, adactis è Sinenſi more in auerſa crura duriſſimis arundinibus, crudeliſſimè vapulauit. Nec ei profuit Pater, demiſſa ſæpius in terram fronte, ſupplicium

plicium ab Gubernatore deprecaretur. Ipſe enim id vnum reſpondebat; id genus crimen nulla venia dignum eſſe, multisq́; exaggerabat criminis grauitatẽ, quod innocentiſſimum hominem grauiſſimi criminis inſimulaſſet, & in extremum capitis diſcrimen adduxiſſet. Et mox tres illi operum Præfecti cum Patre & Interprete libelli domum remittuntur; attenderent rebus ſuis, iam ſibi omnia luculentè conſtare. Vicini porro illi qui fabam cuderant, ideo euaſerunt, quod Gubernator eos ignotos adeſſe neſciret, neq; enim ipſe illos euocari mandarat, ipſi ergo cum accuſatori male ceſſiſſe negotium aduertiſſent, in eo tumultu ex aula pedibus manibusque reptantes, ne aduerterentur, matura fuga ſeſe ſubduxerunt.

Redibat Pater euentu lætus, & Deo tacitus ſua beneficia gratulabatur; quam rem admirati omnes, qui pro foribus ſtabant, multitudine excluſi Interpretem interrogabant, quem ea res exitum habuiſſet, quo narrante ſępius, per omnes vrbis vicos breui conſtitit calumniæ vanitas ab Accuſatore conflata. Die inſequenti miſit Gubernator domum, grauiſſimum diploma pro foribus apponendum. Eo diplomate poſtquam de noſtrorum aduentu ac ſtatione ex Proregis voluntate rationem reddidiſſet: Dicebat reſcire ſe nefarios homines contra ius fasq; aduenas perturbare; quocirca ſeueriſſime interdicebat, ne quiſquam impoſterum eos moleſtia afficere auderet: quod ſi quis hoc ſuum edictum violaret, ſociorum Interpreti facultatem faciebat violatorẽ compręhendendi, ſibiq; ſiſtendi. ſe vero nulla remiſſione atroces ab eo pænas exacturum. Quo edicto aliquantulum repreſſa eſt petulantium hominum audacia. Atq; hunc omnino finem habuit primus è multis qui deinde ſunt conſecuti, labor. In quo vt in cæteris hoc vnum notari velim, noſtros exantlatis huiusmodi laboribus diuina prouidentia rem ita moderante, ſemper firmiores in ſua ſtatione remanſiſſe, quantumuis eam excutere aduer-

Calumnia vanitas paſſim innoteſcit.

Patres in ſtatione confirmantur.

ſarij laboraſſent. Nunc igitur ſerenitate reddita, ad lætiora tranſeamus.

In aula domeſtica appenſa proſtabat coſmographica deſcriptio Characteribus Europæis. Eam Sinenſes Litterati cum voluptate ſpectabant, & cum intellexiſſent, ea deſcriptione totius vniuerſi faciem ſpectandam ac legendam dari, mira cupiditate exarſerunt, eam Sinicis Characteribus legi poſſe. Sinæ quippe qui præ cęteris gentibus minimum ac prope nullum cum exteris nationibus commercium habuere, craſſa ſanè orbis ignoratione tenebantur. Nam tametſi non deerant eiuſmodi coſmographicæ tabulæ, quę vniuerſum orbem ſe proponere titulo præferebant, vniuerſam tamen aream ſuis illis quindecim prouincijs extendebant, & in circuitu depicto mari exiguas inſulas inſerebant, adſcriptis eorum regnorum nominibus, quę aliquando audierant nominari, quæ regna omnia in vnum collecta, vix minimam Sinenſis Imperij prouinciam adæquabant. Vnde ipſi ſuum imperium, orbis totius nomine cohoneſtare nihil dubitarunt, Thien-hia nuncupantes, quaſi dicas, quicquid ſub cælo iacet. Cum itaq; Chinam ſuam in Orientis angulum retruſam audirent ac ſpectarent, opinione ſua tam imparem cęteri vniuerſo, eam deſcriptionem, vt inauditam admirabantur, cupiebantq; inſcripta legere, vt de illius poſſent veritate ferre ſententiam. Gubernator igitur ipſe, P. Matthæo Ricio auctor fuit, vt eam tabulam Sinicè loquentem faceret, auxilio interpretis adhibito, qua re ſibi apud omnes magnam gratiam & authoritatem compararet.

Coſmographicæ tabulæ apud Sinas.

Quamobrem P. Matthæus Ricius, Mathematicis diſciplinis plus quam mediocriter eruditus, quas P. Chriſtophoro Clauio Mathematicorum ſui ſeculi, Principe & Doctore, aliquot annis Romæ audierat, ad eam rem, à ſuo Euangelicæ prædicationis inſtituto minimè alienam, animū adiecit, non

ignorans,

ignorans non fuiſſe eandem ſæculis omnibus vel nationibus cunctis, rationem, è diuina diſpoſitione gentem aliquam ad Chriſti fidem pelliciendi. Hac eſca ſanè multi apud Sinas in Eccleſiæ ſagenam ſunt perducti. Scriptionem igitur illam maiore in campo, quo Sinici characteres, noſtris maiores, commodè caperentur, extendit & annotationes non easdem, ſed alias adiunxit ad ingenium Sinicum, & ad auctoris inſtitutum accommodatè. Nam opportunis in locis, dum de variarũ gentium ritibus ageret, SS. legis noſtræ ſacra, Sinis in hæc vſque tempora inaudita, ingeſſit: vt eius fama in vniuerſum Sinarum orbem breui penetraret.

Non omittam etiam quod ad gratiam ab Sinis ineundam inuenit: Arbitrantur Sinæ cælum rotundum quidem, ſed terram tamen quadratam: in cuius medio Imperium ſuum ſitum eſſe pro certo ſibi perſuadent. Itaque ferebant moleſtius, Chinam ſuam à noſtris Geographis in angulum vltimi Orientis fuiſſe retruſam. Et quoniam nondum ſatis capaces erant Mathematicarum demonſtrationũ, quibus facile probaretur, terram vna cum Mari globum eſſe, & in globo, nec finem nec principiũ è natura figuræ circularis reperiri, Proiectionem noſtram nonnihil mutauit, & reiecto Inſularum fortunatarum primo meridiano, ad Geographicæ deſcriptionis dextra læuaque margines fecit, vti ſinarum Imperium in media deſcriptione, non ſine ipſorum applauſu ac voluptate ſpectaretur.

Error Chinenſium in Mathematicis corrigitur.

Non alia res vlla illis ſanè temporibus inueniri potuit aptior ad eam gentem ad Religionis noſtræ myſteria accipienda diſponendam. quod ſi cui paradoxum fortaſſe videbitur, cauſas breuiter aperiam, quæ experientia deinde teſte patuerunt. Ex ignorata Orbis magnitudine eam de ſe conceperunt Sinæ opinionem, vt ſe ſolam China ſuſpiceret, vel imperij magnitudine, vel Reipublicæ adminiſtratione, vel litterarum

Cauſæ cur noſtri à Mathematicis diſciplinis initium fecerint.

laude vnicam: cæteras verò nationes non vt barbaras modo, ſed brutorum ferè loco habebat, nullum alibi Regem, nullam Rempublicam, libros alibi nullos arbitrati. Verum quoniam hunc tumorem ignoratio conflauerat, veritas deinde cognita diſſipauit. Nam ea deſcriptione conſpecta, tametſi rudiores aliqui initio in riſum ac dicteria prorumperent, eruditiores tamen Parallelorum meridianorumq; vna cum æquatore ac tropicis animaduerſa proportione, audita quoq; Zonarum quinq; ſymmetria, lectis tot gentium ritibus ac locorum nominibus, quorum etiam nonnulla cum priſcis Sinarum deſcriptionibus conſentiebant, omnino ſibi perſuaſerunt, hanc eſſe veram germanam orbis vniuerſi faciem ac figuram. Vnde de Europæis ſummam in omni genere diſciplinarum rerumq; aliarum opinionem conceperunt.

Sinenſes eruditiores facti ex deſcriptione Coſmographica.

Aliud etiam non minoris, vt credo, momenti effectum, nam ex ea deſcriptione conſtabat, quam im̃enſis prope terrarum, mariumq; interuallis ab Imperio Sinenſi Europa diſtaret. vnde quem de noſtris conceperant minuebant metum; facile colligentes, nihil eſſe quod ſibi timerent à gente, quam natura tantis ſpatijs à ſua ſepararet: quæ res, ſi apud Sinas omnes æquè conſtaret, ne maximum ad Chriſti Religionem toto regno ſuſcipiendam impedimentum ſublatum noſtris eſſe videretur; nulla enim alia re magis quam his ſuſpicionum vmbris præpedimur. Hoc deinde opus Geographicum ſæpius à Patre limatum, ſæpius quoq; recudendum, & vtriq; aulæ cum ſimili ſtupore viſendum datum, donec deniq; in ipſum Regis palatium eiuſdem rogatu penetraret. ſed de his poſtea ſuis locis.

Quo tempore hoc opus confectum fuit, horariæ etiam machinę artifex finẽ dedit. Vtrumq; igitur opus P. Matthæus Gubernatori obtulit, incredibili eius voluptate, quam ipſe officioſiſſimis verbis & inſuper munere demonſtrauit. Geographicam

Geographica deſcriptio Gubernatori offertur.

phicam quidem ille tabulã ſuo ſumptu extemplo typis mandauit, & amicis intra Prouinciam obtulit, aliaq; complura exemplaria in alias prouincias diſtrahenda curauit. Horariam vero machinam, cum nemo domi moderari noſſet, poſt aliquot menſes noſtris reſtituit in vſus domeſticos, & amicorum voluptatem.

Sed nunc tandem ijs commemoratis, quæ abſente P. Michaele contigerant, ad eum reuertamur. Cum igitur tandem aliquando è Iaponia in Amacaenſem portum oneraria appuliſſet, è Luſitanorum liberalitate, nummi eleemoſynę nomine collati, Patri minimè defuerunt: nam ipſa Reſpublica & alij amici non illiberaliter donatum eum ad ſtationem ſuam remiſerunt, quo ſubſidio æs alienum diſſolutum, domus extructa eſt, & neceſſaria ſupellectile inſtructa. quæ tametſi erat anguſtior, erat tamen non inelegans, & ab Sinis Europæum opus contignatione, ſeu pauimento altero conſpicuum, & diſpoſitis feneſtris illuſtre, magna voluptate ſpectabatur. Ædificij elegantiam adiuuabat etiam loci ac ſitus amænitas. nam ſecundum flumen extructa, nauigia omnis generis, & vltra montes ac ſyluas intuentium oculis obijciebat. Vnde omnium iudicio nullus tota vrbe amœnior locus habebatur; quem ornabat etiam Europæarum rerum nouitas, & omnes ad ſpectandum alliciebat. Itaque domus noſtra à grauiſſimis quotidie Magiſtratibus frequentabatur, non vrbanis ſolum, ſed prouincialibus etiam, qui ex utraq; prouincia ad ſuum Proregem ventitabant, quæ res noſtris auctoritatem, Sinis etiam fructum, & Religionis paulatim cupiditatem ingerebant.

Liberalitas Luſitanorum.

Aedificij ſtructura & ſitus.

Domus noſtrorum frequentatur.

Lubente deinde tempore, cum P. Matthæus ex Geographicæ tabulæ felici euentu animos ſumpſiſſet, ſphæras aſtrologicas ex ære ac ferro; globos quoq; vel eos quibus cæli, vel quibus terræ facies in propria figura ſpectatur, permultos cudit. Gnomicas quoq; horarum indices vel domi depinxit, vel

Matthæo Ricio authoritas conciliatur.

in laminis ſculpſit, & in amicos Magiſtratus diſtribuit. Quin & ipſe Prorex in partem venit. Quibus omnibus expoſitis maximè, & ad vſum adhibitis, curſuq; ſolis ac ſyderum & terræ in vniuerſi medio ſitu demonſtrato, in eam deuenit hominum opinionem horum operum auctor, vti maximus ex vniuerſo terrarum orbe Aſtrologus haberetur: ipſi enim cęteras ex ſe nationes metiuntur, & harum rerum ignorationem æque apud omnes eſſe opinabantur.

Legationem Hiſpanis ad Sinarum Regem Patres impetrarunt.

Capvt Septimvm.

Gubernatoris affectus erga noſtros augeſcit.

CEcidit ſubinde res per eos dies huic expeditioni peropportuna, nempe vt ille Gubernator Sociorum protector in maiorem dignitatem eueheretur, Ea Lin-ſi-tau appellatur, & duas tresue regiones eiusq; oppida omnia moderatur, neque ſedem è Sciauquina vrbe transmutat. Et quoniã Ethnici omnes, & hi priuatim auguria obſeruant, ſuperſtitiosè collegit ex hac aduenarum neceſſitudine, non modo nihil infortunij ſibi, ſed proſperioris etiam fortunæ fauores prouenisse, vnde mirè lætus in hac ſociorũ amicitia, Deo ita diſponente, eſt confirmatus, eamq; alacritatem inuſitata humanitate præ ſe tulit, cum ad eum Patres gratulati cum ſuo ex more munuſculo deuenêre.

Ad Philippinas inſulas fama noſtrorum Sinenſium defertur.

Proſpera hæc rei Chriſtianæ apud Sinas initia fama vulgauit; nec Amacaum ſolum, ſed & in Iaponiam, & inſulas Philippinas longius deportauit, & communi ſociorum ac reliquorum etiam lætitia excepta ſunt eo fauentius, quo tot annos tentatus à varijs in hoc regnum ingreſſus incaſſum toties cecidiſſe narrabatur, qua ex cauſa iam pro deſperato ab omnibus habebatur. Philippinarum Inſularũ pro Hiſpaniarum

Rege

Rege Gubernator, adhibito in conſilium Manilienſi Archiepiſcopo & vniuerſo Senatu; ſtatuit in eam rem aliquid etiam ex ſua parte conferre. Maximè quod ex ea re ſperabatur Hiſpanis etiam, nec ſolum, vt hactenus Luſitanis, aperiri poſſe cum Sinarum gente commercium, impetrato portu alio in Cantonienſi prouincia ad negotiationem exercendam. In eam rem miſſus eſt Amacaum illarũ Inſularum Regius Quæſtor Ioannes Baptiſta Romanus, vir magno rerum vſu ſpectabilis. Ei comes additus eſt è Societate noſtra P. Alphonſus Sancius Hiſpanus. His traditę ſunt litteræ ad Collegij noſtri Rectorem Amacaum, & ad ſocios Sciauquinum, in hanc fere ſententiam.

Legati ex Philippinis inſulis Amacaũ mittuntur cũ litteris.

Gratulabantur primum de felici in Sinarum regnum ingreſſu, quam rem tot iam annos Rex Catholicus & vniuerſus orbis Chriſtianus optarat. Eam ob rem ſe communi Religionis intuitu permotos, ſtatuiſſe quoq; hanc expeditionem pro viribus promouere. Mittebantur porro eleemoſynæ nomine pecuniarum ſubſidium & alia donaria nonnulla, ſed maximè horaria machina perelegans, quæ ſolis rotulis, nullis ponderibus agitata, horas metiebatur. Significabatur deinde annis ſuperioribus Regem Catholicum magnifica ad Sinarum Regem deſtinaſſe munera, quæ Mexicum aduenisſe conſtabat. Rogabant igitur, vti Socij à Cantoniẽſi Prorege Legationem ad Sinarum regiam impetrarent, qua occaſione etiam ipſi in vrbem regiam erant penetraturi, & ab Rege fortaſſe facultatem Chriſtianæ legis toto regno euulgãdæ impetraturi. Sumptus porro omnes Regis Catholici Quæſtor, qui mittebatur, facturus ſcribebatur. Hæc litteris continebantur. Verum P. Alphonſus & ipſe Quæſtor inſtabant, vti ipſis ad ipſum Proregem adeundi & negotium tractandi facultas impetraretur.

Collegij Rector P. Franciſcus Capralis ad Socios Sciauquinum ſcripſit, vt hoc negotium ita tractarent, ne cæpta ex-

Legatio ad Sinarum regiam à noſtris promouetur.

peditio quicquam inde detrimenti acciperet. fecere illi quod ab Superiore (nam ijs adhuc initijs Sinica Miſſio Collegio Amacaenſi erat attributa) iubebantur, adhibitoq; ad eam rem è Proregis Palatio Curiali quodam, libellum ſcripſere, in quo nec ſuum nec domeſticorum ſuorum nomen inſcripſerunt. Sed eum libellum prius quam Proregi darent, ad fautorem ſuum recenti dignitate auctum eo conſilio detulerunt, vt eius in re dubia & periculi plena ſententiam explorarent. Mirum, quantum ſupra ſpem ea res illi placuerit, ac libellum comprobarit, quem etiam, eo auctore, interpretis ſui nomine inſcripſerunt. Ergo ille ipſe geſtatoria ſella ex more vectus, ad eum Magiſtratum ſe contulit, cuius eſt libellos Proregi vel offerre pro arbitratu, vel reijcere. Libellum ei tradidit ac mandauit, vti nulla interpoſita mora eum Proregi offerret, eo rem contineri non utilem minus Sinenſi Reipublicæ, quam honorificã. Nec Proregi diſplicuit, nam eum ex more ad Archithalaſſum, quem Hai-tau vocari ſupra dixi, in Metropolim miſit cum mandatis, vti de ea re inquireret (nam externorũ negotia ad eum pertinere ſupra monui) & ſententiam ſuam ad ſe remitteret. Id cum fit, ſignum eſt Proregi libellum non diſplicuiſſe, niſi ſi quid incommodi deinceps adferatur, nam cum libellis reijcitur, ſine reſponſo inglorius antiquatur, nec è curia egredi vltra conſueuit.

Impedimenta legationi Hiſpanicæ futuræ obijciuntur.

Iam protraxerant eo Socij negotium, cum Amacao noua mandata prioribus cõtraria peruenerunt. Nam interim dum hæc Sciauquini ab ſocijs agebantur, Amacaenſis oppidi primores intellexerunt, Hiſpanos id maximè hac legatione ſpectare, vt cõmercia cum Sinis in eadem prouincia contraherent, quam rem Luſitani vrbis ſuæ cõmercijq; ruinam certiſſimam arbitrabantur. In Inſulis quippe Philippinis ingens erat argenti vis, quæ ex noua Hiſpania & Peruana prouincia quotannis appellebat, eam ſi in Cantonienſi prouincia coemendis

mendis

mendis Sinarum mercibus expenderent, cariora omnia futura dum emerentur, & viliora foris dum venderentur. Quocirca publicis litteris moniti ſunt ſocij, ne hoc negotium longius promouerent, non ideo ſolum, quod ea res extremam vrbi perniciem erat allatura, quam certum erat Patres nolle bene meritæ de ſe toties vrbi procurare. Sed ideo quod legationem ad Regem Sinarum ab Hiſpanis adornari nulla ratione decebat. Id Luſitanis deberi, quibus Sinenſe cõmercium iam ab antiquiſſimis temporibus erat in ea lite, quam diremerat Alexander ſextus Pontifex maximus, inter Reges Hiſpanos atque Luſitanos, fuerat attributum. Nam etſi nunc vtrũque regnum in eandem coronam coaluerat, Regis tamẽ Catholici cõmunis domini voluntate vnaquæq; natio ſuum retinebat, & antiqua iura permiſceri erat interdictum. De muneribus vero ad legationem adornandam olim miſſis ſatis cõſtare, ea iam in varios diſtracta in vnum non facile poſſe reuocari. Nam cum ingreſſus in Sinenſe regnum olim ſæpè tentatus, conatus omnes eluſiſſet, legatio etiam ipſa pro deſperata iudicabatur; & ij quorum intererat illius iam diſſiparant apparatum. hęc ab Amacaenſi Magiſtratu ſocijs ſignificata, cuius etiam authoritate Rector Collegij Amacaenſis monuit, vti negotium vltra ne perſequerentur.

Ea res anxios reddebat ſocios, vix enim regrediendi conſilium ſatis tutum apparebat, rebus iam eo vſq; perductis, ſtatuerunt tamen, nihil vltra mouere, fortaſſe rem ipſam nullo procurante ſilentio inuoluendam. Sed tamen hunc exitum res conſecuta eſt. Archithalaſſus Cantonienſis, cum libellum & mandata Proregis accepiſſet, dies aliquot ſubſtitit, dum libelli auctor, quem dixi Interpretis nomine ſcriptum, appareret. Sed cum de eo nihil audiret, iam enim Socij nihil vltra mouebant, ſcripſit ad Anſani oppidi Gubernatorẽ, ſub cuius etiam poteſtate portus Amacaenſis cõputatur, vti cognoſceret,

ret, veniſſet nec ne in eum portum Legatus aliquis, qui Regi Sinarum ſe donaria deferre profiteretur Ab eo Gubernatore miſſi, qui ea de re inquirerent, ij ab Hiſpano Quæſtore liberaliter donati retulerunt omnia ſatis apte ad negotium, quod agebatur, quibus etiam libelli veritas conſentiebat. Verum ipſe quoq; Amacaenſis Magiſtratus Gubernatorem de re tota reddidit certiorem, aliaq; omnia, quam quæ à quæſitoribus dicta fuerant aſſerebat. Dicebat enim eam gentem aliam eſſe à Luſitana, neq; expedire, gentis illius legationem admittere propter varias, quæ inde oriri poterant inter duorum regnorum aduenas, ſimultates.

Cum hæ vtrimq; rationes ad Archithalaſſum perueniſſent, ipſe prolixum ſane diploma euulgauit, & ad metropolis portas legendum exhibuit. Eius breuiter hæc erat ſententia. Narrabat inprimis huius negotij primordia & progreſſum, tum rationes vtrimq; pugnantes ſibi oblatas cõmemorabat. Inde grauiter de interprete libelli auctore queſtus, quod ſe ſuo tribunali ſiſtere neglexiſſet, ſententiam tulit in hunc modum: Si legatio quæ adornabatur ab ea gente profecta erat, quæ alias nunquam ad legationem admiſſa fuerat, nihil eſſe, quod vltra laboraret, non fieri illi legationis inſtituendę facultatem, ſiue illa gens eſſet eadem cum Amacaenſibus aduenis, ſiue diuerſa: Si vero antiquum habebat aliquod legationis iam olim initæ diploma, à Legatione non excludi, Ad extremum Anſani Gubernatorem ſuo diplomate monebat, ne vltra permitteret huiuſmodi homines ad Proregem cum his libellis penetrare, ſed potius eos grauiter plecteret, qui tentaſſent. Atque hac omnino ratione ſopita ſunt omnia ſine expeditionis pernicie, quam adire poterat ex eo, quod cũ aduenis extra regni limites aliquid haberent contra Sinenſis regni iura commune.

Legatio Hiſpanica ad Sinarum regiam, ſopitur.

Sublato tandem hoc metu, Amacaenſis Collegij Rector idemq;

idemq; Sinicæ miſſionis Superior P. Franciſcus Capralis ſtatuit inuiſendam ſibi domum Sciauquinam, vti quæ oculis teſtibus vidiſſet, ad Viſitatorem in Indiam, & ad Præpoſitum Generalem Romam ſcriberet explorata. Id fauēte Lin-ſi-tau. ſatis facile fuit. nam cum is domi noſtræ frequens eſſet, rogatus extemplo facultatem veniendi fecit, maximè quod ad ſocios viſendos ſolum, & non ad cōmorandum venire velle diceretur. Venit igitur Sciauquinum nullo prohibente, ipſumque Lin-ſi tau viſitauit, & donaria illi obtulit, ab eoq; viciſſim accepit. Omnia deinde liberrimè luſtrauit, vel in ipſa vrbe, vel extra, reperitq; ſtationis illius ſtatum etiam opinione meliorē. Baptiſmo etiam abluit ipſe primos Neophytos, qui ſollemniter in æde ſacra ſalutares aquas capitibus exceperunt. Hi fuere duo, alter è Prouincia Fuquiana litteratus, qui Sinenſes libros Patribus domi prælegebat, isque in Baptiſmo Pauli nomen accepit. Alter fuit, iuuenis ille, qui ſacram aram dimiſſis Patribus cōnſeruarat, & redeuntes hoſpitio exceperat, Is Ioannes eſt appellatus. Ea res minimè ſecreta fuit, ſed publica, nec tamen ab Sinis improbata; quin potius familiares ſocijs gratulabantur, quod hos ſibi diſcipulos aggregaſſent. Quorum exemplum poſtea ſecuti alij complures, qui ſanctiſſima lege noſtra imbuendos, ac deinde ſacris etiam aquis eluendos ſe præbuerunt. Hoc Superioris ingreſſu non parum vtilitatis huic acceſſit expeditioni. nam moniti Viſitator atq; Præpoſitus Generalis, qui ad hanc ſedem neceſſarijs ſubſidijs ſtabiliendam non temere animum applicârunt.

Franciſcus ſocios Sciauquinum miſit.

A P. Caprali primi Neophyti baptizantur.

Alii duo Socii huic expeditioni deſtinantur, & in regnum admittuntur, in Prouinciam deinde Cequianam à noſtris excurritur.

CAPVT OCTAVVM.

QVam P. Alexander Valignanus Viſitator expeditionem

apud Sinas Chriſtianam inſtituerat, eam ſemper ſtuduit promouere. quocirca cum in Europam vna cum Iaponijs Legatis vti deſtinarat minimè nauigaſſet; ideo quod totius Indiæ Præpoſitus Prouincialis fuiſſet renunciatus, animum applicuit ad rem Sinicam ſtabiliendam. Et quoniam longo iam vſu, rem vbiq; Chriſtianam tractauerat, aptiſſimis inſtitutis ac præceptis etiam omnia moderabatur. Cum igitur lætiſſima hæc Sinenſis rei principia, felicem videlicet ingreſſum, ſtationem perpetuam, extructam ædem, magnam Euangelicæ legi eiusq; præconibus auctoritatem comparari accepiſſet, gratiarum actionem in Deum, è cuius bonitate bona cuncta procedunt, effudit & hæc fere in huius expeditionis bonum procurauit.

P. Valignanus rem Sinicam ſtabilit.

P. Valignanus duos ſocios in Sinas ablegat.

Nominauit igitur P. Eduardum Sande Luſitanum, virum prudentiæ laude ad cæteras animi dotes inſignem, in huius miſſionis ſuperiorem, quam è Collegij Amacaenſis poteſtate eximebat, & ſibi vni ac Iaponicæ Proprępoſito Prouinciali ſubdebat. Is è Luſitania venerat in Indiam eadem cum ijs ſocijs nauigatione, qui hactenus rem Sinicam procurarant, & in Societate annos iam plures tranſegerat. Socium ei adiunxit P. Antonium Almeidam item Luſitanum, qui eo ipſo anno è Luſitania in Indiam nauigarat, iuuenem cætera conſpicuum, ſed rara inprimis virtute, & pio æſtuantis animi feruore prędi-tum. Impetrauit etiam ab Indiæ Prorege Eduardo Meneſio annuum ſtipendium Regis Catholici nomine ad ſocios in hac miſſione ſubleuandos, quod ſtipendium vti in telonio Malacenſi perſolueretur, Sinis viciniore, cōceſſum. Deinde ſocios illos varijs inſtitutis præceptisq; inſtructos ad Sinas amandauit: ijs vero qui iam Sciauquini degebant, ſcripſit, vti enixè illorum ingreſſum, ſed ſine totius rei periculo procurarent, eos interim in Amacaenſi Collegio motum aquæ exſpectaturos, & patribus Sciauquinis de rebus neceſſarijs prouiſuros, ne toties

ties Amacaum excurrerent, Siniſque ſuſpicionem augerent. Appulerunt igitur in Amacaenſem Sinarum portum exeunte Iulio anno ſalutis noſtræ 1585. hæc maxime ex India Viſitator, qui deinde ſuum retinens inſtitutum frequentibus litteris ac præceptionibus amorem in ſocios ſuum teſtabatur, & animos dabat ad rem arduam alacriter & fortiter promouendam, hęc omnia ad poſteritatis memoriam in Archiuio aſſeruantur, ſed ea hîc commemorare longum eſſet, & ab inſtitutę narrationis ſcopo fortaſſe alienum.

Socij ex India Amacaum appellunt.

Acceptis Viſitatoris litteris, ſocij à protectore illo ſuo Linſitau contenderunt, vti ſaltem è duobus alteri ſecum commorandi faceret facultatē, verum ille præſente Prorege ſubueritus conceſſit duntaxat, vti ad eos viſendos veniret, poſt dies deinde aliquot Amacaum rediturus. Et cecidit per eos dies opportunè Proregi ex aula Pequinenſi ſcriptum, vti ab Amacaenſibus aduenis plumas aliquot elegantes compararet, & ad Regem quamprimum deſtinaret. Nauigium igitur non mediocre Amacaum amandauit, eoq; vectus eſt P. Michael Ruggerius ad ea quæ Prorex volebat procuranda; quibus è ſententia perfectis, P. Eduardus Sande, P. Michaeli comes acceſſit. Sciauquinum poſteaquam attigere, nouus hoſpes ad ſalutandum Lin-ſi-tau ſe contulit, & ad eum deliniendum ſtationemq; impetrandam non leue rerum noſtrarum munus obtulit, ſed nihil æque arriſit, vt vitrū illud trigonum, de quo iam ſæpius, eius enim iam diu cupiditate tenebatur. Quæſijt ille ex Patre ecquando vellet Amacaum reuerti. Cui Pater: Ego inquit hic ſedem cum ſocijs figere peroptarem, ſin id mihi per te licet, redibo cum primum imperaris. Ille vero Libellum inquit Proregi offer, is illum ad me expediendum tranſmittet, & ego te voti compotem efficiam. Libellus inſtructus eſt quidem, ſed minimè redditus, incertum an ab eo Magiſtratu retentus, cuius eſt libellos ad Proregem recognoſ-

Occaſio offertur noſtris in Sinas nauigandi.

Vni è ſocijs cōmorandi poteſtas datur.

cognoſcere, an ab ipſo Prorege fuerit reiectus. Cuius rei admonitus ſociorum perpetuus fautor, ipſe cum reliquis duobus cōmorandi fecit facultatem, ſed ea lege vti poſthac cauerent, ne quemquam alium in conſortium euocarent. Prorex porro coemptis ex animi ſententia mercibus, vltra pretium quod ab Amacaenſibus ciuibus dono legebatur, ſocios donauit aliquot etiam argenti vncijs, vt eorum hac ratione laborem compenſaret.

In hac Sociorum lætitia deerat ad explenda omnium vota P. Antonij Almeidæ præſentia, quem Amacai triſtem ſatis conſtabat ad deſtinatam ſtationem anhelare. Illius ingreſſum ſpe faciliorem diuina bonitas hac ratione perfecit. Qui priori Gubernatori altius vti diximus euecto, ſuffectus fuerat, erat & ipſe Cequianus, & idem ciui ſuo ſimilis, ſociorum fautor egregius: eum oportebat in Aulam Pequinenſem, ex officij ratione ſe conferre, ad obſequioſam Regi ſubmiſſionem, quolibet triennio domi noſtræ ſollemni epulo exceptus eſt (hoc enim frequentes apud ſocios factitabant Magiſtratus) eo in epulo pręſe tulit Gubernator non ingratum ſibi fore, ſi ad hoc iter ſeſe vnus è noſtris Pequinum vſque comitem adiungeret. Et quanquam poſtea monitus ab ſuis non ſatis tutum eſſe aduenas eo tempore in Vrbem regiam inducere, quo ex vniuerſo regno grauiſſimi commeant Magiſtratus, ab ea mente reſilijt. Dixit tamen nihil obſtare, quin ſi vellent, in Cequianam prouinciam patriam ſuam ſe auctore penetraſſent.

Noua & altera ſedes in prouincia Cequiana ſocijs attribuitur.

Id ſocijs ex animi ſententia cecidit. nam à Viſitatore in mandatis acceperant, vti ſi fieri poſſet, nouam aliquam ſedem erigerent eo conſilio, vti plures minore ſuſpicionis periculo eo in regno reſiderent, & ſi quis caſus vnam ſedem euerteret, nō excuteret ſimul hanc expeditionem vniuerſam tanto labore partam, & maiori poſtea reſtaurandam. Ergo Gubernatoris noui voluntatem admiſerunt, in eamq; rem nominatus eſt ab

Superiore

Superiore P. Michael Ruggerius, P. Antonio Almeida in comitem euocato. Litteræ igitur iuſſu Gubernatoris à quarto illius Collega, qui abſentis vicem ſupplebat, Patri datæ, quibus litteris fiebat illi facultas in Cequianam & Huquanam prouincias aliaq; loca contermina penetrandi. Inde P. Michael Ruggerius extemplo in Metropolim Cantoniēſem nauigauit, vt ad iter illud, quod erat bimeſtre neceſſaria compararet, & è vicino comitem euocaret. Aderant tum fortaſſe Luſitani negotiatores per conſuetos nundinarum dies, Et cum ijs venerat P. Antonius Almeida omnis moræ impatiēs, vt è proximo luſtraret, ecquam ſpem ingreſſus circumſpiceret. Ergo vbi audiuit euocari ſe, & ad inſtituendam ſedem nouam, in regni penetralia euocari, totus præ lętitia geſtiebat. P. Antonius Amacao euocatur in Sinas.

Nec defuit alia tutò & fere ſine ſumptu nauigandi cōmoditas. Nam ad Cantonienſes nundinas venerat veteris amici Lin-ſi-tau germanus, is è patria magnam ſericorū pannorum & filorum vim aduexerat (nam è Cequiana ferè prouincia vniuerſa conflatur) in his nundinis diſtrahendum. In patriam vero redire cupiebat quidem ille quam primum, ſed cum nondum de pretio conueniſſent, opinione ſua diutius detinebatur. Verum ſociorum opera Luſitani merces illius eo pretio compararunt, quod ille exigebat. Quoties enim de re Chriſtiana agitur, profecto Luſitani ſua bona profundere & lucra ſua reſecare nihil reformidant. Ergo recenti beneficio obligatus, & fratris amicitia permotus, ſocios nauigio ſuo exceptos in Cequianam vſque prouinciam & vrbem ſuam tuto & nullo prohibente perduxit. Ea vrbs Sciau-hinum appellatur priori ſedi pæne cognominis, ſed apud Sinas parua ſæpe res magnum vocum diſcrimen inducit. Et vtrique Gubernatori priori ac nouo, patrium ſolum.

Verum prius quam ab ſe inuicem ſocij ſegregarentur, præter alia multa quæ ſtatuerunt, non omittam vnum, quod eſt

Bb 3 tum

tum primum in morem inductum. Solent Sinæ prout libro ſuperiore monui pluribus nominibus appellari, Et proprio quidem nemo eos compellat, niſi ille ipſe, qui ſe nominat aut inſcribit, aut ſi quis alius ei ſuperior eſt in paucis. hoc ſi violatur iniurium eſt ei, qui compellatur. Indè fit, vt ſinguli nomen ſibi aliud vſurpent grandius, quo nomine ab alijs honoris cauſa nuncupantur. Hactenus Patres præter proprium aliud ſibi nullum nomen adſciuerant, proprioq; etiam à famulis domeſticis compellabantur, quæ res Sinis barbara, vt leuiſſimè dicam, videbatur. Suum enim cuiq; pulchrum. Ergo ſocij vt omnibus omnia fierent ad omnes Chriſto lucrifaciendos, hoc quoque ſibi nomen vſurparunt ad auctoritatem apud infideles omnes Chriſtianæ demiſſionis neſcios, omnino neceſſariam, facilius retinendam. Exinde etiam quotquot ingrediuntur, initio nouum hoc ſibi nomen adſciſcunt, ne eo aliquando caruiſſe videantur. Sed ad Socios redeamus.

Socij præter nomen proprium Sinarũ more, aliud ſibi vſurpant.

In vrbem igitur Sciau-him Cequianę prouinciæ cum ſocij perueniſſent, à Lin ſi-tau familia hoſpitio ſunt excepti, & in templo eius familiæ, domui contiguo collocati, quo in loco non incommode ſanè habitabant: nam & ianuam domui communem habebat ad familiam admittendam. In hoc facto magni omnium ordinum ad viſendos aduenas concurſus facti non primores, non litterati, non populares defuere. Vrbs porro ipſa tametſi Metropolis non eſt, inter primarias tamen eius prouinciæ numeratur; nobilis commercio, nobilis ſitu, in medio videlicet aquæ potabilis lacu, vt Venetam vrbem referre videatur, nobilis denique ingenijs & litteratorum turmis fortunata. In his congreſſibus de SS. lege noſtra ſermones illati, ſed vix vllo fructu. nam Patrum alter tacere cogebatur, alter hallucinari vix poterat. Et intrepretem habebat ſatis impeditum, & minimè ingenioſam ſenem. Nihilominus decrepitus Linſitau parens Chriſti ſacra baptiſmumque ſuſcepit

Socij vrbem Cequianæ prouinciæ ingrediuntur.

Socij de noſtra lege ſermones inſtituunt, & aliquot ſacro fonte abluunt

ſuſcepit

ſuſcepit, & alij duo tresue infantuli cum animam agerent eluti, cælo neſcientes intruſi ſunt. Vniuerſa ciuitas ſociorum in ea vrbe ſtationem comprobat, ipſeq; maximè Regionis illius Gubernator, qui arctam cum P. Michaele neceſſitudinem contraxerat. Quam rem ipſe Lin-ſi-tau Patribus palam è tribunali retulit, magnaq; affecit lætitia, ratos iam alteram in Sinenſis regni penetralibus Societatis noſtræ ſedem collocatam.

E noua ſede dimittuntur. In prouinciam Quamſi P. Michael Ruggerius excurrit.

CAPVT NONVM.

EXpeditionis apud Sinas Chriſtiana nuncij iam ex India in Europam Chriſtianumq; orbem vniuerſum penetrarant, exceptiq; ſunt eo alacritatis ſenſu, quem pietas Chriſtiana huiuſmodi nuncijs ſolet exhibere, SS. D. N. Sixtus quintus Pontifex maximus vniuerſæ Societati Iubilęum conceſſit ampliſſimum, eo maxime fine, vti expeditionem apud Sinas & Iapones Chriſtianam enixè omnes Domino commendarent, nec defuit Pontificiæ voluntati ſociorum pietas, à quibus ſalutare hoc indultum ſuſceptum eſt, qua oportuit religione, Prępoſitus quoque Societatis noſtrę Generalis P. Claudius Aquauiua amoris paterni teſtes litteras ad ſocios ſcripſit; quibus eos hortabatur in Domino, vti cæptum promouerent, nec ſe rei difficultate deterreri ſuperariue paterentur; ipſe vero ſubſidium omne ſpondebat, vel orationum, quas vniuerſæ Societati diſtribuit; vel Sociorum, quos deinde ſubmiſit. Alia quoq; adiumento non leui futura ſubminiſtrauit. In his Chriſti Seruatoris imaginem à celebri pictore Romę delineatam. Quatuor etiam horarias machinas perelegantes, tres è collo penſiles rotarum ſubtilitate viſendas, quarta vero tametſi erat maior & in

Sixtus V. Pont. Iubilæum Societati impertit.

Claudius Aquauiua ſocios hortatur & iuuat.

Muneribus ad ſocios miſſis res Sinica promouetur.

& in menſa collocari eam oportebat, cæteras tamen operis præſtantia ſuperabat; nam excluſis ponderibus ſola rotarum agitatione horas integras ac dimidiatas, quin & quadrantes trium tintinnabulorum ſono moderabatur, quæ machina vniuerſum ſuo tempore Sinarum regnum in ſtuporem rapuit, & eum fructum fecit, ita cooperante Domino, qui adhuc hodieq; ſentitur, ſed hæc ſuis deinde locis vniuerſa. E Iaponia Præpoſitus Prouincialis P. Gaſpar Coellius aliam Chriſti Seruatoris effigiem grandiorem ſubmiſit, opus perelegans P. Ioannis Nicolai, quo Magiſtro primum Iapones ac Sinæ Europæam pingendi artem magno vtriusq; Eccleſiæ bono didicerunt. E Philippinis Inſulis Religioſus ſacerdos dono miſit inſignem Dei parentis Iconem infantulũ IESVM vlnis geſtantem, quem etiam D. Præcurſor religiosè venerabatur. hoc opus ex Hiſpania adferebatur, viſendum ſanè vel colorum vel lineamentorum prope viuentium præſtantia, quam Iconem Collegij Amacaenſis Rector huic miſſioni attribuit. Ita varijs è locis alacritatis ſigna liberalitatisq; veſtigia mittebantur.

Ex his initijs feliciter cæptis, aliæ quoq; Religioſorũ ordinum. DD. Auguſtini, Dominici & Franciſci familiæ fuerũt incitatæ; quoniam verò aditu regni Chinarum excludebantur, in portu Amacaenſi cænobia excitarunt, & in Philippinis Inſulis utilem operam inſtituendis Neophytis impenderunt.

Sciau quini quidem cęperunt, confirmata iam ſtatione, liberius in Gentilium conuerſionem incumbere. ſtatis enim diebus de fidei noſtræ myſterijs conciones habebant; complures à vana Deorum ſuperſtitione abductos ſacro Baptiſmatis fonte abluebant; ex quo maior deinde populi feſtiuis diebus acceſſio facta. Quod reliquum erat temporis, id omne adhibito præceptore Sinenſibus libris euoluendis vtiliter conſumebant: & magnam apud Sinas ipſos litteratorum

virorum

virorum ſtudijs captos authoritatem ſibi, ſuisq; deinde dictis ac factis comparabant.

Cequitanorum ſociorum initia alium ſortita ſunt exitum. Etenim propinqui Lin-ſi-tau, ne ob frequentem ad noſtros concurſum malum ſibi crearent, litteras finxerunt, quibus noſtri ad Cantonienſes ſocios, abſente P. Ruggerio, in diſcrimine poſitis, vocarentur, ſed fraude ſubolita tantiſper ſe continuerunt, donec à Gubernatore Siauquinenſe noſtrorũ amico ſiniſtrè perſuaſo & inuito cedere iuberentur. Cui tandem paruerunt, ad quos P. Ruggerius Sciauquini ſe recepit.

Socij Cequitana Prouincia cedere coacti.

Ex hoc euentu, propinquorumq; litteris ipſe Lin-ſi-tau acerrimus olim ſociorum protector, de amicitia multum deinde remiſit, & omnino tandem abſtinuit. Monuit etiam vti ne in tribunal ſuum ſub nouilunia ex more itarent, ex affixa utraq; illa inſcriptione nomẽ ſuum expungi mãdauit, & idem fecit in Geographica illa P. Matthæi tabula, in qua illius nomen etiam legebatur. Deniq; in omni congreſſu, ſi quando contigerat, humanitatem illam ſolitam imminuit, frontemq; rugauit, ſed nihil tamen circa Sociorum ſtationem adhuc innouabat.

Linſi-tau noſtrorum conſuetudinem fugit.

Nec vero hac velut negotiorum malacia ſegniores Socij quibus poterant remis, iter ſuum promouere intermittebant. quin eo magis de re vniuerſa ſolliciti, ſatis verebantur, vt hæc aliquando ſedes à grauiore perſecutionis procella concuteretur; eoq; magis ad figendam ſedem nouam hac occaſione animum applicabant. Vtebatur Lin-ſi-tau familiariter Sciauquino ciue primario turris extruendæ præfecto. Is Tan ſiao hu, dicebatur, eam familiaritatem, quod fere Sinæ ſolent, ad lucra ſua dirigebat. Itaque cum aliquid ab ſocijs emungere ſtatuiſſet, ſtudio die quadam ſermonem ingeſſit, coram patribus de Monte quodam in prouincia Hu-quam, quem indigenæ Vu-tan vocant, ad quem multi peregrinationem inſtituere di-

Socij animos in aduerſis ſumunt.

Alia offertur occaſio ſtationis locandæ.

re dicebantur. Quæſijt ex P. Ruggerio quid eſſet cauſæ, cur nondum eo ſe contuliſſet. Reſpondit Pater non ſatis ſe ſcire vtrum id ei per Magiſtratus liceret. faciam inquit ille, vti bona Lin-ſi-tau venia id ſibi liceat. Hæc excurſio nec ſecura ſatis, nec multum promittere videbatur, quod ex priore didicerāt; ſed ne quid tamen intentatum relinquerent, rem, ſuperioris permiſſu, P. Ruggerius, per interpretem, qui omnia caute diſpiceret, eſt aggreſſus.

Ex itinere igitur occurrebat Patri Prouinciꝫ Quam-ſi. Cantonienſi conterminæ metropolis, in eam ſe Pater ingeſſit. Degebat hic è regio ſanguine Regulus, nullam tamen ex more Reipublicæ partem tractabat; ad eum adire Pater omnino tentauit, arbitratus eius ſe fortaſſe fauore poſſe, quod optabat impetrare, nondum enim Socij Sinicam Rempublicam nouerant, & multa Europæo pede metiebantur. Ab eo admiſſus non fuit, ſed cum hoc reſponſo reiectus, vti primum ad viſendum Proregem alioſq; Magiſtratus ſeſe conferret, ac deinde ad ſe rediret. Prorex in eadem Metropoli commorabatur. Nec abnuit bonus Pater, ſed audacter ſanè aduena Sacerdos nullo prꝫeunte ad Proregem cæteroſq; Magiſtratus acceſſit. Ab omnibus exceptus eſt non ſatis humaniter, ſed ſine iniuria, monituſq; vt inſtitutam peregrinationem perſequeretur, nec vllam moram faceret in ea ciuitate. Ante abitum, nondum ſpe depoſita, Reguli congreſſum petiuit, ſed repulſam iterum paſſus, muneribus reſtitutis, è Metropoli extemplo dſcedere iuſſus. quod factū eſt varijs in Patrē edictis tota vrbe promulgatis, periculum etiam adiere vici illius Præfecti, in quo fuerat cōmoratus, quod aduenam Magiſtratuum iniuſſu in vrbem immiſiſſent. Deniq; non niſi eo extra orbis muros conſtituto conquieuerunt, quaſi vero in ea re ſalus ciuitatis verteretur.

P. Ruggerius ex occaſione itineris Regulū adire conatur fruſtra.

E Metropoli iubetur diſcedere.

Non defuit qui Patris vicem doleret è Reguli familia. nam primari-

primarius illius Eunuchus inhoſpitalitatem Proregis incuſans, blandis eum verbis ſolabatur; litterasq; addidit ad Quæſtorē oppidi cuiusdam in Prouincia Hu-quam, in finibus prouinciæ Quam-ſi, cui oppido nomen erat Pa-ſciui, quibus litteris fiebat Patri facultas, vti apud eum Quæſtorem quamdiu vellet remaneret, Erat enim is in illius Reguli poteſtate. Spondebat vero ſe poſt huius Proregis diſceſſum effecturum, vti in Metropolim, vnde nunc pellebatur, è Magiſtratuum voluntate reuocaretur. De his omnibus P. Eduardus Superior per litteras certior factus, Patrem Ruggerium Sciauquinum, infecta re, ad ſe vocat, nec enim apparebat quicquam ex animi ſententia confici poſſe, ſed potius periculum aliquod rebus adhuc immaturis imminere. P. Ruggerio datur facultas, commorandi apud Quæſtorem.

P. Eduardus Superior Amacaum remittitur, & Socii vexati, graui deinde calumnia liberantur.

CAPVT DECIMVM.

POſt Patris Ruggerij reditum, non ignorauit ipſe Linſitau huius peregrinationis euentum, quin etiam fama de ſuo (vt ſolet) nonnihil adiunxit. Scriptum enim ad illum ex ea prouincia ferunt, Patrem à Prorege minime admiſſum, à ſupremo vero militum præfecto verbis male habitum, parataq; illum vincula euaſiſſe. Hæc ipſe cum Cequiano metu & Cantonienſium etiam Magiſtratuum conſilijs, qui magnum aliquod è noſtrorum ſtatione Reipublicæ Sinenſi malum augurabantur, ex eo quod Amacao veniſſent, & Amacaenſium commercia nondum intermitterent: hæc inquam ille omnia in vnum cogens, non parum angebatur, moliens ecqua ratione hoc ſibi ex humeris onus excuteret, ſocijs ad ſuos amandatis. Linſi-tau, ob noſtros dimiſſos angitur.

Nec defuit occaſio. nam per eos dies nunciatum eſt Canto-

Socijs alius metus inijcitur.

tonienſem Proregem ad aliam dignitatem in Regia Nanquinenſi euectum, eiq; ſuffectum illum, qui Proregis munus in Quam-ſi, prouincia gerebat, à quo dicebatur P. Michael Ruggerius ignominioſe reiectus. Ex hac re occaſionem ſumens ſocijs renunciari iuſſit, vti omnes ad ſuos vnde venerant ſe reciperent, vereri ſe ne moleſtius ferret nouus Prorex aduenarum in ſua ipſius ſede ſtationem. Extructarum ædium ſe precium redditurum, & ſi quidem id per Proregem liceret, ſe eos extemplo reuocaturum. Ea res ſocios ſanè inopinato metu conſternauit, veritos ne ſtatione ſua pellerentur, cuius iam tanto applauſu fama in vniuerſum orbem Chriſtianum penetrarat; nec ſibi videbantur, ſi ſemel abirent, alias facile reuocandi.

Socij libellum offerunt ſupplicem.

Extemplo igitur Socij duo, qui primi ſtationem hanc incoluerant, ad illius ſe tribunal contulere, ibi oblato libello, quem etiam lacrymis reſperſerant, fusè narrabant, qua ratione immenſum iter emenſi, in hoc denique regnum appulerant, in eoq; tot iam annos cum nullius iniuria commorati, ſumptibus etiam maximis exhauſti fuerant, omnino ſe neque in Amacaenſi oppido ſedem figere, neq; Patriam per tot maria repetere poſſe profitebantur; Aduenarum igitur quos hactenus fouerat, nunc miſeratio tangeret. Ad Proregem vero quod attinebat, ſe illi ſuæ ſtationis rationem, cum nullius periculo, reddituros. porro ſi plures illi eſſe videbantur quam initio fuerant, vnum alterumúe dimitteret, reliquos à Prorege iam ſemel admiſſos, in ſua ſede reſidere pateretur.

Linſi-tau, reſpondet perhumane ſocijs

Adhæc perhumanè ſanè reſpondit. Nihil ſe vnquam de ſocijs ſiniſtri ſuſpicatum, maleuolentiam vlla ex cauſa ſuſcepiſſe, ſed ſe Cantonienſium è Metropoli Magiſtratuum ſermonibus ſæpe monitum, aliquod Sinenſi Reipublicæ malum ſubuereri. Accedebant vniuerſæ ciuitatis odia, moleſtè ferentis extructæ molis laudem in aduenas famæ maleuolentia

deri-

deriuatam; ſibi ſumptus dumtaxat laboremq; ſuperfuiſſe. Incuſabat etiam P. Ruggerium, quod ſe in Quam-ſi metropolim immiſiſſet, vbi à Prorege reiectus, à cæteris etiam Magiſtratibus male habitus dicebatur. His quàm aptiſſimè poterant ſocij occurrebant, quibus factum eſt, vt denique diceret, ſe maturius de re tota deliberaturum. Libellum itaque noſtrorum ad operum Præfectum Tan-hao-hu amandauit, cum eo enim de noſtris rebus ferè conſilia miſcebat; id fecit, vt aliquod ei lucrum ex impetrato fauore ingereret. Manus enim manum fricat, nec ei defuit, nam præter alia minutiora viginti aureis donatus eſt ex promiſſo, poſt impetratam denuo noſtrorum ſtationem. Sed primum vt faciliorem exitum rei darent, ſtatuerunt ſatius eſſe P. Eduardum ſuperiorem, prius Amacaum ſua ſponte repetere, quam dimitteretur, ibiq; præſtolari, quem ea res exitum ſortiretur; maximè quod eo anno oneraria nauis ex India defuiſſet, nec litteræ aut ſubſidium vllum à Viſitatore miſſum appulerat, quod vt curarent non inutilis eius profectio videbatur.

Non ita multo poſt edictum ab illo ipſo Magiſtratu exijt in rem noſtram, quod edictum eo in vico, quem Patres incolebant affigi mandatum eſt. Eius hæc erat ſententia: Domum noſtram aduenarum Sacerdotum ſumptu ac labore excitatam; Turrim vero Sciauquinã Regiã communibus expenſis ad inuehendam proſperiorem de more fortunam extruxerat, nec ad eam exteri Sacerdotes quicquam de ſuo contulerant. Eos porro ab Prorege in eam vrbem admiſſos, alios in contubernium ſuum euocaſſe; qua ex cauſa ſe pro officij ratione illis imperaſſe vti omnes abirent: Verum eos ad ſe pro tribunali veniſſe, reclamaſſe, & collacrymatos etiam fuiſſe; Immenſum ad patriam iter, ſumptus factos allegaſſe, obieciſſe ſe à Proregibus admiſſos, nemini moleſtos fuiſſe, regni leges nunquam violaſſe, aliaq; huiuſmodi. Quæ omnia vera eſſe com-

Edictũ in rem ſociorum affigitur.

periſſe ſe fatebatur, dicebatque ſe miſeratione permotum, ex eo quod eos viros eſſe religioſos, & virtuti deditos eſſe conſtaret, conceſſiſſe vti vnus alterue conceſſam à Proregibus ſedem retineret, cæteri quotquot eſſent, dimitterentur, cauerentq; in poſterum, ne quem alium euocarent, forè haud dubiè vti ex ea cauſa omnes pellerentur, hac enim ratione declaraturos ſe res nouas moliri & ingens aliquod Reipublicæ Sinenſi malum machinari. Aliud addidit edictum quo vici præfectos compellabat, iubebatq; vti explorarent etiam atq; etiam num hoc ſuum edictum externi ſacerdotes obſeruarent, ac de re tota Magiſtratus redderent certiores.

Socij metu liberantur.

Hoc edicto ſocij nonnihil reſpirarunt, ſed non diurna quies fuit, laborem fere labor nouus excipiebat. Nam præterquam quod tertium quartumue à nocturnis furibus vexati, & quibusdam etiam rebus exuti fuerant, inſigni ſunt affecti moleſtia, poſt etiam graui calumnia onerati, ſed deniq; Deo benè iuuante liberati.

Noua calumnia cuditur in ſocios.

Neophytus quidam Martinus nomine in Amacaenſi oppido Chriſti ſacra ſuſceperat, Sed is profeſſione ſua nomineq; indignus, ingens ſocijs malum accerſijt. E Cantonienſi metropoli patria ſua Sciauquinum venerat, Patres inuiſurus, vel potius aliquid ab ijs emuncturus. Eum P. Ruggerius multis officijs fouebat, ne Chriſtianam profeſſionem quam frigidè nimis exequebatur, in ea Neophytorum paucitate dimitteret. Ex ea Patrum familiaritate, occaſionē ſumpſit alios quoſdam Sciauquinenſes Neophytos in fraudem inducendi. Superiore libro monui Sinas Alchimiſticæ artis prope ad inſaniā vsq; indagatores non paucos reperiri. Sibi enim perſuadent, argentum viuum in argentum verum vi cuiuſdam herbæ poſſe conuerti. quam ſolum apud exteras gentes aiunt reperiri, & ſocios hanc ſecum attuliſſe, & huius artis eſſe peritos, cuius rei indicium à Luſitanis accipiunt, quos vident magnam vim

argenti ab Sinis comparatam ptetio, & Iapones diſtrahere, & inde nummis argenteis onuſtos ad ſuos renauigare. Idem iudicium de noſtris faciunt, quos vident vitam, ſine vlla ſtipe collecta, nullaq; negotiatione, honeſte ſuſtentare ſuam, & argentum vi huius herbæ ſecretò conflare. Non enim ſibi perſuadent tantam vllibi fidem reperiri, quę per tot maris ac terræ ſpatia fideliter nummos deferat, nec tantam charitatem quæ ſuo ſumptu alios docere velit, exiſtere poſſe arbitrentur. Quamuis nemo unquam hanc artem aſſecutus ſit, non deſunt tamen impoſtores. qui miris artibus hoc malum foueant, & deſunt omnino qui curent.

Inter Sciauquinenſes Neophytos duo numerabantur; Parens ac filius, qui olim ante ſuſceptam fidem fortunas ſuas in alchimiſtica fornace decoxerant, nondum tamen arte plane damnata, ex Martino illo impoſtore quæſierunt, noſſent Patres, nec ne argentum hac arte conflare? Ille vt falleret aſſeruit, Patremq; Ruggerium dixit ſibi pollicitum eius artis ſe ſibi præcepta traditurum, ſed ea lege, vti ea cum nemine communia eſſe vellet. Perſuaſere ſibi miſelli, quod impoſtor aſſeruerat, eumq; multis officijs ſibi conciliare cæperunt. Erat Martinus rerum omnium egentiſſimus, ergo ei veſtẽ nouam concinnarunt, & in domum ſuam receptum, lautiore cibo potuq; recreabant. Quid plura? Vxorem illi ſua pecunia coëmerunt (hoc enim plebei factitant) vt eum arctius adſtringerent ad hoc arcanum ſibi detegendum: quod ille demum ægrè tamen ſpopondit, ſed eadem qua reciperet ſecreti lege adſtringebat. maximè vero cauerent, Patrum neuter id ſubodoraretur, ne forte à promiſſo reſilirent, ſi ſecretum à ſe violatum ſuſpicarentur. Et iam ea res, tres quatuorue menſes ſilentio tegebatur: Verum cum diutius differre promiſſa non liceret, hoſpitibus ſuis diem dicit, qua die Pater ei Ruggerius arcanum erat reuelaturus, quo facto ſe quoq; mox illis idem præſtitu-

Neophytus quidam impoſtor factus.

Impoſtor fugã parat:

præſtitutum. Interim vero ad condictam diem vitro trigono à Patre impetrato, ipſo die fugam init in metropolim reuerſus, ratus ſe immenſi pretij lapillum exportare. Vbi fugam deluſi Neophyti perſenſere, in domum noſtram venere, multa quærentes & impoſtoris fraudem aperientes, aſſerebant etiam non paucos aureos, vel in eius gratiam expenſos, vel mutuo datos eum exportaſſe, conſilium igitur à Patribus expetebant. Bis in metropolim ea de cauſa excurrit P. Ruggerius, nec aliud effecit, quam quod eum ibi agere, vitrumque trigonum habere intellexit. Quod vbi deluſi Neophyti reſciuere, inſigni arte vitrum ab eo extorſerunt, rati nummos ſibi à Martino debitos facile à Patribus redditum iri, vti lapillum illum inæſtimabilis pretij per falſas litteras, velut à Linſi-tau impetratas, reciperent.

Neophyti impoſtorem accuſant.

Dum hæc agerentur, Gubernator die quadam cum alijs Magiſtratibus domum noſtram animi cauſa deuenit, poſtulauit vitrum illud trigonum tradi ſibi, ad ſpectandos ex eo cum voluptate colles, flumen, atque nauigia. Non potuit res vltra tegi. reſponſum à Patribus illud ſibi à Martino illo furto ſublatum. excanduit Gubernator, ſcriptiſq; mox in metropolim litteris miſit, qui eum compræhenderet, ac ſibi ſiſteret. Nec quicquam potuere Patrum preces, aſſerentium id vitrum non eius eſſe pretij, cuius vulgo credebatur; nihil admodum ſe de eo laborare. Reſpondit autem illud non eſſe nunc ſociorum, ſed Magiſtratuum totius vrbis, qui ad illud cum voluptate ſpectandum in domum ventitabant. In metropolim amandatus apparitor ipſius Martini popularis, qui facile intelligens eum latere, Martini fratrem compræhendit, aſſerens ſe eum pro fratre abducturum, niſi fratrem proderet, & vt minimum vitrum ei reſtituendum fore, cuius pretium nec fortunis omnibus exæquaret. Ille igitur vt à ſe malum auerteret, fratrem prodidit, quem apparitor vinctum Sciauquinum abduxit.

Impoſtor Martinus iubetur comprahendi

Impoſtor

Impoſtor Martinus Sciauquinum vinctus ducitur: & nouam calumniam calumniæ addit, ſparſis enim per triuia ſchedulis Patrem adulterij petulanter inſimulauit. Adulteræ maritus qui & ipſe calumniam conflauerat, paulo poſt libellum obtulit ipſi Linſitau, eo libello aſſerebat, ſe in vrbem neſcio, vnde rediſſet, has ſchedulas tota vrbe ſparſas reperiſſe, domumq; reuerſum ab vxore totius rei veritatē verberibus extorſiſſe. Rogabat igitur vti auctor plecteretur. Commiſit is hoc negotium ei Gubernatori, qui Martinum iuſſerat compræhendi. Itaq; res forenſi ordine cæpta tractari. Verum facile fuit Patri calumniam euertere, nam quo die dicebatur adulterium eſſe commiſſum, aberat P. Ruggerius in prouincia Quam-ſi, duorum menſium non minus itinere, eaq; res ipſis Magiſtratibus conſcijs luculentè conſtabat. Intellectum tandem eſt, hæc omnia authore Martino conflata. Accuſator porro tenuiſſimus erat, & aliquid ex hac re ſperauerat vt ſileret, ſed Patres omnino etiam rogati, renuere, veriti ne qua huius criminis macula remaneret, ſi cani latranti iniectam in os offam ad ſilendum, euulgaretur. Demum qui lucrum ſpectauerat, veritus tandem ne ſibi fuga conſuluit. Cum ergo in tribunal cauſam acturus vocaretur, nunciatum eſt iudici, domum vacuam à coniugibus relictam, ipſos vero aufugiſſe.

Calumnia detegitur.

Accuſator cũ vxore ſibi fuga conſuluit.

Pronunciauit igitur Gubernator ampliſſimè, Patrem à calumnia immunem fuiſſe. Martinum vero totius mali auctorem declarauit, eumq; ſibi ſiſti iuſſum, ictibus viginti crudeliſſimè cæſum in patris conſpectu, & pecuniaria pœna mulctatum, ad triremes deniq; damnatum, ad Lin ſi-tau tribunal amandauit, vt ſententiam ille, qui commiſerat, approbaret. Is rei conſcius, alios ſexaginta ictus nihilo mitiores prioribus addi imperauit. Deinde in vincula reductus eſt, ad extremam rerum omnium penuriam à propinquis & amicis deſertus deuenit. Sed eum Patres licet iniuria affecti, omni qua potuerūt

Pater innocēs pronunciatur impoſtor vero à flagellis cæditur.

ope recrearunt, donec è vulnerum acerbitate poſt dies paucos moreretur. Atque ita ſcelerum ſuorum pœnas ad cæterorum exemplum luit. Ille vero Neophytus, qui Martino vitrum eripuerat, audito eum vinculis traditum, vitrum ſocijs ſua ſponte reſtituit, veritus, ne ſi à Curialibus apud ſe repertum conſtaret, ipſe in criminis ac pœnæ partem vocaretur. Atque in hunc maximè modum Socios, Dominus graui vel moleſtia vel calumnia liberauit.

P. Michael Ruggerius Amacaum petit, ibiq́ retinetur. P. Eduardus Sciauquinum redit, & Socii populari furore fatigantur.

CAPVT VNDECIMVM.

E Conſueta Magiſtratuum euehendorum ratione debuerat iam ipſe Lin-ſi-tau in altiorem dignitatis gradum conſcendiſſe, necdum tamen nuncius ex aula comparebat; ea res ſanè mæſtum ac ſuſpenſum tenebat verebatur enim ne quod impenſius aduenis fauiſſet, honorum incrementum daret. Verum tandem aliquando hunc illi, & alijs metum Dominus exemit, noſtros graui periculo liberans. Nam ex aula ſcriptum eſt, eum in Prouincia Hu-quam in Pu-cin-tu tribunali magnam obtinuiſſe dignitatem. qua ex re priſtinam alacritatem prętetulit. Ei regio Sciauquinenſis, vt ſupra tetigi, templum in ipſa turris area deſtinarat; & iam excitarat velut homini ſancto, deq́; ſua Republica per tot annos bene merito. In eo templo ſuper aram ſtatua illius viſebatur, & ante aram ingens focale ad odores incendendos. Candelabra etiam opere magnifico fuerant collocata. In eo igitur fano cum iam profectionem pararet, vniuerſa eum ciuitas viſitauit, ac nouam dignitatem gratulata, honore quodam apud Europæos inaudito, ſed Sinis familiari cohoneſtauit, detractis enim ocreis

Lin-ſi-tau de nouis honoribus fiunt gratulationes.

creis veteribus (ocreæ porro inter Magiſtratus inſignia computantur) nouas induerunt; ac veteres eleganti capſulæ impoſitas & clauibus obſeratas, in loco publico aſſeruarunt, perpetuum vrbi, viri benefici monimentum. Vniuerſus hic cultus ciuilis eſt, & nihil ſuperſtitionis continet. Nam viro benemerito in virtutis teſtimonium conſueuit adhiberi. E Quamſi quoque prouincia nouus Prorex aduenit, eum Patres ſatis timide, ſed tamen viſitarunt. ab eoque ſunt præter ſpem inuſitatis humanitatis officijs excepti. Quin & Patrẽ Ruggerium ex antiquo illo congreſſu agnouit, & agnoſcere ſe profectus eſt. Eo tamen Prorege non diu frui licuit, nam grandiori iam ætati concedens, intra paucos menſes extinctus eſt. Is etiam qui Liuſitau ſuffectus erat, Socijs erat familiaris. nam è vicinę regionis Gubernatore in eam conſcenderat dignitatem, & alias ſæpè cum ad Proregem negotiorum cauſa veniret, Socios domi ſuæ familiariter viſitarat.

Rebus igitur in hunc maximè modum quietis, & ita compoſitis, vt ſocij ſe reſpirare aliquantulum poſſe ſperarent, P. Ruggerius Amacaum nauigat, tum alijs de cauſis, tum maximè, vt de P. Eduardi Superioris reditu, ex Amacaenſium ſociorum ſententia tractaret, quibus viſum eſt, vti ipſe P. Michael tantiſper Amacai ſubſiſteret, dum P. Alexander Valignanus, qui exſpectabatur adueniret. Ille enim denuo totius orientis Viſitator renunciatus, redibat in Iaponiam vna cum ijs legatis, qui ex Europa reduces felici nauigatione iam Indiam tenuerant. Interim tamen P. Eduardo facultatem P. Matthæus impetrauit Sciauquinum repetendi, quod fecit eo conſilio, vt aliquod rebus afflictis in hac quiete leuamen afferret, & ſalubri aliquo conſilio hanc expeditionem promoueret.

P. Eduardus Sciaquinũ reuertitur.

Verum enim vero nouæ iterum procellæ, nec ab vna mundi plaga perſecutionum ventos concitarunt. Nam illi Neophyti ex amiſſa Martini morte pecunia triſtes, contra ſocios

Noua perſecutio.

rerum omnium cum Martino contractarum ignaros, multa turbabant. Sparſæ per vrbis vicos illorum opera ſchedulæ legebantur, ijs inſimulabatur P. Eduardus, quod Magiſtratuum iniuſſu contra edicta Sciaquinum redijſſet, minabantur etiam niſi intra certum tempus abiret, forte vti Baccalaurei omnes in vnum coniurantes, libellum Magiſtratibus darent; alia huiuſmodi permulta miſcebant, quibus ſatis ſuſpenſos tenebant ſocios, quid in re dubia conſilij caperent.

Fluminis eluuio multa deuaſtat.

Nec his malis malum ſtetit, accidit ſubinde res, quę prope domum ipſam à fundamentis exturbauit. Sciauquinenſis ciuitas extructa eſt ad ripam non ignobilis fluminis, quod è Prouincia Quamſi decurrens, in ipſa Metropoli bidui triduiue itinere in mare ingreditur. Id flumen anno ſuperiore ripas egreſſum, per agros & villas, vagum multa ſubuerterat, & aggeres ad illud conciñandum extructos aut perfregerat, aut eluuione ſuperarat; Domus tamen noſtra Dei beneficio licet in ipſis aggeribus erecta, ſibi conſtiterat, tametſi aquam in inferiores cellas omnes admiſiſſet. Cum denique imminutis aquis fluuius in alueum rediјſſet, innumera hominum multitudo ad reficiendos aggeres operam contulerunt. Sed huius quoq; anni eluuio cum ſuperiorem ſuperaſſet, aggeres nouos non maximo labore perrupit. Ergo vt huic malo mederentur Magiſtratus edicto publico permiſerunt, vti ad excludendum eluuionem liceret arbores vbi eſſent, infrugiferas amputare. hac libertate nefarij homines abuſi, per hortos vicinos vagi petulanter omnia deſtruebant; nec erat qui popularem inſolentiam Magiſtratuum auctoritate armatam refrænaret.

Aethiops inſanam multitudinem fugat.

Porro cum in hortum domeſticum eodem furore introiſſent, Æthiopem inuenerunt cuſtodem, tetri coloris, quales ſunt Africani illi poſt bonæ ſpei Promontorium ex Europa ſuperatum, eos Luſitani Cafres vocant, hi robuſti natura ſunt & intrepidi, itaq; ſolus inſanam multitudinem fugauit. Nam

Sinæ

Sinæ præterquam quod ſunt imbelles præ cæteris, vt arbitror, nationibus, Æthiopum horrent non ſecus ac Dæmonũ ſpectrorumq; cõſpectum. fugati cum ignauiam ſuam damnarẽt, ſeſe collegerunt, & è longinquo moleſta lapidatione domum noſtram lacerabant. Non erat difficile ſocijs vim vi repellere, maxime quod domeſtici famuli prope omnes Indi erant, non admodum ipſo Æthiope nitidiores, & ipſa domus alta munitaq; non incõmodam præbuiſſet defenſuris ſtationem. Sed viſum eſt ſocijs vim continere, ne cui calumniandi anſam darent. Itaq; cum initio timidius lapides imitterent, viderentq; ſibi minimè reſiſti, è noſtrorum modeſtia impudentiores facti, coacto furentium globo in domum irruerunt, & eo impetu, vt momento ianuam, feneſtras, ſupellectilem, tectumque miſerè lacerarint. Et vt liberior pateret ingreſſus, parietem qui atrium à vico ſeparabat diruerunt.

Domus ſociorum lapidibus laceratur & immane vaſtatur

Pater Eduardus vna cum interprete per auerſam portam ad monendos Magiſtratus eruperat, P. Mattheus dumtaxat demiſſiſſimè ſupplicabat, vti ab iniuria tandem abſtinerent, è domo quod maximè libebat efferentes. Verum, ille ſi quo ex loco caput exerebat, ita frequenti ſaxorum imbre ſalutabatur, vti ab extremo diſcrimine parum ſibi abfuiſſe videretur. Deniq; neſcio quo impulſu permotus, faſciculum ipſe ex arundinibus, quæ hortenſi ſepi ſuperſtites bacchantium furorem euaſerant, colligauit; eoq; in humeros impoſito, qua denſiſſimus erat globus ire perrexit, & ſupplex rogauit, vti hunc faſciculum, & quot alios vellent ad aggeres claudendos efferrent, nec vltra domum vniuerſam inſano furore lacerarent. Ea re ita permoti fuere barbari illi, vt ab omni ſubito lapidatione ceſſarint, nec aliud è domo efferentes, præter ligna pauca, quæ temerè in atrio iacebant abierint, ſed feſto cymbalorum ſono tumultuantes de victoria ſibi gratulabantur, domumq; omnes imminente iam nocte petierunt.

Excubiæ à Magiſtratu ſubmittuntur.

Prima deinde nocte è gregarijs Magiſtratibus vnus in auxilium ſubmiſſus aduenit, & domus vniuerſæ faciem contemplatus, miſerationis affectum præſetulit, euocatiſq; militibus præcepit, vti nocturnis horis pro foribus excubarent, ne illi ipſi bacchatores aut alij latrones per ruinas immiſſi cætera efferrent, aut grauius aliquid molirentur. Verum ille die inſequenti largitione ſine dubio delinitus, ſupremos Magiſtratus vt voluit rei totius admonuit. Quod vbi reſcitum à ſocijs, P. Matthęus ſe ad Gubernatorem contulit, & rei grauitatem eleuans petijt, vti ab vlteriori inquiſitione abſtineret, furorem eſſe confuſæ multitudinis, quam difficile eſt plectere, eaque pœna inuidiam & externis nihil aliud parari; ſolū edictum proponeret minax, ſi quis inpoſterum iniuriam facere præſumpſiſſet. Patris conſilium Gubernator mirè comprobauit, modeſtiam tolerantiamq; admiratus, edictoq; propoſito rem totam ſilentio inuoluit. Pater Eduardus, ſpe fructus faciendi depoſita, Amacaum redijt, & Viſitatori rem totam conſilio vt adeſſet, expoſuit.

P. Ricij modeſtia & tolerantia.

Viſitator P. Michaelem Romam mittit procuraturum à Pontifice Maximo, ad Regem Sinarum Legationem P. Antonius Almeida Sciauquinum petit, eaq; ſedes nouo ex Metropoli labore fatigatur.

CAPVT DVODECIMVM.

CErtior factus Viſitator ab oculatis teſtibus de ſtatu in quo noſtri hactenus verſati ſatis turbulento; in eo maximè inſiſtebat, vti modum reperiret ſocijs in regno Sinarum auctoritatem comparandi. Ea enim Euangelij præconibus ad ſuum finem conſequendum ita neceſſaria videbatur, vt ſine ea reliquus labor omnis irritus fore crederetur. Ea porro maximè comprabatur, ſi ex Regis facultate noſtrorum ſtatio in

Viſitator de authoritate ſocijs comparāda deliberat.

eo

eo regno ſtatueretur, ſine qua non ſecuram nec diuturnã fore apparebat. Ex omnibus rationibus, poſt multam deliberationem ea viſa etiam accommodatiſſima vt Legatio Apoſtolica, ab vno è ſocijs ad Regem Sinarum, ſuſciperetur, ex qua Legatione, munerumq; tranſmiſſione, noſtri ſedem ſuam apud Sinas litteris Pontificijs ſtabilirent, & confirmarent.

Ad ea procuranda P. Ruggerium ideo nominauit, quod is eam expeditionem primus inchoaſſet, & pleraq; oculis luſtraſſet. Imperauit igitur Viſitator vti P. Matthæus, adhibito viro apud Sinas eloquente litteras ſcriberet, quas Pontificem oportebat Sinarum Regi deſtinare, & alijs ad Proregem Cantonienſem addi voluit. Litteras quoque patentes, quas Legatis à Pontifice tradi oporteret. Ea omnia ideo Sinicè ſcribi iuſſa ſunt, vt ex Europa eleganti charactere magnificè deſcripta, ab Sinis cum voluptate legerentur. Ipſe porro Viſitator plures ad Pontificem Regemq; Catholicum, ac Prępoſitum Generalem, & alios litteras ſcripſit ad rem promouendam. addidit etiam è Sinarum regno nonnulla, vel ijsdem donanda, vel ab omnibus ſpectanda. In his erat deſcriptio geographica totius Sinarum Imperij in peculiari huius Orientis tabula depicta. Nam elegantè in modum valuas plicatiles componunt, ita vt aliam alia complectatur, quæ deinde explicatæ aulam vniuerſam occupant, & nullius adminiculo ſtantes oculis blandiuntur. Id gentis vocabulo Guer-pim appellatur. Ea deſcriptio Pontifici Maximo, Regiq; Catholico in primis accepta fuiſſe narratur. Deferebat etiam idem Pater veſtis & coronæ regiæ & cæterorum fere Magiſtratuum inſignia.

Legatio Pontificia ad Sinarũ Regem adornatur.

Soluit igitur, & expedita in primis nauigatione, peruenit in Europam, ſed in Inſulis, quas Terceras vocant, prope in portu naufragium fecit, è quo naufragio ereptis, vt maxime potuit, quæ ferebat Olyſſipone excendit, & Madritum ad Philippum ſecundum, Hiſpaniæ Regem viſendum ſe contutulit,

P. Ruggerius Romam proficiſcitur.

tulit, à quo exceptus eſt inuſitatis tanto principi humanitatis officijs; recepit etiam in ſe, Legationem illam apud Pontificem maximum ſua auctoritate, & rem Sinicam opportunis auxilijs promoturum. Poſteaquam vero Romam peruenit. Nogotium interuentu duorum triumue Pontificum retardatur. Pater vero Ruggerius tot laboribus fractus, vita reliquum Salerni in Regno Neapolitano peregit.

Non paucis interim menſibus P. Matthæus Riccius ſolus degebat, cum inuſitato omnium ordinũ concurſu, quos Europæarum rerum nouitas ad videndum exciebat: Sed nihil æquè mirabantur vt horariam machinam grandiorem, quam in vſum domeſticum, ac viciniæ totius ita Pater ſtatuerat, vt manus, ferrea indice horam tranſeuntibus demonſtraret, ęre vero campano grandiuſculo horas abſentibus etiam cũ omnium ſtupore ſignificabat, eo maximè quod nullo pulſante per ſeipſa ſonum redderet. Rebus igitur in hunc modum quietis, Viſitatori viſum eſt P. Antonium Almeidam iam alias adita ſemel profeſſione huic expeditioni deſtinatum, comitem Patri Matthæo mittere, non obtenta, ſed nec petita ad eam rem facultate.

Sinæ horologium admirantur.

Vix appulerat ille, cum ecce tibi ex Metropoli nunciatur, grauem Viſitatori Prouinciali Ciai--yuen vocant, contra Socios accuſationem inſtitutam. Ea ſe habuit in hunc modum. Sunt apud Sinas Senes ætate non annis magis matura, quam vitæ bene actæ opinione venerabiles, ideo maximè quod per vniuerſam ætatem, nec ipſi quemquam vllius criminis inſimulauerint, nec à quoquam fuerint apud Magiſtratus inſimulati, his ex ęrario publico ſumptu ab Magiſtratibus ſolemne epulum inſtituitur quotannis, non ſine varijs ad eos cohoneſtandos ritibus; varijs quoq; alijs immunitatibus donantur, & inſignes peculiari veſtis genere in omnium Magiſtratuum curias admittuntur, ex eo maximè, quod ſe bonũ publicum curare, nulla lucri ſpe adducti profitentur.

Grauis accuſatio contra ſocios inſtituitur

Hi

Hi ergo Senes è Cantonienſi Metropoli illis rumoribus adducti, qui de aduenis Sciauquinæ turris extructoribus pertinaciter ſparſi erant, omnino ſibi perſuaſerunt, tam inſignem quatuor vel quinque millium aureorum ſumptum in ea turre profuſum, Luſitanorum Amacaenſium fuiſſe inuentum, à quibus ideo ſocij in ea vrbe ſuſtinebantur, vt ingens aliquod Reipublicæ Sinenſi malũ procrearent. Ergo eius rei monendum omnino Prouincialem Viſitatorem putauerunt. Et quoniam hæc accuſatio elegantiſſimè, & ad perſuadendum aptiſſimè ex Sinenſis eloquentię præceptis ſcripta habebatur, eam hic referam verbum verbo quam aptiſſimè potero reddens, tametſi ſatis intelligam magna ex parte vim ei leporemq; vernaculum, cum externo ſe habitu induerit, defuturum. Calumnia.

Cum per regni leges cuiq; liberè liceat ſubditorum Superiores monere, ſi quid plebi detrimentum adferre poſſe iudicetur, Nos è Cantonienſi Metropoli Seniores nonnulla obſeruauimus, de quibus te Prouincialis Viſitator admoneri oportere iudicauimus, vt remedio per te conuenienti occurratur. Ac inprimis ſcire te oportet de externis hominibus, qui in ciuitate Sciauquinæ Regionis principe commorantur, Exteras nationes veniſſe ad Sinenſe regnum incolendum, admodum formidamus, res ea re nouas tegi, & ingens Reipublicæ Sinenſi malum pręparari, eius rei ſplendet in oculis exemplũ, è quo quæ diximus nimis eluceſcunt. in Amacaenſi portu ciuitatis Anſanæ finibus, ingens aduenarum colluuies è barbaris regnis appulit, præſeq; tulit Legationem ad Regem adornari, vt eo prætextu in Sinenſe regnum noſtrum ſibi aditum aperirent, & ſimul commercia cum noſtris rerum vtriq; communium vtrinq; miſcerent, ac tametſi eius rei facultatem minime impetrarunt, neq; ad legationem admiſſi ſunt, nihilo tamen minus in eo, quem dixi, portum permixtim conſtitere, & annis quidẽ ſuperioribus nauibus ſuis recluſi nobiſcum com- Litteræ accuſatoriæ ad Prouincialem Viſitatorem.

mercia contrahebant, & Sinicæ telluris ingreſſu prohibebantur, atque ita finitis nundinis in altum vela dabant, & in ſuas ſe regiones recipiebant, nunc vero extruxere domos, & in multas contignationes erexere, ibiq; alij alijs inſiſtentes, inſtar apum & formicarum conglomerantur. nemo eſt in vniuerſa ſanè prouincia, cui cum id viderit, non ſtent comæ, & cor tremat, & eo magis, quod aduertitur aduenas illos nouis in dies artibus, aſtutisq; fraudibus vlteriora moliri. nam ſumptus in extruendam turrim ſuppeditarũt, vt hac arte in Sciauquinam vrbem ingreſſum ſibi pararent, & alios ſceleratos homines ſecum inferrent, qui nulla interruptione nauigant & renauigant. vnde non immerito formidamus, eos eſſe cæterorum exploratores, qui ſecreta noſtra ſcire adlaborent, quos poſt multum deinde temporis veremur, ne cum rerum nouarum cupidis vniti, ex ipſa noſtra gente grande aliquod Reipublicæ Sinenſi malum calamitatemq; procurẽt, & gentem noſtram per vaſta maria, vt piſces ac cete diſpergant: hoc ipſum eſt, quod libri noſtri fortè prædicunt, ſpinas & vrticas in miti ſolo ſeminaſtis, ſerpentes draconesq; in ædes veſtras induxiſtis. Et quidem Amacaenſe diſcrimen ſimile nobis videtur vlceri, quod in manibus pedibusue prorupit, nihil admodum periculi eſt, ſi ſenſim remedium procuretur. Sed Sciauquinenſe malum vlcus eſt, à quo pectus & cor ipſum occupatur. illi ratio perſuadet, vt primo quoq; tempore medeamur. hinc fit vt te Prouincialis Viſitator rogandum iudicauerimus, vti iubeas Sciauquinis Magiſtratibus àduenas illos quantocius extrudant, & ad ſuos Amacaum omnino remittant, cuius etiam ſuo tempore periculis per te labente tempore conſuletur. hoc ſi feceris, næ vitam vniuerſæ prouinciæ inſtaurabis, quæ inde maximum ſe beneficium accepturam publice profitetur. hactenus ſenes.

Prouincialis Viſitator id temporis cognomento Ciai iactabat,

ſtabat ſe, ac profitebatur pro rigido & iuris tenaciſſimo in paucis, quæ res eum vulgo formidabilem verendumq; reddebant: Is cenſuit eam rem accuratè diſcutiendam, quod commiſit ſumo Maris Pręfecto Cantonienſis Prouinciæ, id munus ab Sinis Haitu apellatur, ideò quod ad eum exterorum negotia ex officio referantur. Is porro rem alio quoq; retulit, ad Gubernatorem ſcilicet Metropolis Cantonienſis, à quo dimiſſo diplomate, nomine Viſitatoris Prouincialis inſcripto, Sciauchinus Gubernator iubebatur primo quoq; tempore legitimā totius rei diſcuſſionem adornare, & ad metropolim deſtinare. Notariorum quorundam opera res erupit, biduoq; ante P. Matthæus Ricius monitus eſt, quam in Tribunal Gubernatoris euocaretur, quorum etiam opera exemplar accuſationis à ſenioribus inſtitutæ, & accepti diplomatis accepit. aberat tum forte Gubernator, in Pequinenſem enim Regiam abierat, vt ſolemnem Regi clientelam tertio quoq; anno præſtari ſolitam exhiberet; eius Vicariam Præfecturam gerebat quidam cognomento Phan Gubernatoris Collega, & idem Patrum peramicus, naturaq; facilis & benignus. Is P. Matthæum accerſitum monuit, contra ſe ac ſuos à Viſitatore Prouinciali diſquiſitionem adornari; eam iam conſcius Pater acriter refutabat, nonnulla eleuans, pleraq; etiam negans, & maximè collatos in turrim ſumptus, non ferendam eſſe calumniam, quam vniuerſa ciuitas falſam eſſe, cum opus eſſet, teſtaretur. ad ea reſpondit Vicarius Gubernator, ſatis ſibi conſtare Patrum vel virtutem, vel innocentiam, quam aliquot annorum vſus patefecerat, idem indigne ferebat importunos illos ſenes in alienam meſſem falcem immiſiſſe, Sciauquina negotia, quæ illos ignoraſſe conſtabat, attingentes. Impetrauit igitur vti P. Matthæus libello ſeſe ac ſuos à calumnijs delatoribusq; purgaret, ſe vero patrocinium illius ſuſcepturum, & quæ ratio veritasq; ſuggererent Viſitatori ex fide renunciaturum, iuſſumq; ſecuro eſſe

Accuſatio contra ſocios facta promouetur à Prouinciale viſitatore.

Vicarius Generalis ſocios tuetur, & conſilio iuuat.

ro eſſe animo è tribunali dimiſit. Die inſequenti in vrbem redierat, externis negotijs expeditus ille, qui Lin-ſi-tau iam ſæpius à nobis eſt appellatus, totius accuſationis plene inſcius: Eum P. Matthæus cum ſocio Almeida officij cauſa extemplo viſitauit, pro tribunali conſidentem, & vt eum in hac rerũ perturbatione propitium haberet, vitro trigono, in quo varij colores cum voluptate viſuntur quod ille deſiderabat apprimè donauit. quo ex dono magnam alacritatem præſe tulit, tum maxime cum ſciſcitatus, ecquo pretio apud Europæos compararetur? audiuit paucis nummulis æſtimari: quod cum ille putaret ideo dictum, vt facilius acceptaret, fidem ſuſpectam dictis adhibebat aſſerens, eam rem pro pretio apud omnes æſtimandam. itaq; ne largitionem accepiſſe inſimularetur, potius videri voluit emiſſe quam dono acceqiſſe. Duos igitur illi aureos, quos reijcere fuiſſet inurbanum, tradi imperauit. ita nimirum Sinenſes Magiſtratus accuſationes in hac maximè cupiditatis nota reformidant. Ex hac viſitatione Magiſtratus prope ſummi beneuolentia comparata eſt, & P. Almeidæ Socij ſtatio confirmata. Inde ad libellum concinnandum ſeſe accinxit P. Matthæus, in eo libello cõmemorabat, ſe cum ſocijs ante annos ſummum octo ex Europa veniſſe, allectumque fama Sinenſis Reipublicę ſupra viginti miliariorum millia nauigaſſe, ſeque eſſe tenuem Religioſumq; virum, qui hoc vnum profiteretur, vt ſupremo numini ritè deſeruiret; ſe porro pro viribus conatum hactenus, vti nemini moleſtus eſſet, & Sinenſis Reipublicæ leges ad amuſſim obſeruaret, quibus rebus impeditum cum Cantonienſium Seniorum inopinata inſimulatio deprehendiſſet, iure ſe ſollicitum perturbatumque fore, niſi eum haberet iudicem, quem omnes iuris tenaciſſimum, iuſtitiæq; proclamabant, à quo nihil dubium, quin ſuam ſuorumq; innocentiam à calumnia vindicatam eſſet conſpecturus. rogare ſe igitur vti acerrimè de impoſitis criminibus

Beneuolentia Lin-ſi-tau à P. Matthæo Ricio captatur.

P. Matthæus Ricius libellũ contra accuſationem concinnant.

bus

bus inquireret, & ad Viſitatorem Prouincialem omnia quæ comperiſſet cum fide remandaret. Vicarius Gubernator hoc accepto libello cauſam legitimè inſtituit, ſed ea vniuerſa id ſpectabat, vt accuſator à calumnia vindicaret. probabat enim planè omnia, quæ obiecta fuerant à veritate diſſentire, eius cauſæ inſtrumentum ad Linſitau detulit, vti ex eius quoque calculo plus acciperet firmitatis. Is noſtrorum expectationi reſpondit, omnibus quæ legerat confirmatis, ſed adiectis ſociorum grauibus encomijs etiam ſuperauit. Sub finem huius litis præceptum addidit, quo iubebat libellum hunc vniuerſamq; cauſam, non ad Gubernatorem Cantonienſem, à quo diploma venerat remitti, ſed recta in manus Viſitatoris Prouincialis deferri, quæ res beneuolentia fuit non mediocris, quæque finem vltimũ periculoſiſſimæ calumniæ feliciter impoſuit. P. Alexander Valignanus Viſitator initio cauſæ monitus, de re tota plura miſſę ſacrificia in eum finem litari iuſſit, & oratione continua Deum fatigari, uti ſeruos ſuos ab hoc diſcrimine liberaret. atq; ita cum felicis euentus laureatæ litteræ ad eum peruenerunt, poſt debitas Deo optimo Maximo gratias hilariter cum ſocijs rem totam eſt gratulatus, & vt ægrè Dæmoni faceret, qui Patres ſuſceperat expellendos, alium huic expeditioni (is P. Franciſcus de Petris vocabatur) deſtinauit. De eo non omittam illuſtre Diuinæ vocationis argumentum. venerat enim Roma recens cum Iaponenſibus ad Pontificem Legatis, Iaponenſi expeditioni deſtinatus, ac tametſi Sinenſem vineam potius in votis haberet, noluit tamen vnquam eam rem Superioribus exponere, ſatis certus Deum ipſum, ſiquidem ex eius nutu ea vota prodirent, ſe ipſo rem ita moderaturum, vti ad exitum perueniret: nominatus igitur incredibili gaudio exultauit, nihil dubius in hanc meſſem ſe ſolius Dei nutu accerſitum, ergo primo quoque tempore etiam in Amacaenſi Collegio, opera P. Eduardi in ſermonem

Linſitau ſocios liberat à calumnia cum encomijs.

P. Franciſci de Petris vocatio ad Sinenſem expeditionem.

Sinicosq; characteres cæpit inſudare: erat hic virtutis eximiæ, & magnam in tractandis hominibus dexteritatem præſeferebat. Sed oſtenſus Sinis eſt tantum, nam in breui conſumptus expleuit tempora multa, vt ſuo loco infra cōmemorabimus.

Quanto cum fructu à Sociis id temporis in Sciauchinenſi Sede laboratum.

Capvt Decimvm tertivm.

Sciauchinæ ſedis ſitus percō modus.

SCiauchinæ ſedis ſitus vſibus munijsq; noſtris, erat per accommodatus; nam neque intra vrbis muros aſſurrexerat, vbi minus libere in vrbano tumultu, multorumque iudicijs Chriſtianæ fidei exercitationes ſuum curſum tenerent; neque ita ab vrbe aberat, vt exrra ſuburbanum agrum in deſerto loco & latrocinijs obnoxio deliteſceret, ſub ipſam vrbē in medio viſebatur ad occaſum, & accedebat percommoda fluminis magni ſtatio, quod domeſticum prope limen alluebat, innumeris ex more nauigijs frequens, quod commodam noſtris excurſionem in Cantonienſem Metropolim bis quolibet anno præbebat, quo ſociositare oportebat ad domeſticum ſtipendium, quod è Collegio Amacaenſi mittebatur, quoties Luſitani Negotiatores eo ad commerciorum nundinas ire ſinebantur. litteras quoq; & alia ex Europæ varijs partibus munuſcula eo tempore referebant, & ſi quando in Amacaenſe Collegium negotia vocarent, eodem flumine, ſecundo curſu ferebantur. Eadem quoq; ſtatio in aduerſam fluminis ripam excurſionem rei Chriſtianæ, in vicinis pagis, procurandæ cauſa ſuadebat, quod flumen plerisq; in locis tertiam Leucæ partem latum, oculis plane blandiebatur.

Sedes Sciauchinenſis frequētatur.

Concurſum quoq; pelliciebat ædis ſacræ apud nos erectæ nomen. Eo enim colore Magiſtratus viſitationē ad nos ſuam inſigniebant, quos alioqui non decebat in viſitandis priuatis homi-

hominibus, ijsq́; aduenis ſuam nimis abijcere maieſtatem. Proregia vero duarum prouinciarum ſedes, magiſtratuū continuos cætus euocabat, ſiue cum nouos adirent Magiſtratus, aut alius eueherentur, ſiue cum publicæ ſolemnitates, aut natalis Proregi dies, ſolita viſitationis officia poſtularent. Nec pauciores varia negotia cæteriq; caſus aduehebant. Hos omnes fama, quæ ſocios resq; Europæas longè ac latè non ſine commendatione diuulgarat, in ædes noſtras accerſebat. nec pauci erant, quibus prior eſſet ædium noſtrarum, quam Proregis viſendi cura. Et nonnullos quidē horaria machina maior illa, quæ vicum proſpectabat, & aliæ minores pelliciebant, alios Europeæ picturę, Iconesue, quosdam Mathematicę moles, & Geographicæ tabulæ delectabant. Libri quoq; tametſi alieno Idiomate ex inuolucrorum lepore, auriq; ſplendore apud eorum libros inſolenti obſtupeſcebant. Si quæ porro volumina obijciebantur, quæ chorographicas tabulas, aut architectonicas moles arte pictoria referebant, tum demum rapiebantur, quod ita concinnè regna, vrbes, palatia, turrium moles, pontium arcus, Templorum Maieſtatem, tantis locorum interuallis diſſita, domi prope ſuæ cum voluptate conſpicerent. His accedebant Muſicorum ſonorum inſtrumenta, quorum non ſuauitate minus quam nouitate capiebantur. His alijsq; id generis & ſociorum opportunis collocutionibus paulatim magnā de Europa exiſtimationē conceperunt. aduertebant enim ſcientiarum noſtrarum fundamenta haud paulo ſuis firmiora, gentemq; vniuerſam & priuatim litteratos ſatis ab eo diſcrepare, quod ipſi ſibi ad eam diem de cæteris aduenis concepiſſent, quos vna voce barbaros non appellabant minus, quam credebant. Cęptum igitur inter vtrosq; quod reuera reperitur, interlucere diſcrimen.

Res Europæas in ſociorum ædibus admirātur.

Exiſtimatio Europæ augetur.

Eam opinionem Socij non ad vanam oſtentationem, ſed in ſcopum ſuum collimantes ad ſanctiſſimæ legis noſtræ auctori-

ctoritatem aucupabantur: itaq; de ea ſermones miſcere opportunè importunè occæperunt. ac tametſi Magnates non facile in aduenarum tranſibant religionem, nihilo tamen minus agnitam veritatem plurimi prædicabant, pleriq; admirabantur. ſed nec ſola veritas ſeipſam ſua luce prodebat, ipſa Religionis ſanctimonia in ſociorum, vt aiebant, virtute ſplendebat: Sinæ quippe non ſagaciſſimi ſolum ſunt veritatis inueſtigatores, ſed etiam eximij ſanctitatis admiratores.

Quotquot ad viſendos Patres ventitabant, ſolitis vrbanis ritibus, & donarijs inſignes id præſtabant; quod ſatis inſolens eſt, maximè litteratis, Sacerdotes ne dicam aduenas inuiſentibus. His porro Socij noſtratium rerum munuſculis beneuolentiam rependebant, quas ipſi maiore pretio, quam ſuas (auget enim nouitas rerum precia) cum voluptate & gratia recipiebant. Ex ijs nonnulli quoq; numerabantur, quos non ipſa nouitas curioſe, ſed ſalutis cura vtiliter euocabat: ergo nullo non die domus noſtra plena erat viſitatoribus, vicinia lecticis, flumen ſcaphis. aut Magiſtratuum nauigijs, quæ ſua magnitudine commoditatem præbent, & ornatu ſpectantium oculis blandiuntur.

Ex frequentatatione Magiſtratuum, aliorumq;, Societatis exiſtimatio toto regno creuit.

Ex hac Magiſtratuum litteratorumq; frequentia legis noſtræ ſanctiſſimæ fama, eiusq; præconum exiſtimatio Sciauchinos fines, imo Cantonienſis & Quamſi Prouinciarum fines egreſſa, vniuerſo regno cæpit euagari: nam cum Magiſtratus ex alienis ſemper prouincijs ad Rempublicam gerendam euocentur, ac tertio quoq; anno permutentur, breui fiebat, vt qui res noſtras nouerant, eas ſecum longè lateque deferrent, quod venturis poſtea in alias regni Prouincias Euangelij miniſtris viam ſenſim ſine ſenſu præparabat. Hic notus eſſe cæpit, cum è militari eſſet Tribunali (Pimpithau vocant) ille Sciutagim, qui poſtmodum in Regiu Nanchienſi munus ampliſſimum (Scilan appellant) geſſit. Hic ille Theno familiariter

vti

vti noſtris cæpit, cum Pucimſi munus gereret, quem deinde Nanchini Proregem vidimus. Hic alius qui deinde Prorege Hoiceu Prouinciam gubernauit. hic ille annalibus noſtris ſępe celebratus Sciutaiſo, quem poſt multa in fidem ordinemq́; noſtrum merita Dominus Euangelij ſui luce colluſtratum ſibi adiunxit; Ignatius inquam (ſic enim in baptiſmo voluit appellari) noſtros noſcere & colere eſt aggreſſus: nullus erit finis, ſi omnes perſequar, quotquot in ſuprema deinde Magiſtratuum culmina è Cantonienſi Prouincia prodierunt, à quibus deinde multum Chriſtiana res accepit vbique firmitatis; isque tum quidem fructus in radice latebat, ſed fælicia deinde poma & gratam fauoris vmbram conciliauit.

Laborũ fruct⁹.

Sed neque hic ſtetit primorum annorum non ſpes ſolum, ſed fruges. incipiebat enim in dies magis ac magis meſſis noua luxuriari. nam Neophyti in ædicula noſtra conſtituebant dies ſolemnes vſque ad cornu altaris, frequentia iam cum anguſtijs loci decertante, ijs expleto ſacrificio ſermones de fidei noſtræ rebus appoſiti, inſtituebantur, & poſtremus quidem ſacri fontis apparatus octo ſupra decem numerauit, & ſæpè Deus admirabilibus quibusdam viſis & oſtentis vicinarũ gentium animos ſollicitabat. In altera fluminis ripa degebat neſcio quis, is nocturnis horis circum tumulos quoſdam obambulabat, & ſiue pannicus aliquis metus, ſiue Dæmon inuaſerit, energumenus viſus eſt remanſiſſe. Ad eum, importuno habitatore liberandum, Parentes Sacrificulos adhibuerunt, à quibus profanis exorciſmis & à pictis ipſorum Dæmoniorum monſtris, quibus ædes oppleuerant, nihil relictum eſt intentatum, ſed dæmoni dæmon infeſtus eſſe recuſauit; ideo procul dubio, vt Chriſtiana lux eo ſe diffunderet; monitus eſt enim Parens à Neophyto quodam, in Europæorum Sacerdotum lege ac numine vim eſſe contra huiusmodi ſpectra certiſſimam. euocatus è noſtris vnus rogatur, vti reme-

Energumenus cum familia Chriſtianam fidem ſuſcipit.

dium conclamatæ filij ſaluti ferat: verum noſter non facilè ſibi perſuaſit iuuenem à Dæmone poſſideri, ideoq; ab Eccleſiaſticis exorciſmis abſtinuit, indixit tamen, vti refixas monſtrorum laruas debitis ignibus abſumeret, recitatis deindę precibus quibusdam, & appenſa è collo ſacra reliquiarum Theca diſceſſit: vix abierat, cum iuuenis excuſſo Dæmone conualuit, & in ædem ſacram à parente deductus, didicit, in ſuperioris Numinis ditionem ac iura tranſire, nec ipſe ſolum, ſed vniuerſa familia beneficio pellecta, Chriſtiana ſacra ſuſcepit, rumoremque ſparſit parens, filium ab importuno vexatore Chriſtianorum numinis auctoritate liberatum.

Quidam vnà cum fide Chriſtiana liberos ſuſcepit.

Alius quidam & publicum gerens munus, ſed infimo fere in gradu, cognomēto Leam, prole ad id tempus deſtitutus, ille Socijs auctoribus Deum inuocauit, & primo quoque tempore binos filiolos impetrauit, qua re cōmotus, beneficū Numen colere eſt aggreſſus, Chriſti fidē profeſſus, & quos acceperat infantes, eidē reddidit ſalutari fonte ab originis culpa eluēdos.

Hæc inter tot aduerſa ſocios mirum quantopere recrearunt, cum laborum ſuorum fructus non ſperarent ſolum, ſed palparent: nam præter Neophytos quos commemoraui, qui altius quotidie Chriſtianas pręceptiones in aures animosque admittebant, infantes quoq; non pauci eluti ſacris aquis cælo adſcribebantur, futuri ſuę gentis noui apud Deum Patroni.

Amacaenſibus utilis fuit ſtatio Sciauchinenſis.

Sed neque Amacaenſi oppido ſtatio Sciauchinenſis inutilis fuit. Luſitani quippe ad Proregem certis de negotijs acturi cum ſubinde venirent, à Patribus iuuabantur: alij quoque naufragi è Cantonienſis maris arena ad Proregem adducti, noſtrorum opera liberati ſunt, ſed multo etiam magis opportuna ſtatio fuit fugitiuis ſeruis adiuuandis. quotannis enim Amacaenſi oppido nonnulli iugo ſeruitutis excuſſo, libertatem apud Sinas quærebant potius, quam inueniebant. eos enim fere militum pręfecti ſibi adiungebant, quod animoſiores

res illos, & è Luſitanorum conſuetudine in armis dexteriores ſuis militibus agnoſcebant: Hi enim fere vel erant Iapones Sinici Regni metus, vel ex Africa Aethiopes, Caphres fere vocantur, aut è Iaua maiore ac minore inſulis, & alijs huiuſmodi, quos natura ferox & barbara Sinis ſuperiores in armis facit. hi ſæpè cum Ducibus ſuis ad Proregem cum venirent, monebantur, vti ne Chriſtianam fidem è memoria excuterent, multis etiam reditum ad heros ſuos perſuaſerunt, & veniam vel fugæ vel criminum impetrarunt. & quoniam nihilo leuiorem apud Militum præfectos, quam apud Luſitanos ſeruitutem ſeruiebant, non multo labore reditus perſuadebatur, ſed maiore procurabatur. qua in re non animis ſolum, ſed rei quoq; familiari Luſitanorum conſulebatur, recuperatis ſæpè ſeruis, quorum induſtria pretium augebant.

Id quoque temporis è Caucincinenſi Regno Sinarum vectigali Legati, quod tertio quoq; anno faciunt, cũ ex itinere ad Proregẽ veniſſent, vt ab eo in Regiam deinde dimitterentur, noſtros inuiſerunt non ſemel, qua in re magnam ſemper beneuolentiam præſetulerunt, & apparatum procurarunt: his noſtri varios de rebus noſtris libros, & maximè Catechiſmi volumen obtulere, Sinenſibus characteribus expreſſum, quos ipſi cum Sinis communes habent, licet ſermone toto cælo diſcrepent. id ea ſpe factum eſt, vt ſi à noſtris aliquando in id Regnum aditus patuerit, iam diſpoſitos his libris animos reperiant. Aditus porro toties patebit, quoties operariorum copia permittet, & rei familiaris inopia non prohibebit.

Extremus Sciauchinæ Sedis labor & Sociorum expulſio.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

HOs tam inſignes rei Chriſtianæ progreſſus in agro Sciauchino, certamq; ſpem maioris in poſterũ frugis colligendæ hu-

Dæmonis artibus ſociorum conatus interturbantur.

dæ humani generis hoſtis vidit & inuidit. nouis itaq; quotidiè artibus, nouis nocendi vijs, quas nec poſſum, nec ſi poſſem volo ſigillatim commemorare, pios Sociorum labores interturbabat, quæq; ipſe per ſe non poterat, miniſtris ſuis id accuratè curaturis commendabat. eam ad rem accõmodatiſſimos Sciauchinæ vrbis, ciues, litteratosq; depræhendit, quibus frequens illa Magiſtratuum familiaritas, & ex eo, quod auctoritatem & gloriam pareret, inuidiam quoq; comparauit. Adlaborabant igitur, vt ſocios noui Proregis aduentu è ſtatione ſua exturbarent.

De noſtris è ſtatione exturbãdis laboratur.

In demortui deceſſoris locum ſuffectus ab Rege fuit, Quam-ſi Prouinciȩ vicinæ Prorex. is è Nanchinenſi Prouincia originem trahebat, cognomento Leu, & in defuncti Proregis palatium ſuperſtitione metum augente venire prius noluit, quam eo, à fundamentis diruto, noua moles, ingenti ærarij Regij ſumptu aſſurrexiſſet. arbitrabatur enim in feriali iam loco ſiniſtre ſibi omnia proceſſura. interim vero in vicinam vrbem, & Cantonienſi Prouinciæ conterminam ſeceſſit. ad eum eò loci Magiſtratus omnes viſitandum de more ſe ſubito contulerunt, hos inter Sciauchinorum ciuium caput ac Prȩfectus ThanSiarihiu vnus eſſe voluit, de quo dubitari poteſt, vtrum amicus videri magis, quam inimicus noſtris eſſe voluerit, cum Prorege nouo ſermo de Turri recens extructa illatus eſt, deque Templo quod bene merito ſibi Magiſtratui (de quo ſupra) nuper extruxiſſent; & quoniam idem quoque præſtiterant non longe ante, vni è defunctis Magiſtratu Proregibus, honoris cupido facilè in mentem venit, vti à Sciauchinis ciuibus idem ſe ſperare prȩſeferret. eſt autem ſimile vero, illum amice nobis inimicum, templo futuro locum in ſtatione noſtra commodum deſignaſſe. quare Sciauchino noſtros ex voto ſuorum ciuium exturbabat. ea coniectura nõ vanis indicijs colligi potuit ex eo, quod eo redeunte ſucceſſit.

Nam

Nam à Prorege ad Linſithau diploma peruenit in hanc fere ſententiam: commemorabat, ſcire ſe, non ita pridem ex Amacaenſi portu ſacrificulos aduenas cõplures, Sciauchinum aduenisse, eos cum Luſitanis omnia, quæ in noſtro regno geruntur, communicare, nouas quotidiè artes moliri, rudiorem plebem ſuis ſermonibus & libris ad ſe pellicere, quin etiam æs ſe campanum habere publicè expoſitum, quod nemine pulſante, horas monſtraret, ſe igitur iubere, vt cauſa ex iudiciorum forma cognita, eos Amacaum ad ſuos quam primum amandaret, aut in Xauceanæ vrbis fines in fanum, cui Nanſoa nomen eſt proſcriberet; in eo fano ſupra mille idolorum ſacrificulos habitare ferunt.

Hoc accepto diplomate, Linſithau Socios ab vrbis Progubernatore moneri iubet, vti ſe auctore in id fanum concederent, fore poſtea Prorege magiſtratu defuncto uti ab ſe in antiquas ædes reuocarentur. Verum inſiſtebant Patres, vti obiecta excuteret, & omnia deinde ad Proregem cum fide remandaret, quibus ille ita reſpondit: de Sociorum innocentia ſibi ſatis ſuperq; conſtare, nec animi ſibi nunc minus eſſe ad eos tuendos, quam cum à Cantonienſibus Senioribus nuper oppugnarentur: Verum certo ſibi conſtare Proregis hac de re voluntatem, cui repugnando plus operæ quam fructus inſumi oporteret. Lin-ſithau iubet ſocios diſcedere Amacaum.

P. Matthæus Ricius eo ipſo tempore celerem nuntium Amacaum ad Viſitatorem amandauit, eiq; noui laboris partem, ſi non patiendi ſaltem compatiendi dedit. ſimul addebat ſententiam ſuam, videri ſibi nunc quidẽ tempori cedendum, ſedemq; vel in ſupra nominatum fanum, vel alio quolibet Proregis arbitratu transferendam, neque eundem Proregem irritandum, cuius gratia ſi nunc quidem non exciderent, ſperari poſſe cõmodam alibi ſtationem ab eo impetrandam, & facultatem Neophytos ſubinde reuiſendi, excolendique, P. Matthæus Ricius cedendũ eſſe ſuadet.

aut ſedis etiam recuperandæ non omnino fere deſperatam.

P. Viſitator imperat antiquã ſedis defenſionem.

Nihilo tamen minus adduci noluit Viſitator, vt eam ſententiam concederet: Imperauit igitur vti nulla ratione ſedem aliam acceptarent, nedum noſtri procurarent, ſed antiquam ſtationem mordicus defenderent, & vbi non poſſent Amacaum repeterent non defore illis alibi campum, in quo eorum induſtria liberius ac vtilius excurreret. Ex hac maiorum voluntate P. Matthæus cauſam adornans ad libellos ſcribendos cæpit ſtudioſe incumbere. Sociorum vicem Magiſtratus dolebant, Proregis iniuriam incuſantes; ſed erat nemo qui potenti aduerſario poſſet aut vellet obſiſtere.

Vix dum nouus Prorex Magiſtratum inierat, cum homo cupidus eos è populo vexare cæpit, à quibus ſperabat aliquid emungendum: In his fuere Negotiatores è Cantonienſi Metropoli, qui cum Luſitanis commercia permiſcebant. Alius erat etiam ante paucos annos pyratarum dux, qui venia ab ſuperioribus Magiſtratibus impetrata, domum redierat, & ſine cuiuspiam iniuria vitã viuebat homine probo non indignam. Eum nouis inquiſitionib⁹ terrere cum cœpiſſet, effecit vti adhibitis latrociniorum ſocijs ad antiquam fortunam rediret, quietis potius deſperatione quam faſtidio. Adhęc in Hainan ad auſtrum Inſula gemmas piſcari auſus eſt, contra expreſſam Regis voluntatem.

Ad eum in contermina etiamnum, vt dixi, vrbe commorantem P. Matthæus conueniendum ſeſe accingebat. Verum ille vbi audiuit Pyratarum claſſem, vbique omnia infeſtare, in Cantonienſem Metropolim ad bellum adornandum properabat. Cui Sciauquinum ex itinere aduenienti non defuere Magiſtratus, qui ſociorum cauſam ſane amice cõmendarent, Ac tametſi ita reſpondit, vt non admodum de ijs ſiniſtram opinionem concepiſſe videretur, adduci tamen non potuit, vti permitteret Socios in ſua ſtatione remanere; Nam illa templi

delinea-

delineatio iam altius eius animum occuparat, quam vt eum honoris impotens libido ab intento reſilire permitteret.

In hac vniuerſa cauſa dici vix poteſt, quantum ab omnibus Magiſtratibus in cauſæ noſtræ fauorem conſpiratum ſit. Per eos dies quidam è Regia Pequinenſi Magiſtratus ad Linſithau ſcripſerant, vti ab Luſitanis negotiatoribus purpureos aliquot pannos coemerent, & ad ſe transmitterent. Magiſtratus, ne quam rei gerendæ, & de Prorege bene merendi occaſionem omitterent, P. Ricium nominarunt, quem aptiorem Sinis Mercatoribus ad eam rem cũ Luſitanis, apud quos amicitia valebat, & auctoritate, conficiendã eſſe dictitabant. Eum igitur Prorex ingenti nauigio à multis remigibus vehi, vna cũ quodam militum Præfecto, & alijs ſuis palatinis voluit. Amacaum vbi peruenit, magna ab omnibus amoris ſignificatione exceptus eſt, conſcijs, quantos cum reliquis ſocijs labores exantlaſſet. Opportuna fuit excurſio diſcutiendis multis, quæ muto litterarum commercio non ſatis tutò agitantur. Concluſum enim contra id quod prius ſtatutum fuerat, vti procuraretur alius ſedi figendæ locus, ſi quidem Sciauquina retineri minime potuiſſet.

P. Matthæus Amacaũ mittitur.

P. Matthæus Ricius expeditis ex ſententia negotijs ad quæ fuerat à Magiſtratibus amandatus, quam celerrimè intermiſſam ſtationem, reſumptis velut ad nouos labores viribus animiſq; repetijt. Eum Magiſtratus reuertentem benignè acceperunt, recentiq; beneficio deliniti, nouo fauore tuendum ſuſceperunt.

Iam Proregis Palatij moles habitari poterat, ſed prius quam ad eam adueniret habitandã, pręcepit aliquoties Magiſtratib⁹, vti omnino Socios amandarent, ij verò, meliora ſperantes, eius aduentum præſtolabantur. Venit igitur tandem aliquando Sciauchinum, nec à dimittendis Socijs animum remiſit; ſed inſtitere Magiſtratus aduenas illos in extruendis ædibus ſupra

ſexcen-

ſexcentos aureos, ſummam apud Sinas non modiocrem inſumpſiſſe. quare Prorex ſuſpenſus nõnihil reſtitiſſe fertur. aduertebat enim imputandam ſibi tam inſignem in innocentes iniuriam, quos nihil contra leges peccaſſe vniuerſi Magiſtratus conclamabant, nec ei admodum arridebat eam ſummam Socijs reſtituere, quam ad Templum ſibi extruendum etiam nimis eſſe conſtaret: denique ſtatuit vti Patres quinquaginta aureis, vel ſummum ſexaginta donati, Amacaum remitterentur.

P. Matthæus Ricius propoſiti ſui tenax.

Hanc Progubernator ſummam P. Matthæo obtulit: verum ille libere ſanè reſpondit, ſe Deo ſacram ædem minime venditare: neque videri velle ſuis ita rem dilapidaſſe domeſticam, vt ædes etiam ipſas abliguriſſe diceretur. Ad hæc, cui videri poſſe non ineptum mercatorem eum, qui pro ſexcentis quinquaginta permutaret. Statuit igitur Diuino plane conſilio bonus Pater omnino nihil à Prorege in ædium permutationem acceptare, non ideo ſolum, quod impare pretio deterretur, ſed multo etiam magis, vti ne actionem ſedem ſuam aliquando recuperandi omnino deponeret. Id conſilium percommodum fuiſſe ad conſeruandam, vel potius inſtaurandam expeditionem illam euentus comprobauit,

Matthæus Ricius tertium à Prorege reiectus.

Iterum ac tertio ad Proregis tribunal P. Matthæus acceſſit, uti coram verbo ſcriptoq; calumnias obiectas ſibi refutaret, ac legis quam diuulgare dicebatur redderet rationem: verum reiectus ſemper fuit cum hoc Proregis reſponſo, eum indignum Proregis conſpectu videri, qui eius dona contempſiſſet: Spe igitur Sciauchinæ ſedis conſeruandę deturbatus, libellos mutare cæpit, Magiſtratusq; laceſſere, uti ne Sinenſi Regno pelleretur, ſed alio quolibet in loco ſedem figere ſineretur. nunc Prouinciam Quamſi, nunc Chianſi, vel aliam quamlibet ambiebat. verum Prorex iam atrocior factus, A-

macaum

macaum remitti iubebat, nec admittebat alium de hac re ſermonem.

Solemne eſt Prouincialibus Viſitatoribus poſt reuiſas Prouinciales cauſas, & excuſſis Magiſtratuum moribus, cum in Regiam Pequinenſem Regis de omnibus admonendi cauſa redeunt, magna pompa & longo comitatu viſitatæ Prouinciæ Proregem ex itinere ſalutare. Prorex non neſcius, quam ſiniſtra de ſe ad eum fuiſſent iure delata, Sciauchini ſtatuit eum ſibi modis omnibus demereri. ergo ſub diſceſſum aduerſo flumine ſtatuit eum procul ab vrbe comitari: comites erant vrbani Magiſtratus omnes, atque litterati, nec nō & præſidium vrbis militare, quibus omnibus & ſcaphis flumen, & ripam ſpectatoribus oppleuerant, variorum quoq; Muſicorum inſtrumentorum ſonus, non aures minus quam ſpectatorum oculos diſſona conſenſione recreabat. è domeſticis feneſtris pompa omnis à ſocijs & amicis aliquot ſpectabatur. cum ecce tibi ſubito proras obuertunt ſecundo flumine reuertentes, non ſine ſpectantium admiratione, qui nondum ſcirent, quo potiſſimum nouo conſilio deferrentur. quid expectas? è regione domus noſtræ exſcendunt, eam ingrediuntur quotquot aderant: ſtupore defixi Patres ad eos excipiendos domo egreſſi, vrbanos ritus exhiberi ſolitos preſtiterunt, ædes ab illis ſpectata eſt vniuerſa, picturæ, horariæ machinæ, vitra & id generis plura: ſed nihil æque placuit, vt P. Matthei Muſæum, eo maxime nomine, quod illud libris Europeis ac Sinenſibus oppleuiſſet. his ſpectatis in porticu, quæ flumen ſpectabat, conſederunt: multa de Europa noſtra ſciſcitantes, quibus omnibus, uterq; ſatisfactum ſibi eſſe, humaniſſime demonſtrauit. inde digreſſi in Metropolim Viſitator, Prorex in ſuum Palatium ſe recepit.

Prouincialis Viſitator pro more gentis Proregem ſalutat.

Prorex cū Prouinciale Viſitatore domū Sociorum ingreditur.

Ex hoc tam inſigni tantorum virorum fauore non amici ſolum ac noſtri, ſed inimici etiam, arbitrati ſunt de noſtris ex-

pellendis conſilia iam eſſe mutata: itaq; iam ſecuriores quam alias vnquam metum depoſuerant omnem: ideo maxime quod vrbani Magiſtratus ipſi quoque omnes gratulatum ad Patres miſerunt, monueruntq; nihil vt amplius in cauſa ſua mouerent, dum extrema Proregis ſententia pronunciaretur, in tuto quippe iam videri vniuerſa. Verum Auguſti fere menſis initio inopinatam Prorex è diſceſſu Viſitatoris factus audacior ex animi ſui ſententia potius, quam ex æquo ac bono tulit ſententiam, eamq; in fine cauſæ totius adſcripſit. ea præcipiebat vrbanis Magiſtratibus, vti ſocios vrbe quamprimum pellerent, eoſq; in Patriam relegarent, & in ædium pretium aureos ſexaginta ad itineris ſumptus largirentur.

Prorex edicto Socios Sciauquino diſcedere mandat.

Progubernatoris erat munus eam rem exequi: Is miſeratione permotus, quod licebat, tergiuerſabatur, neque triſtem nuncium Patribus renunciare ſuſtinebat: verum cum die, neſcio quo ad Proregem adiſſet, ex eo quæſiuit num ſententia in noſtros lata exitũ accepiſſet; cumq; is negaſſet, Prorex excanduit: Itaq; à Prorege digreſſus duos Satellitum ſuorũ Præfectos euocauit, & vt in re ſimili fieri ſolet, edictum in tabula grandiuſcula deſcripſit, quo edicto Proregis ſententiam aduenis Magiſtratibus renunciari iubebat, & triduum ad Sciauquinos fines egrediendum præſcripſit.

P. Matthæus ad Proregis tribunal cauſam ſcripto tradit.

Hoc inopinato nuncio perturbatus P. Matthæus, ad eius Tribunal extemplo ſe contulit: ibi Progubernator humaniſſimè Patri cauſam omnem, vt erat deſcripta, videndam dedit, imo & exemplar, in quo videre licuit, totius ex ordine negotij euentum. ibi ſociorum libelli, Magiſtratuum reſponſa, quæ omnia noſtris ita fauebant, ut mirum videri poſſet, legebantur; ad extremum Proregis vltima ſententia in hunc fere modum ſcripta viſebatur.

Tametſi

Tametſi Matthæus Ricius nullo ſiniſtro fine in Sinēſe Regnum intrauerit, & ut diſquiſitiones teſtantur, nihil in leges peccauerit, non decebat tamen eum tantopere Patrij ſoli obliuiſci, maximè quod vbiq; religioſe viuere liceat: In Proregia vero ſede omnino non conuenit aduenas diu cōmorari; ideo illum in Patriam remittere, neq; inurbanum, neq; iniuſtum videri debet. Ad ſumptū porro quod attinet, quem in extruenda æde fecit, negari non poteſt inſignem eſſe vim numōrum: verum cum ij eleemoſynæ nomine collati fuerint, eam rem ſuam iure non poteſt appellare; ergo ad eam ſummam, quæ illi in ſumptus itineris à Magiſtratibus datur, aureos quindecim è proprio dari iubeo, & ſexaginta confici, atque ita in Patriam ſuam relegetur. Reſponſum Proregis ſcripto legitur cōtra P. Ricium.

Ita huic ſententiæ Progubernatoris reſpondit Pater, ſe quod ad nummos attineret, omnibus habere gratiam, ſed nec egere ad ſuos relegatum, nec velle in ædium precium quicquam acceptare: ad hæc Progubernator non admodum inſtitit. Quæſijt deinde Pater Matthæus, fieri ſaltem poſſet, nec ne, uti alium in locum Prouinciamúe amandaretur, & Socium ſuum per eum ſibi liceret Sciauchini occultum relinquere, cum domeſtica ſupellectile: id Progubernator facilius fecit quam poſſet. Itaque in ſpem adductus eius rei conficiendæ, ſupellectilem ita diuiſit, ut partem Sciauchini relinqueret, partem vna ſecum efferret, quæ res plus laboris habuit quam fructus. nam & Præfecti Satellitum omnia domo efferri vrgebant, & nauigia diſceſſuris data à Magiſtratibus in Cantonienſem Metropolim, non alio mittebantur. Ergo ad Progubernatorem reuerſus intellexit, nihil ſe præter id, quod Prorex iuſſerat, habere, nec poſſe immutari: ergo Socius uterque Amacaum in poſterum cogitauit. P. Matthæus pecunias reiecit.

Nihil hac in re angebat æquè bonos paſtores, quam oues

 ab ſe

ab ſe ſuas tantis ſudoribus eductas & educatas inter lupos relinqui, & ſenſum auxit concurrentium Neophytorum frequentia, & lugentium eiulatus, qui tales fuere, quales in Parentis funere ante filiorũ oculos exſpirantis: deplorabant relictos ſe ſine Doctore, à quo veræ fidei præceptiones audirent; ſine paſtore, à quo ſacramentorum paſcuis paſcerentur. quibus Socij tametſi ſolatio egebant, ipſi dolore diſſimulato, ſolatium & ſpem meliorem ingerebant, hortabanturq́; vt fidem in medio nationis prauæ Chriſtianam retinerent; meminiſſent eorum, quæ ſeptennio toto didicerant, ſpondebant etiam breui ſe pacatis rebus reuerſuros, & intermiſſam ſtationem repetituros: interim Chriſti Seruatoris imaginem Neophytis reliquerunt, ad quam in cuiusdam Neophyti caſa collocatam ſacri cœtus ſacris diebus cogerentur (nam faſtos noſtros P. Matthæus ad Sinenſes, qui Lunari curſu labuntur accuratè accommodauit) iјs in cœtibus iubebantur orationem inſtituere, de rebus diuinis colloqui, & alia Chriſtianæ pietatis officia frequentare. inde iuſſis bono animo eſſe, monitisq́; hanc eſſe naſcentium Eccleſiarum ſortem, vt non niſi laboribus aſſurgant, eos in certum locum miſit ſuburbanum ad fluminis ripam, in quo extremum vale mutuo diceretur.

Socij Neophytos deſertos lugent.

Neophytis pręcepta ante diſceſſum traduntur.

In hoc Socij diſceſſu hoc unum ſtudioſè curauerunt, vt quoniam per vniuerſam vitam reditum erant meditaturi, neminem offenſum, beneuolos omnes relinquerent, atque ita non ſolum de nemine queſti ſunt, aut quicquam minati, ſed potius omnes veniam rogabant, ſi quid forte inconſideratius in eos aliquando peccauiſſent. Neque fortaſſe minæ viſę cuiquam fuiſſent inutiles: Verebantur enim fere prudentiſſimus quisque, vt huius conditionis viri per ſummam iniuriam pulſi, ea quam de Sinenſi nunc habebant regno ſcientia, ad illius perniciem abuterentur. Verum vbi viderunt eos hac animi quiete poſt tot iniurias abire, in admirationem ac miſericor-

Sociorum in diſceſſu æquabilitas.

diam

diam ipſi etiam hoſtes noſtri tenerrimè peruenere. Ipſi dumtaxat Satellitum Præfecti per vim quędam eripere, non vilia tentauerunt; ſed ea illis P. Matthæus è manibus excuſſit, minatus ſe Magiſtratus ea de re moniturum, qua denunciatione ipſi pauore conſternati ab iniuria temperarunt. Neophytos tamen donauit munuſculis è domeſtica ſupellectile, quæ minimè efferenda videbantur; nonnulla etiam apud alios depoſuit, quæ aſſeruarent.

Conuaſatis iam omnibus, & in nauigia cõportatis, in ſuburbanum locum, vbi Neophyti præſtolabantur Socij diſceſſerunt. Ibi iuſſis ſubſiſtere nauigijs P. Matthæus ad Progubernatorē ſe paulatim contulit, eiq; clauium multitudinem tradidit, gratijs habitis ob beneuolentiam in hac alijsq; ſæpè cauſis exhibitam, quam nulla ex animo deleret obliuio. Is denuo nummos obtulit; ſed eadem conſtantia, qua prius, ſunt reiecti. Tum Progubernator Patrem rogauit, vti obſignata propria manu ſchedula teſtaretur, oblatos ab ſe nummos ab eo reiectos: Quod fecit Pater Proregiq; gratias egit, eumq; rogauit, vti ædem illam, quia ſacra Numini eſſet, ne indignis vſibus ſineret profanari.

Progubernatori traduntur claues & aguntur gratiæ.

Viciſſim porro à Progubernatore P. Matthæus petijt, vti ſigillo confirmaret, ſe ac Socios nulla ex culpa, Sinenſi regno pelli, vitamq; ab ſe religioſe actam, vt eo teſtimonio proſcriptionis ignominiam, apud quos opus eſſet, propulſaret. Id & libenter & luculentè ab eo præſtitum, additaq; magna Sociorum encomia Aliud etiam diploma ſua ſponte Progubernator addidit, quo diplomate cauebatur, ne quiſquam toto Socios itinere, vel inurbane, vel iniuriè tractaret. Deinde Proregis nomine Cantonienſis maris ſummo Præfecto imperabat, vti nauigia militésq; Amacaum vſque ſuppeditaret.

Progubernator Socios cũ teſtimonio vitæ laudabiliter actæ dimittit,

His ita confectis P. Matthæus ad locum redijt, in quo eum

Neophytis valedicunt.

Socius ac Neophyti præſtolabantur. hîc iterati planctus & inchoata deſideria, quæ cum appoſita fuiſſent, ac breui oratione mitigata, illis Patres fauſtè apprecati diſceſſerunt.

Vti in Metropolim ventũ eſt, Deo ita res moderante, ſummus aberat Maris Præfectus, quem dum intra biduum præſtolantur, pannum è quo Societatis noſtræ ſibi veſtes conficerent, compararunt, Et Viſitatori Amacaum ſcripſerunt aliſque Patribus, ſe à Prorege Sciauquino pulſos, intra biduum triduumue adfuturos, & rei geſtæ ſeriem coram & fusè narraturos.

Secundi libri finis.

DE

DE CHRISTIANA EXPEDITIONE APVD SINAS

Ab Societate Iesv Svscepta.

Liber Tertius.

Sinenſis expeditio Chriſtiana inſtauratur & Xaucei noua ſedes erigitur.

Capvt Primvm.

LAboribus prope Tantaleis hanc expeditionem minima noſtra Societas eduxerat in eam, quam vidimus altitudinem, vt qui ſaxum ingens in altum euexit montem, cui ecce cum ad apicem parum deeſſet, inconſideratis manibus ſaxũ elabitur, & ad montis pedem, vnde prius aſſurrexerat, reperitur, non ſine inſigni eius, qui in eo deſudauerat mœrore ac diffidẽtia, Verum enim vero cum denuo licuit ſocijs in priſtinam altitudinem aſpirare, (licet ab imo denuo labor inciperet) tanta fuit duorum ſociorum, quibus ea res innitebatur, ſpes, vt omnem præteritorum laborum memoriam abſterſerit. Actis igitur Numini (vt par erat) gratijs, ſeſe ad nouos labores accinxerunt, qua ratione id factum ſit, aggredior enarrare.

In ijs nauigijs, quibus Sciauchino Cantonẽ aduecti erant noſtri, dum Præfecti maris aduentum ſunt præſtolati, ecce tibi poſtridie quam appulerant, citatis remis celox apparuit, ea nauigium Patrum prora petens, admirationem primo peperit, deinde etiam ſtuporem: nam Proregis nomine illis nunciabatur, vti Sciauchinum extemplo repeterent, nec eius rei cauſam *Sciauchinum ſocij ex itinere reuocantur a Prorege.*

causam

cauſam ex ea celoce quiſquam, aut dicebat, aut ſciebat. eam rem Socij bene ominatam auide arripuerunt, quippe quod ſatis intelligerent, ſe ſi ſemel Amacaum repeterent, non facile in regni Sinenſis interiora redituros. & quidem ſi res humano pede metienda erat, omnino noua facultas noſtris ingrediendi nulla ratione impetrari poſſe videbatur: ita nimirum in Sinarum medullas exterarum gentiũ metus penetrauit. Ergo nulla interpoſita mora cum ijs, qui eos accerſebant alacres Sciauchinum rediere. ibi varios de reditu ſuo rumores fama ſpargente repererunt. Dicebant nonnulli Proregis vxorem idolorum cultui addictiſſimam, neſcio quid ſomniaſſe, cuius cauſa Prorex aduenas Sacerdotes reuocaſſet: Alij ſuſpicabantur, Proregem pœnitentia ductum timuiſſe, ne aduenæ iniuria pulſi Luſitanorum opera de vlciſcendis iniurijs cogitarent. quidquid fuerit, P. Matthæus ad Progubernatorem ductus intellexit, altero poſt diſceſſum die ſe Proregi eam rem renunciaſſe, & ſententiam in aduenas Sacerdotes executum; Verum nulla ratione adduci potuiſſe, vt oblatos nummos acceptarent, quod ex ipſius Matthæi autographo conſtabat Ea re audita Prorex obſtupuit, & vultu mœrorem prę ſetulit. cum enim ædem noſtram in fanum ſibi erigendum deſignaſſet animo, non immerito verebatur iniuſtitiæ notam, quaſi hunc ædis eripiendæ prętextũ, falſo publici boni colore cohoneſtaſſet, pulſis aduenis, quos Proreges aliquot alij humaniſſimè admiſiſſent prius atque tractaſſent.

Rumor varius de Sociis reuocatis.

Ergo, Deo res ita diſponente, Prorex Vicario Gubernatori iubet, vti eo ipſo momento celerrimam celocem quãplurimis remis inſtrueret, quæ aduenas pulſos quam citiſſimè reuocaret, qui cum adueniſſent omnino inducerentur, ne ſexaginta aureos reijcerent. volebat enim, quod poſtea fecit, inſculpere marmori, ſe ædium noſtrarum pretium exoluiſſe, quod marmor ex ædium regione collocauit. Progubernator

igitur

igitur Patrem monebat & hortabatur, vti omnino nummos acceptaret, poſſe ſibi nimiam pertinaciam grande aliquod malum accerſire, verum reſtitit etiam tum; aſſerens ex cauſis ſæpius dictis minime decere nummos illos recipi, vnde ſibi omnino certum eſſe, quod non decebat conſtanter non pertinaciter refutare. Intulit Progubernator: ad Proregis igitur tribunal omnino te oportebit ire. quam denunciationem Pater ita lætus accepit, vt tamen aliquid humani metus ex eo, quod poterat euenire, ſubreperet.

P. Matthæus Ricius ad Proregis tribunal accerſitur.

Admiſſus eſt igitur in conſpectum à Prorege pro Tribunali conſidente, quod tribunal ſuâ maieſtate horrendum plurimis eſſe ſolet: comitabatur eum interpretis nomine, Sinenſis quidam, ſed plane Luſitani ſermonis imperitus: verum eo tempore nihil admodum interpretis indigebat, & potius in comitem ad aliquam pompam deducebat. Flexis igitur de more poplitibus, & procul aliquanto (quod ſupremis Magiſtratibus honoris cauſa fieri ſolet) Prorex Patrem ad ſe quam proxime ad ſolium ſuum accerſiuit, & alacri vultu verbisque beneuolis ſciſcitatus eſt, qua nam ex cauſa, reiectis nummis abſceſſerit, quos tanta beneuolentia illi obtulerat in itineris ſumptus aliquod adiumentum, quin etiam ex eo, quod ipſum ex itinere reuocarat intelligi poſſe, quam beneuolo fuerit in eum animo, qui eos manu propria offerre voluerit, neq; permiſerit indonatum abſcedere.

P. Matthæus Ricius denuò nummos reijcit.

P. Matthæus ad hæc ita reſpondit: ingentes ſe pro tam inſigni beneuolentia grates agere, verum ad nummos quod attinet ſe minimè indigere, nam ad ſuos in Patriam rediens ex itinere Socios, vel amicos reperiebat, à quibus omnia ſibi neceſſaria liberaliſſime ſuppeditabantur. Prorex vero; vt ut res ſit, inurbanum eſt Proregia munera refutare. Ad hæc P. Matthæus; cum me inquit expuleris ex ea ſede, in qua tot annos ſine cuiusq̃ offenſione vixeram, ac ſi nefarius homo fuiſſem,

minimè videtur æquum, vti tua munera recipiam, aut ea reijciens habear inurbanus. Ad hæc Prorex excanduit, & in pedes erectus vociferari cœpit inconditè; fierine poterit, aiebat, ut Prorex aliquid iubeat & minimè audiatur? inde ad interpretem conuerſus, totius mali cauſa inquit, eſt iſte ſycophanta, qui eum hæc ut faceret admonuit: imperauit deinde perturbatè ferreas afferri catenas, quæ in interpretis collum inijcerentur. Interpres conſternatus, facti inuidiam à ſe remouebat, aſſerens Patrem Matthæum dolore ſedis amiſſæ in hanc pertinaciam deueniſſe. Et idem aſſerebat ille, interpretem omnino culpa liberans, in ſeque recipiens. Tum intrepide monuit Proregem, ne excandeſceret abſque cauſa. Nam ſi ea erat in ſe beneuolentia, quam præferebat, eam non in nummulis aliquot patefaceret, ſed non cogendum ſe ad noua pericula in vaſtiſſimo mari ſine cauſa ſubeunda. Ac ſi fortaſſe minus illi arrideret in Proregis ſede ſibi cõcedere ſtationem, ſe aliò quo maxime libebat amandaret. Patris reſponſum non ſatis fuerat Prorex aſſecutus, Verum quidam Militũ Præfectus, qui ad latus eius ſtabat, genu flexo Patris ſententiã cum fide repetijt.

Prorex excandeſcit.

P. Matthæi animus intrepid⁹.

Ea re commotus ad clementiam Prorex, ita reſpondit: primam ſuam voluntatem minimè fuiſſe Sinenſi eum regno excludere, ſed alio amandare, quod ipſe noluiſſet. Petijt tum Pater, vti in Quamſi vel Quiamſi prouincias ire ſineretur. Verum Prorex ideo noluit, quod extra ſuam ditionem eſſent illæ prouinciæ, Sed in Cantonienſi prouincia eligeret vrbem, quæ maximè ſibi arrideret, excepta Proregum ſede Sciauquino, atque Prouinciç metropoli, quibus in vrbibus aduenas omnino non decebat commorari. Elegit Pater Nanhium vrbem Quianſinenſi Prouinciæ cõterminam. Non abnuit Prorex, ſed ſuaſit tamen vti prius in Nanhoa cænobium, de quo ſupra, concederet, & inde in vrbem Xauceanam, tum ſi ea loca minus arriderent, Nanhiuni conſiſteret. Gratijs ex more Si-

P. Matthæus animum Proregis placat, aliamque ſedem impetrat.

re Sinenſi actis, fronte in ſolum vſque demiſſa, Proregem Pater omnino placauit. Nam is lætus euentu, librorum faſciculum adferri iuſſit, eoq́; Patrem in teſtimonium beneuolentiæ donauit. Hi libri bella in Pyratam geſta, aliosq́; tumultus ſedatos à ſe continebant. Forte fortuna aderat Gubernatoris Xauceani Aſſeſſor, qui ad ſalutandum Proregem aduenerat. Huic Prorex ipſe Socios commendauit, quos eò ab ſe miſſos aſſerebat.

Sciauquinus porro Progubernator, lætus hoc euentu, Socios videlicet in Sinenſi regno retineri, & in Xauceanam vrbem amandari, humaniſſime diplomatibus inſtructos, in nauigia impoſuit, & Xauceum amandauit. Quin etiã ipſe Xauceano Progubernatori commendauit, & ad eum P. Matthæum introduxit. Quo viſo obſtupuit, & impedito ſermone tacuit aliquantùm, tum, vbi ſe collegit, Sciauchino Gubernatori hęc fere verba dixit: Quid hoc rei eſt? Ego enim hac ipſa nocte p ſpeciē mihi obiectã videre viſus ſum Deos aliquos peregrinos, quales in aris noſtris videri non ſolent. plane Viſum illud hos ipſos aduenas Sacerdotes voluit deſignare: deinde ad Patrem conuerſus, vrbaniſſimè illum compellauit, & quoties res tulit, rebus noſtris in vrbe Xauceana poſtea ex animo ſemper fauit. nam præter cætera, quoties ad ſuum tribunal itabãt, itabant autem non infrequentes, ijs è domo ſua cibum in eam diem ſubminiſtrabat, & tum quidem voluit eos proprio nauigio vehere, verum quoniam alterum Sciauchini diem ſeſe Patres tenuerunt, vt aureos ſexaginta neceſſariumq́; diploma reciperent, neq; ille abitum differre poſſet, præceſſit, & die vno alterouе prius appulit, quam Patres exſcenderent. Viſio Gubernatori Xauceano obiecta nocturna.

Expeditis ex animi ſententia omnibus, vrbanos Magiſtratus omnes P. Matthæus viſitauit, quin etiam ipſum Proregem denuo conuenit, gratiam habiturus nouis beneficijs, à quo exceptus fuit perhumaniter, addiditq́; vti lubentes abirent, ſe

Xauceano Gubernatori ſerio eos commendaſſe, ac etiam imperaſſe, vti de commodo loco prouideret, & ſedulo procuraret, ne quis illis moleſtiam inferre auderet.

Dixi ſuperius apud Neophytos, qui nouam Patribus Proregis voluntatem gratulabantur, è domeſtica ſupellectile nonnulla remanſiſſe. eos abeuntibus Socijs, ęmuli detulerant, quaſi eas res ſubduxiſſent, & Progubernator omnia exſcribi voluit, & in Archiuio ſuo aſſeruari ſupellectilis ſeriem, ne quid forte periret, aut Neophytis calumnia ingereretur. Ea igitur omnia cum fide reſtituta. Sciauchino igitur Aſſumptæ Virgini ſacro die diſceſſerunt, anno humanæ ſalutis 1589. & in Sauceanam vrbem proram obuertentes, in eum locum peruenerunt, vbi fluuius Sauceanus è Borea fluens in magnum ſeſe flumen immittit, Is locus Sanceui vocatur, ac ſi tres aquas apelles. ibi nauigia mutari mos eſt alio modo fabricata, vt aduerſo flumine nauigari poſſit.

Socij Sciauchino diſcedunt.

In hac nauigiorum permutatione, Socij Viſitatorem, Amacai tunc commorantem, de rei totius euentu per litteras erudierunt.

Toto hoc itinere nullam omnino moleſtiam à quoquam pertulerunt, ſed tamen in celoce quadam militari, metus fuit, quæ neque diurnis neq; nocturnis horis à Sociorum nauigio diſcedebat, eam enim omnes pyraticam arbitrabantur: verum vbi Xauceum appulerunt, certo conſtitit, eam à ſummo maris Prefecto è Cantonienſi metropoli miſſam, vt noſtros mandato Proregis eo vſque comitarentur, donec ipſi exſcenderent.

Nanhoa ad fanum Socij perueniunt.

Octiduum ad Boream ab Socijs nauigatur, peruentumq; eum ad locum, unde breui tractu in fanum Nanhoa peruenitur, ibi præſtolabatur Sociorum aduentum Xauceani Progubernatoris famulus, cui datum erat in mandatis, vti eos in fanum illud deduceret, & ſupellectili ſuæ locum accommodatum

tum dari imperaret: verum Socij quibus in animo erat, non in ſuburbano aliquo fano, ſed in vrbibus ipſis ad Euangelij propagationem commorari, ſupellectilem ſuam nauigio educere detrectarunt, aſſerentes, ſe prius Progubernatorem velle conuenire, arridere ſibi tamen, ſi locum fama celebrem videre liceret. eo igitur pergentes, cænobium repererunt in inſigni planitie, cincta vndique collibus amænis, quos ſupra naturæ honores, ars arboribus frugiferis ita veſtierat, vt nihil æquè oculis blandiri poſſe videretur, maximè quod eas cæli clementia ab hyemis nudæ folijs interitu vindicaret: ipſa porro planities orizam, aliaq; legumina conſita educebat, riuuli perennis maxime beneficio, qui mediam planitiem irrigabat: in colle quodam præ cęteris amæno, quem fons aquæ potabilis eximia magnitudine totũ rigat, fanum illud, moles pergrandis viſebatur, iuxta illud Cænobium, in quo mille Idolorum ſacrificulos huius agri Dominos, beneficio & impia pietate maiorum, commorari ferunt. Id originem habuit à viro quodam annis retro plus minus octingentis, quem Lusù vocant. hîc eum ferunt, magna ſanctimoniæ opinione floruiſſe, quam illi conciliauit aſperrima vitæ ratio, hunc enim narrant æterna catena ſupra nudam carnem cinctum, orizam cribare ſolitum, & de more conterere leuiter, quantum cænobijs mille ſufficeret in victum quotidianum. ex ea catena caro computruerat vſque adeo, vti vermes ex ea ſcaturirent, è quibus, ſi aliquis fortaſſe in terram decideret, ab eo reponebatur, dicente, an tibi deeſt quod rodas, quid fugere in mentem venit? in eo igitur loco cadauer illius aſſeruatur, & ei colendo celebre illud fanum eſt erectum, quo ex vniuerſo regno à peregrinantibus concurritur. nam vbiq; ipſe resq; eius omnes in magna veneratione habentur. hi dæmonum miniſtelli in duodecim diuiſi ſunt ſtationes, & vnicuiq; præfectus eſt deſignatus, præter eum, qui toti cænobio cum ſumma poteſtate præeſt.

Cænobiũ perantiquũ, eiusque origo ab antiquo Cænobita.

Eo igitur cum Socij peruenerunt, auditumq́; fuit, eos à Prorege mitti, vt ibi ſedem figerent (quoniam P. Matthęi Ricij fama iam eo peruenerat) arbitrati ſunt eum Archimandritam deſignatum, vt diſſolutos eorũ mores ad cænobiticę vitæ normam reformaret: ita enim vulgo viuebant eorum plerią;, vt non ſolum meretricijs eſſent moribus implicati, & prolibus abundarent, verum, quod atrocius eſt, non pauci latrocinijs vias infeſtabant. Sunt porro omnes toto regno Idolorum ſacrificuli ſub Magiſtratuum poteſtate, non ſecus atque alius quilibet è populo, ideo fortaſſe quod litteratorum ſecta, idola non colat, nec eorũ myſtas pro ſuis agnoſcant. Concilio igitur cõmunicato inter Superiores ſtatuerũt, nullũ Patri locum demõſtrare, qui quidẽ incoli poſſe videretur, nihilo tamẽ min⁹ ſolita Sinarum diſſimulatione omnes Patri obuiam proceſſere, ſuis ſacrificiorum veſtibus inſignes, & magnam ex eius aduentu alacritatem ſeſe accipere prætulerunt, & officioſe fanum vniuerſum in eius obſequia detulerũt. exceptus eſt porro P. Matthæus in eo palatio ac ſtatione, vbi grauiſſimos Magiſtratus, ſi quando eo deuenerint, excipi mos eſt, & ſolemni epulo aduentus illius primo die celebratus, præcipua deinde fani loca demonſtrata. Erat illud idolis prægrandibus fere plenum. ea ex ære ac reliquo metallo conflata, vel è ligno cõſtructa erant, & auro pereleganter infecta. & quidem in vna ſtatione ad quingenta numerabantur. non paucę turres etiam, & in turribus æra campana videbantur. & quidem ex ijs vnum è fuſili metallo tale erat, quale Socij nullum in Europa ſe vidiſſe meminerant.

Sacrificulorũ huius cœnobij mores impij.

Socij à ſacrificulis excipiuntur cũ pompa.

Ipſius quoque Cœnobitæ Lusù oſtenſum corpus, bitumine illo Sinarum pellucido intinctum: multi negant idem eſſe cadauer, ſed tamen vulgo pro eo habetur, & incredibili veneratione aſſeruatur. in medio quippe fano locus eminet, ad quem eleganti ſcala conſcenditur, eo in loco quinquaginta

fere

fere lampades appenſę, ſed non ardebant omnes niſi diebus conſtitutis.

Hæc Socii ſpectabant, ſed ipſi quoque ſpectabantur. porro nihil cænobitis illis inſolens æque viſum, quam nullum à Socijs cultum ſuis idolis exhiberi. Nam Sinæ, tametſi nullam idolis fidem adhibeant, non tamen repugnant, aut impium arbitrantur coram ijs inclinari. Inter Socios ac Cænobitarum Superiores non male conuenit, nam ij verebantur, ne loci amœnitas noſtris nimis arrideret; noſtri vero ita venerant, vt omnia ſibi certum eſſet refutare. cum igitur ad collis pedem deueniſſent, in quo multis ædibus frequens oppidum viſebatur, aſſeruerunt, ſe ſi quidem ibi ſedem figere vellent, in oppido potius quam in Cænobio commoraturos.

Deniq; in Xauceanã vrbem noſtri ingreſſuri P. Almeida, nauim ſarcinis in eam impoſitis cõſcendit, P. verò Matthæus, itinere terreſtri, quod erat compendioſius, in ciuitatem cum Progubernatoris famulo contendit, eosq; comitatus eſt Supremus Cænobij Archimandrita, vna cum Socijs duobus vel honoris cauſa, vel ut ex Progubernatore ſciret, quę Proregis eſſent in hac re mandata.

In ciuitatem ubi deuentum, Progubernator inuiſitur. P. Matthæus retulit, nulla ratione fanum illud accommodatum ſibi videri. nam & aberat ab vrbe, Litteratis, ac Magiſtratibus quibuscum uti cum ſimilibus viuere ſoliti eſſent: eos quoque cænobitas, fama erat, homines eſſe nefarios, apud quos conſiſtere minus tutum arbitrabatur. addidit præterea lege ipſa ac legis voluminibus toto cœlo differre, nec idola, ſed vnum cœli ac terræ Dominum venerari. Adhæc obſtupuit Progubernator. in animum enim ſibi plane induxerat, nullam toto terrarum orbe legem aliam, nullos plane characteres eſſe, niſi quibus China uteretur, idque ita tenaciter tuebatur, ut perſuaderi ſibi contrarium nullo modo pateretur, donec P. Matthæus

Xauxeum vrbem ingrediũtur & Progubernatorẽ inuiſunt.

chæus è manica diurnas preces eduxit, dixitq́;, has eſſe noſtras vel preces vel litteras. qua re conuictus manus dedit; inter hæc Archimandrita comes ſuperuenit, & eadem ſuo quoque calculo confirmauit, aſſerens P. Matthæum pridie, cum per omnia idolorum puluinaria curſaret, nulli, ne ipſi quidem Luſù, cultũ vllum exhibuiſſe. Ad extremum, Progubernator in Patris quoque ſententiam venit, olim ab Sinis nullum idolorum fuiſſe cultum: eam ſectam in poſteriora ſæcula ſe irrupiſſe; cui Archimandrita non ſolum reſiſtere nõ eſt auſus, ſed aſſeruit etiam plus quam peteretur: idola nimirum nullo cultu digna eſſe, ſed à Superiorum temporum Magiſtris animaduerſum fuiſſe, Religionem à vulgo ſine ſimulacris conſeruari non poſſe, ideoque has icones colendas protuliſſe. His ab Archimandrita ſane acute dictis, ſtatuit Progubernator, noſtris aliam in vrbe ſedem exquirendam; quod vbi ſenſerunt Socij, maluerunt præſenti fauore, res adhuc in dubio poſitas ſtabilire, quam de ciuitate Nanhiun incolenda ſermonẽ ingerere. Interim Progubernatoris hortatu noſtri, vrbanos omnes Magiſtratus viſitarunt, à quibus in humanitate Sciauchino profecti ſuperati ſunt, vel ideo quod Progubernatorem ita cupere intelligerent, vel fortaſſe quod Sinenſium rituum ac ſermonis peritiores noſtri iam ſeipſos ſuperabant.

Situs vrbis Xauceanæ.

Interim vero dum extruendis ædibus locus eligitur, in aliud fanum, cui Quamhiao nomen eſt, ex altera fluminis ad occaſum ripa iuſſi ſunt ſe ſuaq́; conferre. Vrbs Xauceana viſitur inter duo flumina nauigari ſolita, quæ hîc in vnum confluunt. alterum quod Nanhiun vrbem ab ortu alluit; alterum quod ex Vquam Prouincia mittitur, ſpectat vrbẽ in occaſum. Vrbana vero mœnia & ciuium ædes in medio agro, quem flumina relinquunt, extruuntur. vnde fit, vt non nimis late pateant, & ad reliquas ædes agrum in altera fluminis ripa vtrinque quærant, ex eo vero, quod occidua ripa frequentius habitatur,

tatur, pons eſt è nauigijs inter ſe colligatis: numerat illa vrbs ad quinque familiarum millia, & ferax eſt inprimis orizæ ac pomorum, piſcis etiam carnium atque olerum. verum inſalubrior eſt aer, ac cælum inclementius; nam quotannis ab Octobre medio in Decembrem tertia fere vel quarta pars incolarum tertiana febri corripitur, è quibus morbi vis multos abripit, ſuperſtites autem pallore ſuo periculum diu teſtantur. Nec benignius cælum eſt illud aduenis, quam incolis; ſæpè enim, qui eò ad conficienda negotia veniunt, paucis diebus conficiuntur. Cæli inclementia.

E regione fani ſupra memorati, campus erat ingens, & habitatoribus deſtitutus, neque noſtris vſibus incommodus. eum vt noſtri peterent à Progubernatore, eiuſdem Curiales Socijs auctores fuerunt: erat enim ager è cænobij bonis, atque ita in Magiſtratuum poteſtate. ergo poſtridie, cum in fanum veniſſet noſtros viſitaturus, & de ſedis area collaturus, hunc ei campum demonſtrarunt, quod mire Progubernatori arriſit, tametſi eius templi Superiores, & incolæ multa cauſati ſint, ne poſſeſſione ſua exturbarentur, aut alienæ legis præcones nimis vicinos haberent, ſed eorum tergiuerſatio parum nocuit: Progubernator enim ad Proregem libello retulit, Sacerdotes aduenas in fano Nanhoa commorari noluiſſe, & petere vacuum agrum è regione Xauceani fani, quod eſt in agro ſuburbano ab occaſu fluminis atque ciuitatis. interim dum reſponſum expectatur, voluit Progubernator, vti res ſine cuiuſquam iniuria tranſigeretur, & à noſtris ager ille emeretur tanti, quanti arbitrarētur vicorum eius regionis ſuburbanę præfecti, quorum ea fuit maleuolentia, ut quod aureis octo decemue comparari poterat, octoginta & plures exigerent: nimirum ab impijs illis ſacrificulis corrupti, & pretij parte, quam inter ſe diuiderent promiſſa. Locus ad habitandum deligitur.

Interim aduenarum Sacerdotum fama ex vrbe primores

omnes euocauit, quos vrbaniores omnino quam Xauchianos repererunt, atque ita cum varijs amicitias contraxerunt: Verum ex nimio viſitantium concurſu & ſuperioribus moleſtijs, cum in feſti temporis dies aduenifſent, uterq; in lethalem morbum inciderunt, omni prope obſequio & ad propulſandam ægritudinem auxilio deſtituti: Verum cum ad mortem comparati de exitu ac laborum fine cogitarent, Dei plane nutu ad reſtituendam expeditionem apud Sinas Chriſtianam, præter ſpem reſeruantur, ac tandem nullo alio, niſi quod è cælo acceperunt, malorum remedio conualeſcunt, quo tempore Proregis ſententia delata eſt, qua locus ille noſtris attribuebatur: atque ita Progubernator agrum illis tradidit ſuis diplomatis & auctoritate munitum. Deinde cum è præterita ægritudine vires collegiſſent, ædium ædificium inchoarunt, nullo profanis cænobitis dato pretio, quod in eo exigendo rationis ac iuſtitiæ limites exceſſiſſent.

Socij à graui morbo liberãtur.

Amacai Patres reuocatos auditur. Viſitator ad rem Sinicam ſtabiliendam accingitur.

CAPVT SECVNDVM.

AMacaenſis Collegij Socij, quod ſupra narraui, acceptis à P. Matthæo è Metropoli litteris intellexerant, noſtros Sciauchino pulſos, intra biduum triduumue adfuturos, atque ita ut tot fatigatos moleſtijs ac laboribus, religioſe recrearent, cubicula lectosq; ipſos inſtruxerant, & eos in diem præſtolabantur. repertus eſt tamen ex omni numero Sacerdos vnus P. Ferdinandus Martinez Luſitanus, vir conſtanti ſanctimoniæ fama, & qui rem Sinicam peculiari amore complectebatur, ac Socios eius vineæ cultores, quibus poterat modis adiuuabat, is conſtanter aſſeuerabat (quicquid alij dicerent aut ſentirent de Socijs Sciauchino pulſis) fieri non poſſe, ut Amacaum

Amacai fama ſpargitur Socios Sciauchino pulſos.

cam illi reuerterentur; quin etiam, P. Franciſco ſciſcitanti cauſam, cur non aduenirent, reſpondit: itáne tu etiam cum reliquis incredulus eſſe vis? P. Matthęum nunc quidem minime videbitis, quare ſtupore interrogantem affecit, nihil iam dubium, quin ille certi aliquid diuinitus didiciſſet.

Superior vt eam rem elucidaret, famulum domeſticum cum litteris miſit: qui noſtris prius Sciauchini fuerat famulatus, is in Metropolim, imo Sciauchinum vſque conceſſit, nec de Patribus aliud ſcire potuit, quam à Prorege pulſos Metropolim verſus nauigaſſe. Nec toto itinere quicquam aliud inueſtigans eſt aſſecutus, atque ita re infecta repetit Amacaum: ea res ſuſpenſos Patres reddere incæpit, veritos ne quid ijs illatum mali vel caſu vel maleuolentia fuiſſet. ergo alium ſolertiorem mittunt, iubentq; ne Amacaum redeat, niſi cum ipſis Patribus aut certis nuncijs. is cum Sciauchinum quoque appuliſſet, nihil aliud potuit expiſcari. cum itaq; ſollicitè ubiq; & ab omnibus exquireret, forte aut potius Dei nutu incidit in illum ipſum nauarchum, qui pulſos in Metropolim & reuocatos Sciauquinum, ac deinde Xauceum vexerat. Is non ſolum certa de Socijs retulit, ſed quas acceperat litteras à Patribus mittendas Amacaum illi tradidit, quibus acceptis voti compos, eo unde venerat, eſt reuerſus. Famuli mittũtur Sciauchinum inueſtigatum de Socijs.

Amacaenſes, vbi per litteras intellexerunt, Socios nouæ ſtationis apud Sinas eſſe reſtitutos, in gratulationes & gratiarum actiones ſe ſe effuderunt. Viſitator porrò per certum hominem paternis litteris Socios ſolatus, eos ad nouos labores nouis animis inflammauit, monuitque, vti omnino quolibet poſſent modo ſuam alibi ſtationem ſtabilirent, neq; illam intermitterent, cuius iam in Europam fama ad Pontificem Maximum, & Hiſpaniæ Regem, ac reliquum orbem Chriſtianum nauigaret, quorum omnium expectationem oportebat, quatenus fieri poſſet, minimè fallere: ſibi enim videri ex Di- Viſitator Socios de noua ſtatione acquiſita, ſolatus.

uinarum rerũ conſuetudine poſt Sciauchinos labores ac ſterilitatem, quietem impoſterum & copiam ſucceſſura.

P. Viſitator Socios auxiliares deſtinat.

Non ita multo poſt, Viſitator noſter, ad Sociorum auxilium adoleſcentes duos in ſcholis noſtris Amacaenſibus educatos, magna eorum voluntate ſubmiſit. Nomen vni Sebaſtianus Fernandus, qui etiamnum ſuperſtes eſt; alteri Franciſcus Martinez, de cuius felici exitu prope in cauſa fidei pluribus infra; ij poſt paululum in Sociorum numerum cooptati, probationis annos & exercitia in vrbe Xauceana Sinenſium Religioſorum in Societate noſtra primitiæ, peregerunt. Ab his adiuti noſtri deinde ſtrenuè, multiq; labores exantlati, vti ſequẽs narratio docebit. Idem Viſitator Sacerdotes Europæos ex India duos exciuit, Luſitanum vtrumq;, qui Amacai Sinenſium characterum ſtudijs intenti, aquæ motum, id eſt, diuinæ clementiæ Sinæ rei fauentis auram propitiam prẹſtolarentur, hi deinde poſt annos aliquot in ſuam meſſem ingreſſi, ſtrenuè deſudarunt, quos oportuniore loco nominabo. Rem vero familiarẽ idem Viſitator ea liberalitate laxauit, ut ad res neceſſarias iam nihil noſtris deeſſe videretur. Interea Patres ædificio extruendo inſtabant, & ob incommoda, quæ in fano patiebantur, opus urgebant. verum ne darent obloquendi cauſam, aut occaſionem Magiſtratibus præberent, in ædibus noſtris conuiuia inſtruendi, quod in reliquis cænobijs ſolent factitare, ideo in hac extruenda ab altera contignatione abſtinuerunt, & fere ad Sinarum morẽ ædificium compoſuerũt: ædem tamen ædibus contiguam maiorem & meliorẽ in formam redegerunt; ſperabant enim ſe plures iſtic Neophytos breui conſcripturos: ab Interprete quoq; domi retinendo abſtinuerunt, quod ab ijs parum fideliter Socij obſeruarentur, & foras deferrentur, à quibus etiam negotia omnia docuerat vſus perturbari.

His alijsq; ſimilibus, quæ præteritorũ vſus docuerat, aptius con-

concinnatis, breui Patres eo deuenerunt, vt nihil è Sciauchino diſceſſu perdidiſſe, multum etiam ſe lucratos eſſe gauderent, qua in re viderunt præteritos labores ac moleſtias à Deo ipſo ad maiorem nominis ſui gloriam, & expeditionis Chriſtianæ bonum eſſe procuratas. Interim Viſitator noſter ſeſe ad Iaponenſem nauigationem, vna cum Legatis Iaponijs reducibus ex Europa accingebat: nam Chriſtiana res ibi perturbata, ex Imperatoris perſecutione præſentiam illius exigebat: is enim Imperator, Cambaco dicebatur, concepta in rem Chriſtianam, & inde in noſtros indignatione, tota Iaponia omnes proſcribebat, ereptis ædibus, dirutis templis, furebat; quæ omnia in Iaponiam Viſitatorem euocabant. Amacaenſi diſcedens Collegio præfecit P. Eduardum, eò maxime quod rerum Sinenſium vſu valeret, & eam miſſionem, cuius adhuc ijs temporibus gubernatio ad Amacaenſem Rectorem pertinebat, apte gubernare, deq; neceſſarijs prouidere, vel eam promouere præ cæteris unus poſſe videbatur.

Perſecutio Iaponica.

Nobilis Magiſtratûs filius, Chiutaisò nomine, Xaucei ſe P. Matthæi diſcipulum profitetur, & cum eo in vicinam Vrbem à Patre excurritur.

CAPVT TERTIVM.

CHIVTAISÒ ſæpè infra nominandus, filius erat vnius è ſecundo Magiſtratuum ordine, Scianſciu vocant, è ciuitate Sciceu oriundus, & ipſe quoq; litteratus: eius Parens non ſola dignitate celebris fuit, ſed etiam quod in Doctorum examine inter trecentos, qui renunciari ſolent tertio quoq; anno primum locum tenuiſſet, quod in hoc regno non honorem ſolum affert, ſed magnam etiam in Republica dignitatem. Is deinde ingenij bonitate ac vitæ integritate ad ſummam inter totius regni litteratos peruenit opinionem, eiusq; libri ab omnibus,

nibus non ſine admiratione legebantur. Hic eius filius, de quo agimus, cæteros quoq; fratres ſuos ingenio ſuperabat, ac ſi ſtudiorum curſum conſtanter tenuiſſet, nihil dubium, quin ſumma omnia fuiſſet conſecutus, ſed in ipſo iuuentutis flore, cum iam patrium frænum morte illius excuſiſſet, impijs contubernijs diſſolutus, in varia ſe vitiorum præcipitia coniecit, atque inter cæteros animi morbos, Alchimiſtica inſania correptus, patriam hæreditatem ſanè opimam, ignis ipſis quibus conflandas opes ſperabat, abſumendam dedit, atq; ita inopiam in patria non ferens, vna cum coniuge, ac ſeruis vagari toto regno cæpit; parentis amicos quaquauerſus inuiſurus; à quibus grata illius memoria inductis munera colligebat: alij quoque, vt ab amicis Magiſtratibus, quod ſperabant, illius fauore, impetrarent, largitionibus eum ſollicitabant, & inopia quæ fere pudorem excutit, illum ab ijs ſuſcipiẽdis minime deterrebat. Hic vitæ ſuſtinendæ modus apud Sinas à nonnullis adhibetur, non ſine iuris ac iuſtitiæ detrimento.

Nobilis quidã prædiuitis & litterati cuiusdam viri filius, decocto patrimonio ad frugem redit.

Profectus igitur Sciauchinũ ad Proregem & Linſitau: amicum illum; hunc ciuem ſuum, ſummos vtrumq; Magiſtratus, verum ab ijs frigidè exceptus eſt. Sciauchini igitur primum in noſtros incidit, ſed cum ijs temporibus de noſtris pellendis ageretur, minus frequens congreſſus fuit. verum audito eos nunc Xaucei ſedem fixiſſe, ad eos in fanum, quod dixi ſe contulit, & Progubernatoris fauore in eodem cænobio cellam unam impetrauit, vt commodius cum Socijs verſaretur.

Quodam igitur die ſolenni apparatu, è Sinenſi conſuetudine, & donis pretioſis inſtructus, ad P. Matthæum eo conſilio acceſſit, vt eum patrio ritu eligeret in Magiſtrum. id ita fieri ſolet, ut libro primo, cum de ritibus ageremus, dictũ eſt. die inſequenti in cellam ſuam inuitatum epulo excepit, nec quicquam horum reijcere Patri fuit integrum, ne ipſum quidem munus, quod è ſericis fere pannis conſtabat, verum illud

Vir nobilis cõſuetudinem cũ noſtris init, & varias diſcipli nas perdiſcit.

Europæis

Europæis rebus egregiè compenſatum ideo, ne arbitraretur Socios cupiditate illectos ad homines docendos accedere. Prima eius vota, tametſi ſub initium ſedulo occultarit, in Alchimiam ferebantur. Hæc enim opinio, argenti conflandi, de Socijs, nondum erat penitus ex animis hominum excuſſa; ille verò ex quotidiano cum noſtris uſu, ab hoc errore ſenſim liberatus, ad ſublimiores ſcientias animum applicuit & utiliores. ab Arithmetica ſumpſit initium, quæ Sinenſem longe ſuperat facilitate ac methodo; nam illa tota conſiſtit in ligneo quodam inſtrumento, in quo globuli filis æreis per ordinem inducti, huc illúcue ad conficiendos numeros permutantur. quæ res tametſi re vera certa eſt, errori tamen facilè obnoxia, & ad paucas latiſſimæ ſcientiæ ſpecies coarctata. Audiuit deinde Chriſtophori Clauij ſphæram, & Euclidis elementa, quæ dumtaxat primo libro continentur. ſub finem, Sciothericas figuras pingere ad horarum diſcrimina prope omnis generis didicit, & rationem rerum altitudines, ex Geometricis præcepti metiendi ſibi comparauit. Et quoniam, vt dixi, valebat ingenio, & in ſcribendo erat exercitatus, hæc omnia in Commentarios polito ſermone retulit, quos cum Magiſtratibus amicis ſuis oſtenderet, vix credi poteſt, quantam vel ſibi, vel Socijs à quibus ſe omnia hauſiſſe fatebatur, opinionem deinde cōpararit, quæ enim q̄ didicerat, nouitate ſua Sinas omnes in ſtuporem rapiebant, vnde ipſe dicendo ſatiari nullo modo poſſe videbatur. nam dies noctesq́; audita repetebat, aut commentarios ſuos figuris Mathematicis ita polite exornabat, ut Europæis non eſſent ulla in parte inferiores. inſtrumenta quoque varia ipſe confecit, ſphæras, aſtrolabia, quadrantes, magnetis pixides, ſciothericas machinas, & alia eiuſmodi magna cum venuſtate; nec operi materia cedebat, nam ligneis æreisq́; minimè contentus, argentea plura confecit.

Arithmetica Sinēſis, in quo conſiſtat.

Vir nobilis ſibi & Socijs per Mathematicas diſciplinas opinionem conciliauit.

Verum hunc omnem laborem à P. Matthæo non malè collocatum

locatum, docuit poſtea euentus: Sciebatur enim à multis eum virum nobilem, qui cæterorum Magiſterium affectaret, diſcipulum aduenæ Sacerdotis effectum, maximè, quod ipſe res Europæas omnes, ſiue legem, ſiue ſcientias celebraret, nec Xaucei ſolum regni prope Sinenſis in angulo, ſed quocumq; eum fortuna vagum deferebat, nullum ijs de rebus loquendi, nullum laudandi finem faciebat.

In re Christiana inſtituitur.

Ad rem porro Chriſtianam quod attinet, quo maximè noſtri collineabant, nullo non die de ea tractabatur, verum id ut melius faceret, lectiones prophanæ per dies aliquot fuerunt intermiſſę, quibus eo volente ex profeſſo de ijs actitatum. Et ut videas, quam ſerio Sinæ res eas tractent, operæ pretium eſt audire, quod ſequitur. Retulerat in cõmentarium quidquid ſuperioribus colloquijs contra legem Chriſtianam dubij occurrerat, & vacua ad exſcribendas reſponſiones ſpatia omiſerat, idque ita appoſite, vt P. Matthæus iure ſtupuerit. ijs enim commentarijs, præcipuæ Theologorum difficultates ac nodi ſtringebantur: verum ſtupor reciprocus fuit: nam vbi diſſolutos nodos ſuos omnes vidit, è quibus quoſdam ne ſolui quidem putauerat, dubitabat quid magis admiraretur, an in rebus difficillimis reſponſorum firmitatem, an eorundem claritatem. ergo conuictus, veritati tum quidem manus dedit, ſed in Chriſti gregem, quod optabat, admiſſus non fuit. ideo quod legitima coniuge mortua, pellicem induxiſſet, quam & dimittere, quod filijs careret, & connubio ſibi iungere, quod impar eſſet ſanguine, omnino recuſaret. ergo dilatus eſt eius Baptiſmus, dum quantum lucis ad cognoſcendam veritatem habuerat, tantum virium ad amplectendam haberet. ſed non ſublatus tamen, nam poſt annos aliquot, cum duos ex ea filios ſuſcepiſſet, non dubitauit fœcunditatem ſanguini præponere, & filiorum ſuorum matrem legitimam coniugem appellare.

Vir, nobilis Baptiſmus differtur.

Huius

Huius noui diſcipuli opera, arctam cum militari quodam Præfecto è ſummis, Pimpithau Sinæ vocant, Socij neceſſitudinem contraxerunt, nec non cum Xauceanæ Regionis gubernatore, ciue ſuo, qui recens aduenerat, eandem cum eius aſſeſſoribus, & proprio vrbis Gubernatore inchoarunt, ſed & vrbanos fines egreſſi, cũ Nanhiunò item Gubernatore, quem ipſe olim domeſtici Ludi magiſtrum habuerat, familiaritatem inierunt, quibus maximè patronis res noſtræ proſperæ creſcebant, aduerſæ protegebantur. Vrbs eſt vicina, cui nomen Intè eſt, eius Gubernator præ cæteris amicus noſtris eſſe voluit, quoties eum in Regionis Metropolim venire contingebat, magno apparatu & longo ſatellitio ex more Magiſtratuum viſendus ad noſtros accedebat, & ſæpius vt in ſuam ditionem excurrerent, quæ triduo quatriduoque aberat, humaniſſimè inuitauit; verum cauſabantur noſtri Proregis in nos parum propenſi voluntatem, cuius auctoritate in Xauceanos fines ſeſe receperant. eo igitur Prouinciam regente, non videri ſibi pedem inde efferendum, ſed tamen vicit importunitas, vbi ſeſe neceſſitati adiunxit. nam ſolito vrbanius cum ad noſtros acceſſiſſet, inſtitit vti ſaltem ad parentem ſuum, qui duos ſupra ſeptuaginta ætatis annos numerabat, viſendum inſtruendumq; nauigare, ne grauarentur.

Socij familiaritatem cũ viris primarijs contrahunt.

Vt vero perſuaderet, rem addidit ſanè admirandam, & in qua electionis diuinæ vis ad ſtuporem colligi poteſt. Nam huic ſeni, cum puer eſſet, coniectator quidam dixerat, ſe cum ad ſexageſimum ætatis annum perueniret, vxorem aliam ducturum: anno vero ſeptuageſimo ſecundo, ei aduenam quendam occurſurum, in quo ſita eſſet felicitas eius vniuerſa. Vna igitur vxore contentus vixerat ad annum vſq; ſexageſimum, defuncta igitur vxore, ſecundas nuptias inijt, & vna cum filio vrbem gubernaturo in has regiones, vbi deuenit, ipſo videlicet anno ſeptuageſimo ſecundo, aduenæ Sacerdotis famam

Prædictio admiranda.

ita ſenſit celebrari, nihil ut dubitarit illum ipſum eſſe, qui à cõiectatore prædictus in manibus ſuis haberet ſortes ſuas. ideo filio etiam atque etiam commendarat, uti efficeret omnino, ne ad ſe Sacerdos aduena venire grauaretur, quoniam ipſe nõ per ætatem ſolum, ſed per regni leges, quo tempore filius gubernabat, intra ipſius palatij fines claudebatur, de quo, memoriam appello eorum, quæ primo libro leguntur.

P. Matthæus Ricius ſenem quendam virũ primarium in Chriſtiana fide inſtruit.

Hic P. Matthæus nihil vltra reſiſtendum ratus, in Domino exultauit, oblatam ſibi occaſionem ſenem illum fortaſſe ad Chriſtum aggregandi. Cum igitur annuiſſet, prçire voluit interim Gubernator, ne diutius cupidum parentem expectatione ſuſpenderet. inde ornatiſſimũ nauigium expedit, quali Magiſtratus vehi ſolent, ad Patrem noſtrum excipiendum, vna cum neceſſarijs ad iter ſumptibus. adiunxit è noſtris ſibi vnum, & ipſe quoq; Chiutaiſo eſt comitatus, ne incepta cum Magiſtro ſtudia intermitteret: excepti ſunt in idolorum fano in cellulis, in eum finem præparatis, concurrente ad ſpectaculum ciuitate prope vniuerſa. Ibidem maiore apparatu quam Xaucei, non hæc erat propriæ ditionis ſedes, noſtri ab eo viſitati, ac epulo ſolemniter excepti, poſtridie viſitationis officium P. Matthæus rependit in vrbani Gubernatoris Palatio. ibi in Senem incidit venerabilem illum atque perhumanum, à quo noſter exceptus eſt ut è cælo ad felicitatem ſuam lapſus, neque palatio intra triduum egredi permiſit, quo tempore, cum ad rem ventum eſſet, vaticinium videlicet coniectatoris, ita reſpondit noſter: ſi quidem ille quicquam auguratus eſſet, id Deo ſcilicet inſpirante de ſanctiſſima lege noſtra dictum videri, quam ut euulgaret ipſe ex alio terrarum orbe nauigarat. quamobrem eam, ſi vellet amplecti, nullam aliam fælicitatem huic eſſe parem, & quoniam ſenex cupidum ſe illius audiendæ præſetulit, exponere cæpit Chriſtianæ legis arcana, qua re ita captus eſt, ut ſalutaribus aquis elui ex templo

plo potuiſſet, ſi eius voluntati obſecundare licite noſtri potuiſſent. Verum quod ille ſenex tunc omiſit, alias nunquam recuperauit, nam annos deinde natus octoginta in Nanhienſi Prouincia apud ſuos extremum ſine baptiſmo diem clauſit. Quanquã narratur eo tempore Deum inuocaſſe, & æream iconculam Chriſti Seruatoris, quam à Patre acceperat, cordi admouiſſe. faxit Deus, vti quæ audiuerat in his anguſtijs, gratia eius adiuuante prodeſſe potuerint.

Iam dies aliquot in vrbe ſubſtiterat, cum eum Gubernator animi cauſa ad cauernam amæniſſimam ſpectandam deducere voluit. ea intra vrbis fines ſita eſt, & Pelotum vocatur, quam fama celebrat, nec immerito. res eſt nata, non facta, medio in monte aqua plena, quæ ibi ſcaturit, abeſt enim à flumine leucam vnam, & piſce abundat: in eum locum vbi perueniſſent, deuenit quoque ſecundus vrbis Nanhiunæ aſſeſſor, ſed noua dignitate auctus. nam Prouincialis Viſitatoris nomine de vniuerſa regione illa inquirebat; quare Gubernator eum ſolemniter excepit epulo, quod in auroram vſque protractum eſt, non ſine cantu, & choreis, imo & comædia, quæ cum ipſo conuiuio finem accepit. Die porro inſequenti, cum eo ipſo Prouiſitatore Xauceum repetijt, nauigio illius exceptus. *Magiſtratuum fauores erga Patres.*

His maximè Magiſtratuum fauoribus res noſtræ creſcebant, nec ullus è Sciauchinis Magiſtratibus huc adueniebat, qui non Patres putaret ſibi viſitandos, quos inter maximè mouit admirationem quintus Proregis filius, & eiusdem nepos, qui illac tranſiere cum numeroſo militum comitatu. ij ab vrbanis Magiſtratibus officiose ſalutati, exſcendere ad vrbanitatem referendam neglexerunt, & tamen cum vniuerſo ſuo apparatu, magniſq; muneribꝰ ad viſendos noſtros exſcenderunt. Quo maximè factum eſt, ut Xauceani ciues intelligerent, noſtros inde dimiſſos non pulſos, quos viderent ab

ipſis Magiſtratibus & Proregia familia tanta ambitione coli, & humanitate viſitari.

Primus in Xauceana Sede labor, & P. Eduardi Rectoris in eam aduentus.

Caput Quartum.

PEr eos dies quietæ res noſtræ hactenus fuerant, beneuolētia potiſſimũ Gubernatoris noui, qui adnitente familiari noſtro Chiutaiſo edictum ſcripſerat ſanè graue, quo ſe noſtrorum Patronum ac defenſorem euulgabat, hoc edictum ſupra limen voluit legendum exponi. Verum eam quietem noluit Deus eſſe diuturnam, ut hæc naſcens Eccleſia laboribus fatigata radices ageret altiores. accidit enim per eos dies P. Almeidam Socium grauiter ac periculoſe cum ægritudine conflictari, adeò ut P. Matthęo viſum fuerit eum Amacaũ, alteri è fratribus noſtris commendatum remittere, atque tentare, ecquod in medicis pharmacis ac cibis noſtratibus, quorum præſidio carebat, remedium inueniret, quo dimiſſo etiam tentare voluit, an conſentiente Gubernatore poſſet ſolitudini ſuæ ſubuenire, alio ſocio euocato, tum uti per otium liceret ægro valetudinem, vireſq; colligere, tum & maxime, ut tertium in regnum immitteret. deſignabat enim iam alteram alibi ſedem, vt ſecuriorem noſtrorum redderet ſtationē, dum in vnius domicilij fortuna, non tota hæc expeditio conſiſteret; eam ad rem amicum diſcipulum adhibuit, vt ſi quando commodam cum eo loquendi occaſionem fuiſſet nactus, id à Gubernatore impetraret.

P. Almeida in morbum incidit grauem.

Vix dum abierat æger Socius, cũ ecce tibi procella, è Xauceanis prima deſæuijt. nam cum P. Matthæus ciuium animos eo igne, quem Chriſtus miſit in terris, vellet accendere, ſtatuit ſub anni redeuntis initium è Sinenſium faſtorum ratione, aliquid noui per feſtos populo dies proponere. Iconem habebat

habebat eximiam ex Hiſpania noua dono miſſam, de qua ſupra, ea domeſtici ſacelli anguſtijs hactenus clauſa, nondum populo patuerat vniuerſo. ergo in æde ſacra ſuper aram imaginibus, lucernis, ac cereis exornatam expoſuit, quæ res vel pie admodum, vel cum voluptate viſebatur, quod vbi in vulgus euulgatum eſt, concurſus undiq; fieri cæpti ſpectatoribus ſimul & admiratoribus. verum hanc feſtiuam ingrata vicinia alacritatem male remunerata eſt. nam nocturnis horis frequenti lapidatione tectum omne confregerunt: inde ſeſe in vicum abdente, stenebris tecti tamdiu latebant, donec egreſſi ad impediendam iniuriam noſtri, nemine comparente, ſeſe recepiſſent; tum enim intermiſſam lapidationem acrius repetebant. vnde famuli domeſtici, exploratis iam latebris ad eos fugandos irruerunt, ſed multitudine obruti eos in medium inſilientium globum compingentes male mulctarunt veſtes etiam nonnullis eripuerunt, noſtri porro clamoribus exciti auxiliares aduenerant, ſed fuga matura vix à ſe iniuriam propulſarunt.

Noua lapidũ procella, in patrum domo deſæuijt.

Id cum familiaris noſter Chiutaisò didiciſſet, omnino iudicauit Gubernatorem admonendum: verum quoniam Patri in votis erat ſocium euocare, noluit ſimul duabus poſtulationibus Gubernatorem fatigari, ne alteram altera impediret, euicit tamen amici ſententia, cui neceſſarium omnino videbatur, in hac inſolentia futurarum exempla præfocare: quotidianam alioqui fore iniuriam, & ferè grauiorem.

Die igitur inſequenti Gubernatorem conuenit, eiq; narrauit, ſe per eos dies apud noſtros commorari, quod ideo dicebat, vt ad ſe viſitandum Gubernatorem domum noſtram euocaret, vbi commodior eſſet de utroque negotio tractandi locus, nec ſpe ſua luſus eſt. nam breui ad nos venit familiarem noſtrum inuiſurus, ſciſcitanti porro Gubernatori ex noſtris, quî res ſuæ ſe haberent, amicus noſter iniuriam ſuperiorem

Gubernatori iniuriam Sociorum explorat.

rem exaggerans, retulit, addiditq́; P. Matthæum hac iniuria ſolicitatum, noluiſſe tamen conſcium fieri Gubernatorem, ſed in animo fuiſſe eam rem tacito ſilentio concoquere; adhæc Gubernator tantiſper obmutuit. Excanduerat enim in iniuriæ auctores acrius, quam credi poſſit: Vbi vero accerſitos famulos ſaucios omnes conſpexit, furorem etiam duplicauit. Ergo edicto propoſito vicorum Præfectos ſibi ſiſti iuſſit, ex ijs quærit, ecquis adeo contumelioſus in aduenas fuerit, quos ſub patrocinio ſuo eſſe non neſcirent; cum negarent id ſibi conſtare, parum abfuit, quin eo ipſo in loco vapularent. Verum contumelioſis verbis exceptos, & catenis ferreis in collum ex more iniectis, miſit ad eos quęrendos, qui eam iniuriam intuliſſent, quos in ſuum Tribunal nulla interpoſita mora ſibi ſiſterent puniendos.

His ita compoſitis quæſijt, alter Socius ex ægritudine vires collegiſſet, nec ne: hic quoque P. Matthæi diſcipulus de Socio euocando occaſionem arripuit; reſpondit igitur eum aliò ad meliores medicos & pharmaca confugiſſe: Patrem vero Matthæum eſſe ſolitudine ſua ſolito triſtiorem, optaſſe quidem in eius locum alium comitem euocare, ſed pro ſua in eum obſeruantia iniuſſu eius id facere refugiſſe, cui poſtulationi Gubernator non modo non repugnauit, ſed oſtendit etiam gratum ſibi fore, ſi alium euocaret.

Sed ad Vicorum ex cubitores redeamus, quos Gubernatoris mandatum mire anxios habebat. non ignorabant enim importunos illos lapidatores primorum eius regionis trans flumen eſſe filios, à quibus minæ iam exierant, ſi filios proderent, fore ut aliâs iniuriam vindicarent. vrgebat alia ex parte Gubernatoris metus: certum enim erat, ſe facti pœnam, niſi veros auctores adducerent, ſubituros. Interim è domeſticis famulis duo inſcio Patre noſtro domo egreſſi, in fluminis ripa ad pontem neſcio quorſum præſtolabantur, cũ ecce tibi duo

Duo adoleſcẽtes è lapidatoribus capiuntur.

ex

ex nocturnis lapidatoribus adoleſcentes in eorum manus inciderunt, quos probe agnitos iniecta manu ad excubitores anxios adduxerunt, Gubernatori ſiſtendos. qua re ipſi lætiores, (nam inuidiam facti minimè ſuſtinebant,) quam adoleſcentũm parentes, à quibus nihil dubium erat, ferenda eſſe ſupplicia, & reliquos tormentorum acerbitate prodendos. ergo cum aliud nullum præſidium præſentius occurreret, ad P. Matthęum nocturnis horis magna animi demiſſione ſeſe contulerunt, adoleſcentiam cauſati, filijs ſuis veniam precabantur, & ne vltra pergeret inſtabant. P. Matthæus poſtquã de iniuria modeſtè queſtus eſſet, addidit omnino ſibi in animo non fuiſſe quemquam prodere, vel pœnam exigere; ſed alia via id ad Gubernatorem perueniſſe, neq; ſe conſcio famulos domo egreſſos, vel auctore adoleſcentes ad pontem captos, & inquirentibus traditos, procurarent vti tota res ſopiretur, ſe quoque non actorem, ſed ſi opus eſſet interceſſorem fore: gratijs officioſe redditis effecerunt, vti excubitores in Tribunal redirent dicturi, auctores facti nocturnis tenebris ita iniuriam texiſſe, vti à nemine fuerit depræhenſa. Ad hæc ita incenſus Gubernator, ex ijs alterum atrociter iuſſit verberari, alterum in carcerem retrudi, è quo egredi nulla ſpes eſſet, niſi proditis auctoribus, quod vrgente malo tandem præſtiterunt, duobus quos auctores fuiſſe conſtabat, ex templo nominatis. qua re obſtupuerunt omnes, & in fuga ſalutem quæſierunt hinc inde dilapſi. interim eorum parentes domum noſtram frequentes ventitabant, Patrem Matthæum vrgentes, uti opem rebus iam deſperatis afferret, quod libens præſtitit, vel religioſa profeſſione inductus, vel uti in animum inducerent Ethnici, ad quos ea res perueniret, legem Chriſtianam non iniuriam rependere, ſed etiam ijs, à quibus acceperunt, ſi opus fuerit, ſolere prodeſſe. Effecit igitur apud familiarem diſcipulum ſuum, uti ſuo nomine ſcripta ſchedula Gubernatorem

Parentes pro filijs deprecantur.

P. Matthæi clementia in condonanda iniuria.

torem

torem ad clementiam inclinaret; ipſe vero ſecundo ac tertio in Tribunal abijt pœnam deprecaturus, quod denique licet ægrè, impetrauit, ſed edictum priore grauius propoſuit, quo edicto poſt rem enarratam uti contigerat, ſeuerè interdixit, ne ea res à quoquam in exemplũ traheretur, fore quippe, ſi quid alius eiuſmodi auderet, vt in nullius interceſſione præſidium reperiret.

Porro audito Amacai, facultatem nouo comiti datam, ea Collegij Rector pro ſe vti voluit, nõ ut perpetuus eſſet P. Matthæi comes, ſed huius expeditionis hac occaſione Viſitator, quod præſtitit nullo prohibente, magno utrimq; ſolatio, nec inferiore rei Chriſtianæ bono. Eo reuerſo, tametſi P. Almeida iam à febre liber nondum tuto conualuiſſet, tamen tantus erat eius ardor ac deſiderium intermiſſam ſtationem repetendi, ut importune reditum euicerit, ea ſpe quod videri poſſet compos factus ex gaudio, valetudinem, ac vires breuius collecturus.

Rector Collegij Amacaenſis in itinere comprahenditur.

Verum omitti non debet quid Amacaenſis Collegij Rectori in reditu acciderit. nam cum Anſanum perueniſſet, ea vrbs diei vnius itinere abeſt Amacao, delatus eſt ad Gubernatorem, quod vir externus nulla Magiſtratuum facultate, in Sinenſe regnum introiſſet. ergo comprahenditur ac dies aliquot retinetur, donec Amacaenſes & Xauceani moniti vtrinque ſuccurrerunt; nam P. Matthæus ab vrbanis Magiſtratibus impetrauit publicum teſtimonium, quo conſtabat eum conſcijs Magiſtratibus Xauceũ veniſſe, & innocuum eſſe, nec obſtare quicquam quin ad ſuos Aamacaum reuerteretur. Verum prius hoc ſcriptum quam perueniſſet, Amacaenſes Magiſtratus, qui Sinas Luſitanis permixtos regunt idem teſtati effecerant, uti Gubernator Patrem dimitteret; ſed ut erat natura ferox, & Europæis infenſus, famulum vnum Patri comitem dedit, alios duos pro tribunali grauiter cæſos cum Satellite

lite Xauceum remiſit, nec adduci potuit, vt Amacaum ire ſinerentur.

P. Antonius Almeida moritur, P Franciſcus de Petris ei ſufficitur.

CAPVT QVINTVM.

P. ANTONIO ALMEIDÆ ſupra infirmam corporis conſtitutionem, vires è priore morbo nondum erant in integrum reſtitutæ. ergo menſe Octobri in ægritudinem recidit ita ſubitam & grauem, vt eius in Collegium Amacaenſe remittendi eripuerit facultatem. Itaq; intra octiduum decimo ſexto Kalendas Nouembris diem clauſit extremum, in cuius operarij luctu meipſum, cõmemorata breuiter Viri ſanctitate, ſolabor. Is erat Luſitanus è villa, cui Franchoſo nomen eſt, & ad ætatis annum fere quintum peruenit ſupra trigeſimum, quorum annorum maximam partem in ordine noſtro collocarat; & quidem ab ipſo Tyrocinio magnum virtutis ardorem & exemplum præſetulit. quo factum eſt, ut magna eſſet vulgo apud omnes ſanctimoniæ opinione, & valeret gratia quocumq; eum ſuperiores amandarent. E Luſitania magna ambitione miſſionem Indicam impetrauit eo fine, vt vota ſua vel agendi vel patiendi, quibus ardebat, expleret. Porro cum Goam perueniſſet, ſuperioribus aperuit, quanto deſiderio rei Chriſtianæ in ardua aliqua expeditione procurandæ teneretur: arbitrabatur enim ſe lautius in Collegijs haberi, & Religioſam frugalitatem delicias appellabat. nec eum ſua ſpes fefellit. cum enim ad hos ignes pares quoque animi dotes ij à quibus regebatur aduertiſſent, Viſitator noſter eum in ſpes magnas (ita Sinenſem expeditionem iure appello) euocauit: comitemq; addidit P. Eduardo, qui hoc ipſo tempore Collegium Amacaenſe moderabatur. Hac electione ſupra ſpem ita

Pater Almeida moritur.

recreatus eſt, vt verbis ab alio nullo quam ab ipſomet, qui ea de re nobilem ad Socios ſcripſit Epiſtolam, exprimi apte poſſe videatur. Sileri tamen non debet eius hac de re celebre dictum. cum enim in Amacaenſi Collegio inter Socios ageretur, qua ratione in Sinenſem expeditionem immittendus eſſet: (nam ijs temporibus anguſtior erat rebus adhuc ignaris introitus) ipſe modum ſuggeſſit, quem ardor ipſi, ne parergus videretur, effecerat. poſtulabat enim vti ſe Magiſtratui cuipiam in ſeruum darent, quod ſane feciſſet, ſi per Superiores id ei licuiſſet. In excurſione vero, quam vna cum P. Ruggerio in Cechianam Prouinciam fecit, cum ea optatum finem non eſſet conſecuta, vix adduci poterat, vt ſibi redeundũ eſſe perſuaderet: Itaque obnixè petijt, vti ſolus in ea Prouincia remanere ſineretur, ſe rationem inuenturum, qua ſecurus ibi latitaret, nec omnino egredi voluit, niſi expreſſe vrgentis obedientiæ auctoritate permotus.

P. Almeidę ſtudium orandi.

Orationem & in caſtigando corpuſculo aſperitatem ita ſectabatur, vt Superiori ſemper inuigilandum eſſet, ne prudentiæ limites egrederetur. Quæſijt ex eo Superior die quadam, ecquas preces voce recitaret, ac reperit eũ ſupra ſacerdotale penſum ea precum officia erogare prope omnia, quæ in breuiario precum libello reperiuntur, præter alia multa quotidianæ pietatis argumenta: vnde mirum eſt, quid ei temporis ad ſtudia ſupereſſet. indictum igitur vti Sacerdotali penſo contentus, ſtudijs reliquum tempus daret, verum ſancta pertinacia euicit, uti ſaltem quotidianum Deiparæ penſum, quod ab infantia fecerat, ad Eccleſiaſticam precum formam pendere ne prohiberetur.

Eius omnia colloquia de Deo, deq; rebus pijs erant. qua in re ita erat efficax, vt non ipſe minus, quam cæteri eo audito commouerentur. Auguſtiſſimi Sacramenti maximus ſemper fuit cultor, & priuſquam ſacris initiaretur, habita facultate

quoties

quoties poterat diuino illo pane veſcebatur, non contentus eo, quod ab vnoquoq; Societatis regulæ exigunt. in Collegijs ab ara, in qua ſacrum illud animorum ferculum aſſeruatur, auelli non poterat, celebranti miniſtrare, erat illi in delicijs, & reliquas quotquot poterat miſſas audiebat, etiam cum in hoc regno commoraretur, id maximè in hac ægritudine demonſtrauit, habebat enim pro more, quoties nonnihil pręter ordinem corpuſculo grauius afficeretur, ſub ipſa miſſa ſacra, Domino ſuo tenerrimum vale dicere, ac ſi alias nunquam eſſet ſacrificaturus. In hac ſua ægritudine repentina id facere non licuerat, quare ſatis angebatur, ſollicitus igitur de itineris tanti viatico, id ea nocte qua extinctus eſt ardentiſſime deſiderauit, ſed noſtris in ædibus nondum id temporis ſacrum pignus aſſeruabatur. Opus igitur erat horas matutinas ad Socij ſacrificium expectare, atque ita eo omnes ægri cogitationes ferebantur; nunc Socium monebat, uti viaticum ſibi daret, tametſi fortaſſe loquendi facultate deſtitueretur, quod integris illud ſenſibus poſtulaſſet, nunc in memoriam redigebat, licere per Doctores auroræ tempus ita præuenire, ut miſſa ſub eius principium finiretur. Verum enim vero maluit ſe illi Dominus viſendum præbere ſicuti eſt, quam in ſpeculo & ænigmate, ut ita dicã, ſub exigui panis inuolucro. prius enim confectus eſt, quam refici per nocturnas horas potuerit: quod cum ipſe aduerteret, omnino voluit in ſolo collocari, vbi ſuauiſſimè cum IESV crucifixo colloquens exceſſit è vita.

Poſt ſanctiſſimum illius exitum, in eius ſcriniolo aliquot commentarioli reperti ſunt propria manu ſcripti, in quos referebat, quidquid per totum diem boni ac mali in animo ſuo transactum reperiſſet, ibi prauæ dæmonum ſuggeſtiones: ibi ſpirituales conceptus legebantur, ut omnia vel ſuperiori, vel ei quem à Confeſſionibus habebat, cum fide renuntiaret. & ſanè digna res eſſet ex his libellis multa vitæ Religioſæ præcepta *Studium perfectionis in P. Almeida.*

pta ad aliorum bonum ſeligere. Hinc quoque conſtat, quam infatigabili ſtudio hic Dei ſeruus ad vitæ perfectioris apicem aſpiraret. Eius abſentiam noſtri omnes talis Socij & operarij deſiderio diu deplorarunt, ſed certa ſpe ſeipſos ſolati, eum ad huius expeditionis Christianæ bonum in cœlo Sinenſia negotia tractare, dolorem mitigarunt. Ad eum ex more deplorandum, amici amicè ſanè concurrêre, ſed ijdem minime probabant, funebri veſte noſtros mærorem nullo tempore teſtari. Verum vbi audierunt, Religioſos noſtrates, atque ſimul ſeſe diuinis obſequijs mancipant, pro mortuis haberi, & hanc mortem, quæ vitæ melioris eſt ianua, negligere, tum demum Sinenſis ingenij facilitate acquieuerunt. Effectum tamen uti famuli domeſtici in funebri veſte candidati, ut ſolent, interim incederent, donec illi amicorum concurſus conquieuiſſent. Porro quia Sinis ſolemne eſt, arca pretioſa functos honorare, factum eſt, ut neque offenderet vilitas, neque religioſa parſimonia offenderetur.

Luctus amicorum.

Ex eo vero, quod ſacris in ædibus cadauera humari non ſolent, ideo quod ab earum deinde ingreſſu omnes abſtinerent, neque Sinenſi ex more placeret in vicino aliquo monte noſtris deligere ſepulturam, feretrum vna cum cadauere Sinico bitumine domi eo vſque aſſeruatum, donec ſtatueretur quid in ea re Rector Amacaenſis fieri vellet. Qui vbi audiuit felicem Socij tranſitum, extemplo P. Franciſcum de Petris priori fere per omnia ſimillimum, niſi quod viribus ſuperaret, demortuo ſubſtituit. Nec facultas ad eum immittendum, vel expectata vel petita. Nam in id tempus incidit, in quo animis occupatis, nemo repugnauit. Prorex enim ille noſtrorũ expulſor, per eos dies Xauceo tranſibat, in aulam ad maiorem dignitatem euocatus. Eum P. Matthæus inuiſens Socium adhibuit qui recens venerat, & in conſpectu ciuitatis vniuerſæ. cum hæc fierent, vulgo creditum eſt, Socium quoq; Proregi notum, quod eum vna viſitaret.

P. Franciſcus de Petris P. Almeidæ ſubſtituitur.

Prorex

Prorex P. Matthæum excepit perhumanè, & amicè quæſijt, vti ſe Xaucei haberet, & quid eſſet cauſæ, cur in celebri fano Nanhoa commorari minime arriſiſſet? editis quoque ab ſe voluminibus eum donauit in oculis ciuitatis vniuerſæ: quæ omnia ad rem Christianam promouendam non parum valuerunt. eò enim Magiſtratuum amicitia à nobis vbiq; refertur. Hunc Proregem amici largitionibus cæterisq; malis artibus altius euexerant: verum proditæ tandem à Prouinciali Viſitatore illius multiplices iniuriæ, medio in itinere monitus eſt, ſeſe omni officio exturbatum, & quadraginta millibus aureorum perſoluendis ærario Regio mulctatum, quibus publica latrocinia compenſaret, atque ita in fiſcum omnia, quæ ſecum deferebat redegerunt, ac ipſe eiusq; filij ad extremam inopiam deuenerunt, ſed neque hic ſtetit vltrix Dei manus. nam hoc ipſo tempore fœdum illi vlcus erupit, cui ætas iam in extremam ſenectutem inclinata ſuccubuit, & in extremo agone cum morte conflictans, aquæ ſcyphum petijt, nec à filijs aut ſeruis in diripienda domeſtica ſupellectili occupatis, impetrauit. atque ita his verbis eiulans, labores, labores, expirauit. qua morte Deus etiam in hac vita tum cæteras iniurias tum ſeruorum ſuorum videtur vindicaſſe, in quorum ædibus multa dæmonum ſimulachra collocauit, & inſcriptionem in ſaxo incidit, qua conſtat huius ædis origo, & quid ipſe de ea ſtàtuiſſet: nec procul ab ea ipſe ſibi fanum extrui fecit, in quo ex more ſtatuam collocaret.

Prorex Sciauquinenſis officio deturbatur.

Proregis exitus vitæ terribilis.

Et quoniam iterum Sciauchini facta eſt mentio, dicam quam fama cauſam expulſionis euulgarit, eam enim vix fortaſſe ventura ſęcula extinguent. narrabatur enim inſignis fabula, & pro ipſa veritate circumfertur; aiunt enim noſtros à Prorege euocatos, Alchimiſticas regulas ſibi non eſſe paſſos extorqueri, aſſerentes, rem tantam minimè per vim edoceri: quare Proregem indignatum ſuis, eos ædibus expuliſſe, quod

Fama mentitur de noſtrorum expulſione.

ipſi iniuriam in Prorege vocant, noſtros à culpâ liberantes. Hæc & ſimilia commenta plura, de Sacerdotibus Europæis, non incertis tantum rumoribus toto regno vagantur, ſed etiã ſcriptis libris omni ſæculorum memoriæ commendantur, & vulgo tanta veritatis auctoritate, uti pro mendacijs haberi poſſe vix in poſterum videantur, quæ omnia tametſi ſunt à profeſſione noſtra, quam maximè aliena, non ideo tamen ſcribuntur à Sinenſibus, vt nobis detrahant, ſed ea in re potius noſtros ſuis maioribus, quos in Diuorum numerum retulerunt, æqualeſ profitentur.

In Vrbem Nanhiunam excurrit P. Matthæus & aliquot ibi Chriſto aggregat.

Capvt Sextvm.

Negotiator copioſus fidem Chriſtianam ſuſcipit.

IN Nanhivna vrbe negotiator quidam è Chianſinenſi Prouincia vrbe Taicho commorabatur, Is Coſunhoa vocabatur, & familiam copioſam ad ſuas negotiationes capitum fere quadraginta ſuſtinebat: erat autem inanium Deorum ſimulacris addictiſſimus, in quorum cultum vitam vniuerſam abſtinentia Sinenſi macerabat, id eſt, à carne, piſce, ouis, lacte, abſtinebat, & ſolum oleribus, leguminibus, oriza, vel è farina libis quibusdam veſcebatur. ad hanc ieiuniorum aſperitatem addiderat inſignem in procuranda ſalute, quam in alia vita ſperabat, diligentiam. nec in Sinenſium ſectarũ multitudine repererat vllam, quæ ſibi vera videretur. Is ergo neſcio, cuius negotij cauſa Nanhiuni in familiarem noſtrũ Chiutaiſo inciderat, qui his fere annis, eo in oppido frequentius commorabatur, & ibi pellicem ſuam collocarat. cum igitur die quadam in ſermonem de religione incidiſſent, ex eo didicit Xauc ei degere Sacerdotes aduenas è magno Occidente, (ſic enim hodie Sinæ Europam appellant) ab ij, verum iter ad

conſe-

conſequendam in cælis æternam fælicitatem oſtendi, ſimul monebat, vti eo ſe conferret, iam ætatem annorum fere ſexaginta poſtulare, uti de altera vita cogitaret. Ergo de rebus noſtris ſigillatim edoctus, Xauceum venit, & à noſtris domi ſuæ magna beneuolentia exceptus eſt, vel ſua, vel amici, à quo mittebatur cauſa. Cum igitur quorſum veniſſet P. Matthæo expoſuiſſet, inuenit plus etiam quam ſperaret. nam diuina luce perfuſus, miro pietatis ſenſu, altius in animum omnia quam in aures admittebat, & quoties ex Patre audiebat aliquid, quod ſibi magis arrideret, aſſurgebat & genibus flexis frontem ſolo gratias agens admouebat: et quoniam facilis erat naturæ & mirè affabilis, domeſticos omnes arctè ſibi deuinxerat. imbutus igitur iam ſatis legis noſtræ myſterijs, ſacro fonte præteritę vitæ maculas expiauit, & Ioſephus eſt appellatus. & quoniam in idolorum ſecta profanas commentationes quibus utitur decurrerat, ſciſcitatus eſt, ecquem haberet fides noſtra commentandi modum. quapropter eum P. Matthæus hebdomadis primæ meditationibus è libello B. P. Ignatij exercuit ita fæliciter, vt non tyro, ſed veteranus videretur. Menſem unum apud nos hæſit, & hærere volebat, niſi domū necessarijs negotijs impeditus reuocaretur, abijt tandem, ſed bene inſtructus, & ſubinde Xauceum repetens, eorum, quæ audierat memoriam confirmabat, & nouis ſe inſtitutionibus reformabat.

Anno Salutis ſupra milleſimum quingenteſimū nonageſimo ſecundo, per ſolemnes ieiunij dies, in quos anni Sinenſis initium inciderat, Socij munus ad amicum Chiutaiſo de more miſerunt, quo ille ita affectus fuit, ut ipſemet Xauceum cum alio munere venire minimè dubitarit: Hac occaſione vſus eſt P. Matthæus, ut eò quod iam diu ex animo cupierat, excurſionem faceret, nam in vrbe hac è Cantonienſi Prouincia in Chiamſinenſem prouinciam diſcrimen eſt ac telonium

& fa-

& fauebat excurſioni, vrbi præeſſe Progubernatorem eum, à quo Xaucei aliquãdo fuerat adiutus, ſimul etiã Ioſephi familiam Chriſto cupiebat aggregare. voluit præire Chiutaiſo, uti Progubernatorem moneret, & alijs plerisq; noſtros videre cupientibus aduentum ſignificaret. ergo ſubſequentem deinde Ioſephus, & alij ex itinere obuium exceperunt, cum adhuc ab vrbe procul abeſſet. Is domi ſuæ iam Patri domicilium præpararat, ſed euicit Chiutaiſo ideo maximè, quod in eius ædes Magiſtratus Litteratiq; libentius, quam ad Negotiatorem diuerterent. In Vrbem deniq; peruentum, & P. Matthæus ad Progubernatorem pergit, à quo excipitur perhumane, & intimo palatio exceptus, longa cum eo colloquia de varijs rebus miſcuit. Eo ipſo die à Magiſtratu repenſum Patri viſitationis officium, eo apparatu ac ritu, quo Magiſtratus in ſuis ditionibus ſolent viſere litteratos. ad eum excipiendum Chiutaiſo ſolemne conuiuium inſtruxerat. Progubernatoris exemplum ſecuta eſt vniuerſæ ciuitatis maieſtas, vix ut è primarijs quisquam defuiſſe credatur, cum ſingulis officium P. Matthæus de more rependeret, non familia ſolum vniuerſa, ſed ad ſpectaculum vicinia tota concurrebat, & excreuit adeo concurrentium multitudo, ut eum ſella geſtatoria tectum, per vicos geſtari oportuerit, quamdiu ea eſt in vrbe commoratus. neque enim alioqui tranſeunti patebat locus: ſed neq; hoc ſatis fuit. nam aliqui lecticæ cortinam leuiter aperiebant, alij ſequebantur, vti ſella egredientem ſpectarent.

P. Matthæus Nanhiuni humaniter excipitur.

Dies aliquot Patrem inuitum officioſi ritus & amicorum conuiuia tenuerant, ſed ſedato iam tantiſper nouitatis tumultu, ex ædibus Chiutaiſo in Ioſephi domicilium commigrauit, ubi libentius & fructuoſius eſt commoratus. his in ædibus tametſi concurſus fuit idem, licet inferior dignitate, ſuperior tamen erat ſalutis ſuæ deſiderio, & res diuinas audiendi cupiditate. nam ſolidos dies in ea re P. Matthæus impendebat, vix

P. Matthæi Ricij zelus animarum in domo cuiusdam Negotiatoris.

vt

vt ei ad neceſſariam refectionem diuinumq́; officium tempus ſupereſſet. ſed neque nocturnis horis in altam noctẽ deerant auditores, quos oportebat ipſis in ædibus Ioſephi pernoctare. In ea domicilij parte, quæ noſtrum exceperat, pręter cubicula erat aula quędam, & in ea extructa ara, in qua ſub aurotam ſacrificabatur, & ibidem deinde colloquia de rebus diuinis inſtituebantur, exhibitis prius ijs Patri ritibus, quos Sinenſis vrbanitas ſummos appellauit. & iam quidem Ioſephus è Neophyto diuini verbi præco effectus, varia ſparſerat in fidei noſtræ commendationem. ex tota audientium multitudine ſelecti omnino ſex, qui Chriſto nomen darent, abunde fidei noſtræ miſterijs inſtituti, cæteri qui voluerunt, in Catechumenos recenſiti, in aliud tempus Chriſtianæ Religionis ingreſſum diſtulerunt. His acceſſerunt filij Ioſephi quatuor. maiorem meſſem hoc nouale promittebat, ſi domo diutius P. Matthæo abeſſe licuiſſet, hoc tamẽ opportune deinde ad multa cecidit. nam cum deinde noſtri in regni viſcera penetrarent, ſemper in his Neophytis ad transmittendum montem illum inter duo flumina medium, ſubſidia repererunt. Sed ad res Xauceanas intermiſſa excurſione redeamus.

Xauceanus ager etiam nonnullam frugem dedit. Neophyti enim aliquot per eos dies è tyrannide inanium Deorum ad Chriſti caſtra confugerunt, & in eius obſequijs magnũ ardorem prætulerunt, ij potiſſimum, quibus apud nos licuit commorari. certè conſtat ex ijs vnum verberibus à Parente male mulctatum, adduci tamen minime potuiſſe, ut prodigioſis dæmonum ſimulacris, quod ante faciebat honorem exhiberet: alij in fana ingreſſi clam pedibus manibusque idola truncabant. eam rem vbi reſciuit, P. Matthæus ſeuere inhibuit, ne quid turbarum cieret, ſi cuius inditio proderetur. Sed neque hoc ad eos plane continendos ſatis fuit: puerulus enim e domeſticis famulis nuper ſacro fonte renatus, idolum è fa-

Feruor Neophytorum Xaucei.

Puerulus Neophytus idolum clam combußit.

no furto ſubripuit, ac domum detulit, inſcijs planè omnibus, ſed ex eo quod plagas inferri ſibi metueret, præcepti nuper facti violator, cum reliqui dormitum conceſſiſſent, in culinæ fornacem clam coniecit: verum quod ex odorifero ligno cõſtaret, odore prodebatur. ergo è fratribus noſtris vnus qui rem domeſticam curabat, & ijs horis domum luſtrabat, odorem ſecutus miſellum Deum mitioribus in terra flammis ardere comperit, quam quibus apud inferos concrematur. Ea res ad Patrem delata eſt, furunculus proditus, ſed impunè. eius enim vel ætati, vel ardori indulgens pater conniuebat, ſeque reſciſſe diſſimulabat. alius è domeſticis quoque famulis nondum quidem Neophytus, ſed Catechumenus tamen, cum deambulatum in vicinum montem cum alijs conceſſiſſet, in deſerto loco fanum inuenerunt, è Chriſtianis vnus idolum arripiens fano extulit, & ad Catechumenum conuerſus, age ait & Deum hunc tuum venerare, is pudore ſuffuſus, pro veneratione foſſam effodit, & ibi mutum numen vermibus abſumendum ſepeliuit. alia huiuſmodi multa, ſed quod eiuſdem fere ſint argumenti, omittuntur. Hæc ſufficiant ad Neophytorum ardorem, & quos nuper venerabantur Deorum odium declarandum.

Alius idolum vermibus abſumendum in terram fodit.

Nocturni latrones domum inuadunt, Socium vtrumque vulnerant, & à iudicibus damnati, noſtrorum ope liberantur.

Capvt Septimvm.

Mense Iulio, nocte cõnubia, nocturni latrones armis inſtructi in ædes noſtras irrupere, ad tumultũ excitati Socij & famuli, arbitrati ſunt inermes furunculos in atrium irrepſiſſe. Itaq; incautè domum interiorem recluſerunt, ſolo noſtrorum conſpectu fugituros, & ecce nocturnis deluſi tene-

Famuli & Patres a latronibus vulnerantur.

bris

bris in medios latrones, famulos rati, ſeſe immiſerunt, & quoniam multitudine & armis ſuperiores erant, duos tresue ſeruos grauiter ſanè ſauciarunt, nec eos ſolum, ſed P. quoque Franciſcus ſecuri non maxima in capite vulnus accepit. poſtquam facibus accenſis vidit P. Matthæus, armatæ multitudini à paucis inermibus reſiſti non poſſe, in interiorem domum conatus eſt ſe ſuosq; recipere, ſed non latuit res illa prædones, in ianuam enim haſtilia transuerſa, ne occludi poſſet, iniecere. Domus porro tota ſic ab alijs erat imparata, ut ne fuſtem quidem potuerint in eo tumultu reperire. Pater igitur qua potuit ingreſſum tuitus, minis potius quam manibus ingreſſuros arcebat, ſed tamen in altera quoque manu vulnus accepit, qua re ſeſe mature quiſque in cellam ſuam receperunt. ergo in interiorem domum immiſſi in cellulas ipſas impetum conuerterunt, ſed ianuis ac ſeris prohibiti excludebantur.

Interim adoleſcens quidam, qui domi noſtræ ſtudijs incumbebat, in contignationem aſcendit, è qua tabulas & ligna in latrones demittebat, P. porro Matthæus è feneſtra in hortulum domeſticum exiliens, pedem contorſit ita grauiter, ut in vicum egredi & excubitores appellare minime potuerit. ex eo tamen loco vociferari cæpit acrius, & viciniæ opem implorare. Verum ipſi quoque vicini rei totius conſcij cum latronibus conſpirarant, & tamen ea res latrones terruit, nec minus lignorum imbres, qui in eorum capita depluebant. atque ita nulla re direpta diſceſſerunt, & ſeſe in cœnobium vicini fani è quo egreſſos quoque ferebant receperunt.

Non ferenda viſa eſt ea res noſtris omnibus. Itaque eum qui tum ciuitatem regebat, quartum Gubernatoris aſſeſſorem matutinis horis de illata ui monuerunt. Is grauiter indignatus eo maximè tempore, quo ipſe vrbem moderabatur, auſos ſub vrbis mænia latrones vim meditari, cogitare cæpit, qua ratione reos depræhenderet, ex eo vero, quod vicini accur- Latrones depræhendũtur.

 rere

rere ad tumultum neglexerant, ratiocinatus eſt non ineptè latrones ipſos è vicinia prodijſſe. aliquot igitur ex ijs accerſiuit, vnum vero qui proximus erat, tormentis ſubiecit, impunitatem ſpondens, ſi rem prodidiſſet. ille igitur ſe ac ſocios omnes nominauit, quos animaduerſum eſt omnes eſſe aleatores, & nonnullos etiam Superioris anni lapidatores: Hac rei confeſſione ipſi ac Parentes grandi metu corrupti, ac pudore ſuffuſi ſunt. erant enim ex non ignobilibus familijs aliquot nominati.

Progubernator igitur re comperta imperauit, uti Socij reos ſolemni formula accuſarent, quod reluctantes, fecerunt quidem, ſed ita leuiter, ut etiam nihil eos furto ſuſtuliſſe faterentur: Sub finem etiam accuſatorij libelli Progubernatorem rogabant, uti vel ignoſceret, vel blandè mulctaret. qua in re omninò à Sinenſium iudiciorum cõſuetudine diſcrepabant. neque enim accuſatores crimen augere ſolum, ſed etiam in re ſimili, multa ſibi ſublata mentiuntur, accuſationem in lucro reponentes. eo libello Progubernator magna virtutis approbatione obſtupuit, ſed nihilo tamen minus amplius fortaſſe in latrones infenſus, non ferebat viros adeo modeſtos iniurijs infeſtari. Ergo ad ſe omnes, in tribunal vinctos adduci iubet. nam in accuſationis leuitate ſociorumq; promiſſione quam deprecatoribus parentibus dederant, ſpem reponentes: ſibi à fuga temperarant. Duo tresue queſtione torti primo tormento omnia excuſſerunt. Exciderat forte vni è latronibus, cum vim inferrent, pileus, eum noſtri prima delatione Progubernatori tradiderunt. Ergo in iudicio reorum capita omnia ad pileum excuſſa ſunt, inuentumq; uni apprime quadrare, Sinenſes quippe pilei anguſtiores capiti per vim immittuntur, nec facile alieno capiti coaptantur. ex pileo Reus innotuit, atque ita mille indicijs, & propria reorum confeſſione cuncta conſtabant. in reos igitur hanc ſententiam pronunciauit,

Rei in tribunal adducuntur.

Ex pileo reus innoteſcit.

uit, eum qui caput & facti dux fuerat capitali ſententia damnauit, reliquos in triremes amandari, aut inter mancipia regia cenſeri imperauit, cuiusq; pœnam ex culpa metiens.

Latrones condemnantur.

Tota ea res Socijs moleſtiſſima fuit, indigenas enim exterorum cauſa plecti ciuibus odioſum, parentes inſenſos ſibi feciſſe periculoſum, incolas trans flumen à ciuibus intra flumen latrones appellari, ignominioſum videbatur. Sed ad hæc moleſtius erat Socijs, vna cum reis per tribunalia curſare. neque enim ab vno Progubernatore, ſed à varijs Magiſtratibus eam rem oportebat excuti, & ſententiam confirmari. Id erat porro moleſtius, quod nōdum vulnera coaluiſſent. hoc ſolū non cecidit importunè, quod ea ex cauſa Patri Sciauchinum fuerit nauigandum, ut Xauceana ſententia in Proregia vrbe à ſummo quodam Magiſtratu comprobaretur. quod fecit ille perfacilè, ut confeſſa, probata, & dilucida omnia viderentur non cecidit inquam ea excurſio importune, ad Neophytos illos Doctoribus ſuis orbatos viſitandum, nec ſine fructu res fuit. tametſi enim Xauceum venerant multi & Amacaum etiam ad Socios inuiſendos, & ſeipſos in ſuſcepta fide ſtabiliendos, reliqui tamen maximam partem inculti ſilueſcebant, infantes aliquot Neophytorum proles ſacro fonte originis culpam eluerunt, omnes ad fidei conſtantiam animati, vires nouas ſpirituali ſolatio admixtas receperunt.

Reorum actio permoleſta ſ'aciuibus.

Sententia Sciauquinum, comprobanda defertur a P. Matthæo.

Sciauquini cum eſſet, Amacao ſcribitur Viſitatorem noſtrum è Iaponia renauigaſſe. Nam cum, ut ſupra dixi, ſumus Imperator noſtros proſcripſiſſet, viſum eſt rebus à Viſitatore conſtitutis expedire uti è Iaponia ſecederet, ne nouas impotenti tyranno furias excitarent, ſi reſciret eo tempore, quo Socios proſcribebat, illuc nouos nauigare. Ergo communi Patrum conſilio cedens Amacaum ſe recepit. Is Xauceano caſu cognito, P. Matthæo ſcripſit, cupere ſe, ſiquidem id integrum eſſet, cum varijs de rebus ad eam expeditionem ſpectantibus

conuenire. Et ſimul tentandum iudicabat, vtrum ab Amacaenſibus Chirurgis contorto pedi, qui nondum planè ſibi reſtitutus erat, remedium poſſet adhiberi, ne per vniuerſam vitam trũcus claudicaret. Ergo Socijs Xauceum remiſſis Sciauquino breuiore vtpote via Amacaum nauigauit. Multa ergo vtiliter ſane diſcuſſa. Pedis vero malum placuit minimè irritare, cum incederet non indecorè, ac ſolum in longis itineribus morbus recrudeſceret.

P. Matthæus Xauceũ redit.

Xauceum redijt tandem, vbi reos in vinculis depræhendit, quorum Parentes cum cauſam agerent, nuſquã niſi cum P. Matthæo in tribunalia concedebant, rati nullum ſe habere efficaciorem aduocatum, quam eum, qui actor eſſe debuiſſet. Inter Sinenſes Magiſtratus vnus eſt, qui à miſeratione pœnarum nomen accepit: is è tribunali iudicium, quibus plectenda crimina incumbunt, nomine Reginæ, quæ Regis apud Sinas Mater eſt emittitur, & in ſingulas prouincias, quibus ſinguli aſſignantur diſtributi. Horum munus in viſitandis reorũ ergaſtulis, è quibus aliquos leuiorum criminum reos eximunt, ſententiasq; mitigant. Hinc fit, ut eos Magiſtratus quamdiu ſunt in eorum ditione venerentur & colant. In hoc rei, cum Xauceum adueniſſet, ſpem ſuam repoſuerant, ſed fruſtra, nihil enim, adnitentibus licet noſtris, impetrarunt. Ad extremam huius ſententiæ confirmationem, ſolus Viſitatoris Prouincialis, qui cauſas omnes poſtremus reuidet, calculus deerat. Is igitur in Xauceanam vrbem cum veniſſet, à reis ſerio trepidatum. ille quippe ſeptem octóue Magiſtratuum ſententias reuocaturus vix ſperabatur. A deſperatione igitur conſilium vel vindictam potius mutuantes, reorum propinqui fere ad quinquaginta impio ſacrificio, quod ſimul in quodã fano idolis obtulerant, inuicem coniurarunt, procuraturos ſe vti Xauceo noſtri pellerentur: quam ad rem accuſationẽ in hunc modum adornarũt: Ea dicebant noſtros Amacao & Sciauquino

Coniuratio contra Patres.

erum-

erumpentes, continua cum externis regnis cõmercia miſcere, quod erat contra Sinarum leges & ſtatuta, feciſſe hic arcem verius quam ædem; in qua ſupra quadraginta, Amacao euocatos, velut in præſidio habere; cauſam præbere Magiſtratib⁹, uti indigenæ innoxij plecterentur; Eſſe igitur & regno & vrbi pernicioſos, ſeq; cõmunis boni deſiderio permotos, eum monere ac rogare, uti pellerentur. Et ut vrbanos Magiſtratus ſibi conciliarent, libellum prius ad eos detulerunt, rogantes uti fauere ne grauarentur; Viſitator enim Prouinciæ ſimilium libellorũ disquiſitionẽ ſolet vrbanis Magiſtratibus cõmendare. Verum ex ijs repertus eſt, nemo qui eam admiſerit; cæteri etiam eos ab ea deterrebant, monitos infelicem exitum habituram: ſecundus autem Gubernatoris Collega libellum admiſit, & fauorem promiſit, eorum vota comprobans, ut Progubernatori quem ſciebat noſtrorum eſſe fautorem, ægrè faceret.

Ab eo P. Matthæus de libello reſciuit, qui unũ alterúmue accuſatorum amicũ accerſens monuit, viderent etiam atq; etiam quid agerent, nondum reos extra diſcrimen verſari, nihil eſſe cur interceſſores irritarent, ne in Viſitatoris tribunali ſeſe repente in actores transformarent, neque enim ſe facibus incenſis inuaſum ita cæcutire, ut non agnouerit inuaſores. hac legatione territi, ab incepto deſtiterunt, & adhibitis deprecatoribus demiſiſſime veniam reis, & coram Viſitatore Patrocinium precabantur. in iudicium ergo à Viſitatore accerſitus noſter, ut de re tota eum redderet certiorem, ita fauit, ut etiam deprecatorum vota ſuperarit. petebat enim, vt in dubia cauſa in clementiæ partem inclinaret. quo audito Viſitator & animaduerſo cauſam hãc actoribus carere, à quibus ſibi periculum immineret, maluit vrbis primores plerosque, qui deprecatores adhibiti à reorum propinquis fuerant, ſibi demereri, quam iuſtitiæ rigore commouere. Pronunciauit

ciauit igitur hos aleatores, ſed non latrones appellandos, quos in pœnam ſingulos iuſſit ictibus viginti vapulare, ac deinde liberos dimitti. qua ſententia reorum propinqui exultarunt, rei quoque minus læti, ſed læti tamen, quod & pœna mitiore plecterentur, & grauiſſima latronum infamia liberarentur, quę infamia æterna illos eorumq́; propinquos ignominia erat contaminatura. Sed neque Socijs ſententia diſplicuit, qui id fere ſpectabant, ut Ethnicis hominibus Chriſtianæ pietatis lenitas conſtaret, quæ non vindictam ſolam de hoſtibus non repetit, ſed quâ poteſt auertit. Verum ingratiſſimi mortalium, hanc pietatis Chriſtianæ demonſtrationem Ethnica impietate compenſarunt.

Sententia lenior pronunciatur.

Die igitur, qui reorum liberationem eſt conſecutus, omni metu liberi, ad intermiſſam accuſationem coniurati redierunt. nam mortales ſupra ducētos populari tumultu bacchantes, inconditis clamoribus Viſitatorem Prouincialem, qui alia fluminis parte diſcedebat, appellabant, audiri ſe de cōmuni bono poſtulantes: cum ijs ibat ſecundus Gubernatoris aſſeſſor, non noſtrorum minus quam Progubernatoris inimicus, qui indignè ſanè multitudinis incentor & inſtigator videri volebat.

Noua accuſatio.

Prouincialis porro Viſitator, ſiue iam ſciret, quid ab ijs peteretur, neque rem indignam ferret, ſiue reuera id temporis rem ſeriam tractare nollet, à tumultuante maximè vulgo propoſitam, ita reſpondit. De communi bono poſtulatio non erat in diſceſſum meum differenda, ſed aduenienti mox ingerenda. atque ita eos dimiſit, nec adduci vnquam potuit, uti ſaltem libellum acceptaret. Quantum pudoris ex repulſa ingratis, tantum exultationis domi è victoria naſcebatur. hac enim ipſo tempore noſtri ſe ac ſua Domino commendabant, ab eo ſolo auxilium expectantes, à quibus in hoc maximè caſu animaduerſum eſt noſtros, à Deo Maximo & optimo protegi, cum

gi, cum aduerſus externos duos Religioſos indigenæ apud ſuum iudicem nihil potuerint impetrare.

Hoc eodem tempore Xauceum peruenit ex aula Pequinenſi, è ſecundo Magiſtratuum ordine (Sinæ Sciam ciu vocant) Præſes rituum tribunalis. Is vrgentibus negotijs in Inſulam Hainam, ad mare auſtrale in Cantonienſi Prouincia ſitam, patriam ſuam impetrata ab Rege miſſione nauigabat. Et magna pompa filios & coniugem reducebat. Is neſcio, quo referente, magna quædam de externis Sacerdotibus audierat, ac licet ad Viſitatores reuiſendos nunquam exſcenderit, voluit tamen ad noſtros diuertere, quod fecit magnis beneuolentiæ ſignis & pretioſis muneribus inſtructus: totum igitur cum noſtris diem in varijs collocutionibus inſumpſit. Sed nihil æquè illi arriſit, ut illati de Matheſi ſermones, de qua iam Pequini, fama narrante, multa inaudierat. Spopondit igitur ſe cum in aulam ex patria rediret, P. Matthæum in Regiam abducturum, uti Sinenſium faſtorum errores, quos ipſi nec negant emendaret, qua ex re magnam quoque ſibi pareret existimationem, quod rei tantæ auctor extitiſſet.

Præſes rituum tribunaliũ noſtros perhumanè inuiſit.

Ad repetendum viſitationis officium, cum ſe in eius nauigium, quod erat perelegans & permagnum cõtuliſſet, ab eo exceptus eſt etiam maiori humanitate, & in altam noctem colloquia producta. Narrabat à Progubernatore ſibi narratum, eos à latronibus noctu inuaſos, ſauciosq; prope omnes à vindicta ſibi temperaſſe, importunisq; interceſſionibus effeciſſe, uti rei mortis triremium ac perpetuæ ſeruitutis liberarentur. Qua ex re, ipſe mirum in modum, legis Chriſtianæ abſolutiſſimam numeris omnibus perfectionem ſuſpiciebat atq; commendabat.

P. Franciſcus de Petris moritur. P. Lazarus Cataneus in eius locum ſubrogatur.

Caput Octavum.

Svperior è latrocinijs orta noſtris cauſa vix in medio curſu erat, cum ecce tibi Nonis Nouembrib⁹ anno ſalutis humanæ, milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto, ex hac mortali ad immortalem vitam, ut ſperamus, P. Franciſcus de Petris euocatus, explens in breui tempora multa. nam acuta eum febris intra dies paucos ſuſtulit. Erat is ex agro Romano ex Abatia Farſa, puerulus Romam miſſus eſt ad ſtudia, in Romano Collegio noſtro peragenda, in quo in Parthenio ſodalitio teneram virtutem perpetuo exercuit. Societatem noſtram cum peteret poſt Philoſophiæ curriculum abſolutum, & diſputationem de eiuſdem Philoſophiæ partibus cum approbatione habitam & applauſu, in Tyrocinium eſt admiſſus. eius ſemper ingenium ac prudentiam domeſtici iuxta & externi ſummè admirabantur. ex Italia venit vna cum Iaponenſibus (ut dixi) Legatis, & cum ex Iaponia proram in Sinas obuertiſſet, à Viſitatore deſignatus, nihil territus Sciauquinis tumultibus, aut frugis faciendæ deſperatione, vel cæli inclementia, eiusq; cui ſufficiebatur interitu, ſed potius ſpreto aut diſſimulato conſtanter metu in ſtationem ſibi deſignatam inſtantius aſpirauit.

P. Franciſci mors, & vitæ anteactæ ratio.

Animi demiſſio maximè in eo elucebat. Paucis diebus ante obitum ſuum, fratrem è noſtris adiutoribus ad conſtantiam in religione retinendam adhortans, aiebat, ſe vocem Dei matris ad ſe loquentis audiuiſſe, cuius hæc erant verba: *Ingredere agedum fily mei Societatem, & in ea vocatione perſeuera:* cumque vultum obuertiſſet conſpecturus, vnde oraculum, præter Dei Parentis effigiem aliud ſe vidiſſe nihil. Hæc ille. In hac porro lethali ægritudine hymnum magnæ Matri ſacrum ad alterum lecticæ latus appendi iuſſit uti frequentius iteraret.

B. Virgo P. Frā ciſco de Petris apparet.

Dubitari quoq; poſſe non videtur, quin mortem diu ante præuiderit. nam domi neſcio quid ſalſamenti comparatum

fuerat,

fuerat, quod cum ille vidiſſet, etiam nunc ſanus clare prædixit, ſe minus temporis in viuis fore, quam quantum caro illa duraret; q̃ res ut erat ipſe hilari agendi conſuetudine à noſtris in iocum reijcitur. porro cum nondum æger eſſe inciperet, dixit illi, neſcio quis, conſumpta nunc eſt caro, & tu etiã nunc ſuperſtes? negauit ille, & locum in quo adhuc fruſtum eſſet deſignauit, interim vero, aduertentibus noſtris, nondũ ſalſamentum plane perijſſe, in morbum incidit grauem, ac moritur. Sub ipſum deniq; ægritudinis initium, cum ex valida corporis conſtitutione noſtri colligerent, vitam nondum in diſcrimen adductam, in lectulo ſedens, Patri Matthæo de peccatis confeſſus eſt, ſolito quidem accuratius, tum in pedes erectus, Socium amplectitur, dubium an fortaſſe deliraret. cum Pater reſidere & bono animo eſſe iuſſit, verum ille lachrymis cum nonnihil indulſiſſet, ſilentium ſingultibus interruptum abrupit in hæc verba: Ego ægritudinem noui, meq; ea moriturũ: inſtitit P. Matthæus. vide ne id feceris, & mihi laborem duplices in efferendo tuo cadauere, & ſucceſſore euocãdo. dicebat hoc ex eo, quod P. Almeidæ nondum domo elatum eſſet. noſtri enim vt in re noua quid conſilij caperent, ignorabant, & in re non difficili vanos metus metuebant. Huic ita reſpondit æger: nullam inquit nec in efferendo cadauere, nec in euocando comite, me vita functo, moleſtiam patieris. & ita planè accidit. vix enim de illius obitu Amacai auditum erat, cum è Metropoli Xauceum ſcapham è fratribus vnus aduexit, qua utrumq; cadauer elatum ad communem Collegij noſtri ſepulturam. quæ cum in Amacaenſem ripam aduenisſent, concurſus ab vniuerſa ciuitate facti, ſeſe noſtris adiunxerunt, funus ad tumulum vſque comitati. Panegyricam ad noſtros habuit orationem P. Eduardus Rector, qua pleroſq; ad eandem expeditionem admodum incitauit, confirmans ex hac ipſa morte illius Eccleſiæ colligi poſſe incrementum, quæ in

Mortem ſibi prædicit.

Funus utriusq; Patris Amacaum vehitur.

in cæleſtem aulam ad expediendа negotia militans triumphanti ſorori ſoror interceſſores amandaſſet.

Vterque intra biennium extincti, eos iam Sinenſis Philoſophiæ libris proceſſus fecerunt, prælegente P. Matthæo, uti ſcriptioni reliquum tempus darent, quod deuoratis principiorum ſpinis iam erat procliuius. atq; ita prope maturos cultores huius agri duos amiſimus cum prodeſſe potuiſſent, id fortaſſe gentis huius ſceleribus prouocatus Deus ita eſſe permiſit.

P. Lazarus Cataneus Sociis defunctis ſubſtituitur.

Sed ſepultis nunc Socijs ſucceſſorem euocemus: is fuit P. Lazarus Cataneus Italus, qui & ipſe quoq; inde ab Europa Iapones legatos fuerat comitatus, & in India huc uſque ſubſtiterat, oræ piſcariæ noſtrorum ſedibus cum Rectoris auctoritate Præpoſitus, & poſt inopinum P. Franciſci caſum in Sinas quoq; amandatus. nam tametſi alij erant duo Socij deſignati, tamen Theologicis ſtudijs adhuc detinebantur. hic ad cæterorum beneuolentiam & humanitatem non parum videri voluit addidiſſe. itaque noſtri iam in ſua ſtatione ſecuri degebāt, quanquam non diuturna fuit ſine metu quies, & tamen ſolus metus non malum fuit.

Gubernator autem, qui recens aduenerat, & à quo P. Franciſcus de Petris habitus veluti ab anteceſſore euocatus, initio initi Magiſtratus incidit in annum illum è tribus vnum, quo anno in Regiam ad ſolemnem Regi clientelam exhibendum ex officio de more pergebat: eius vicem ſupplere alterū illum aſſeſſorem noſtris nō mediocriter offenſum oportebat, quem conſtabat noſtros vel vexaturum, vel ſi poſſet expulſurum. conſtabat inquam non è ſuperiore tumultu magis, quam è minis, quas elabi ſibi non ſemel ſenſerat. voluit tamen clemens Dominus hoc metu noſtros, & periculo admirabiliter

Nouus Gubernator repentina morte extinguitur.

ſane liberare. nam cum is infra biduum triduúmue dignitatem eſſet aditurus, egreſſus matutinis horis in propriū aſſeſſo-

ris

ris ſecundi tribunal repentina morte prius expirauit, quam in ædes referri potuerit, cuius morte dignitas ad quartum aſſeſſorem noſtris beneuolum, aut potius protectorem deueniebat. ergo ereptus hic metus, & Socios & alios plures docuit Euangelij ſui præcones in numinis vmbra & protectione latitare, & labores ab eo vel auerti, vel ſemper in meliora commutari.

In Regiam Nanchinenſem P. Matthæus pergit.

CAPVT NONVM.

EX Viſitatoris è Iaponia reditu, occaſionem ſumpſit Pater Matthæus huius expeditionis ita ſtatuendæ, uti & ſecurior, & ad Euangelij Maieſtatem amplior redderetur. Nam tametſi iam vile profanorum Miniſtellorum nomen, quo noſtri appellabantur, domo proſcripſerat, ex eo tamen quod & noſtri barbam raderent Luſitanorum Sacerdotum more, & comam tonderent, & cælibes eſſent, Templum haberent, ſtatas preces recitarent, infami ſe nomine, & ad res magnas præſtandas inepto, ſeſe non poterant liberare. Functionum quippe ſimilitudo, res alioqui diuerſiſſimas, eodem nomine concludebat. Itaque Viſitatorem admonuit, omnino ſibi è re Chriſtiana videri, ſi barbam capillitiumq; alerent, ne pro idolorum cultoribus, & quod amplius eſt, eorundem ſacrificulis, quorum hoc eſt ſignum ex peculiari eorum inſtituto, haberētur. Monuit etiam non minus neceſſe, vſu depræhenſum, uti noſtri cultu habituq; Litteratos imitarentur, & è byſſo veſtem haberent vnam ſinguli, quam veſtem ad viſitandos Magiſtratus adhiberent, ſine qua cum litteratis aut magiſtratibus ex æquo congredi apud Sinas inuſitatum. Admonuit deniq; in in aliam ſedem ſtatuendam ſibi alio primo quoque tempore

P. Viſitator decernit de habitu Socijs geſtando.

commigrandum : vel ut Xauceani cæli intemperiem, quæ duos breui tempore nobis eripuerat, deuitaremus, vel ſi hoc minus placeret, uti noſtrorum ſtatio in duas ſedes diuiſa firmior redderetur, neque expeditionis totius fortuna in domicilij vnius infortunio reſideret.

Hæc omnia ita rationi conſentanea Viſitator iudicauit, uti facultatem fecerit, quæ petebantur exequendi, monendumq; de omnibus Præpoſitũ Generalem ac Pontificem maximum in ſe ſuſceperit. Atque ita Xauceani Patres, omnia ſenſim in morem inducebant, amicis comprobantibus, quibus gratũ fuit, cum noſtris ex æquo congrediendi, per ritus etiam ſuos ſibi fieri facultatem, quod cum ſacrificulis ſuis, ut liceat, in morem non erat inductum. Nam tametſi Magiſtratus atque litterati ſuperiore ſemper cultu noſtros proſequebantur, vel virtutis vel litterarum opinione permoti, quæ duæ res in ſimulacrorum cænobitis deſiderantur, Vulgus tamen cui hebeteriores ſunt oculi adhæc inſpicienda, nihil eos ab reliquis differre arbitrabatur, & magnates noſtra culpa prohibebantur ab æquali congreſſu, ne poſitos à nobis ipſis profano habitu vrbanitatis limites, præter morem ſuum prætergrederentur. Cum igitur in Magiſtratuum palatia ſe conferrent, viſitationum ritus è litteratorum conſuetudine, quæ à vulgari differt, petentes, ipſos quoq; Magiſtratus ad eoſdem reddendos inuitabãt. Sed eximendus hic eſt mihi complurium error in Europa, qui noſtros arbitrantur ad litteratorum in hoc regno gradum adſpirare. neque enim noſtri ſe pro Sinenſibus litteratis gerunt, ſed Europæis, nemini porro non arridet è Sinis, viros alioqui litteratos, vbi fuerint ſe pro litteratis gerere, regionis habitum cultumq; imitantes.

Patres ſe accõmodant ritib' Sinenſium.

Patres pro Europæis litteratis ſe gerunt.

Quamuis in Cantonienſi Prouincia infame ſacrificulorum nomen excutere nondum potuerunt; in cæteris tamen Prouincijs noſtri ab ipſis initijs litteratorum nomen & opinionem feliciter ac utiliter induxerunt.

De

De alia vero ſede ſtatuenda quod attinet, anno inſequenti, qui fuit milleſimus quingenteſimus nonageſimus quintus, menſe Maio oblata eſt eius tẽtandæ nõ inopportuna occaſio, cuius P. Matthæus frontẽ arripiens, Nanquinum quam celerrime nauigauit. Senatus militaris aſſeſſor primus, quem Sinæ Scilàn vocant, poſt varias in hoc regno dignitates domum ſeſe priuatus receperat, & in prouincia Quam-ſi multorum ſermonibus celebrabatur. Hoc tempore ſummus Iaponiæ totius Imperator Cabacondono, dicebatur Coria Regnum Sinenſi vicinum & vectigale, infeſtis armis impetere, cui ſubſidium ferre, Sinenſis Imperator exercitu ſupra mortalium octuaginta millia, ſtatuiſſet, eos, qui rei bellicæ fama incliti erant, conquirebat: quos inter hunc de quo agimus, in Regiam vrbem cum eodem officio reuocauit, quod Proregum dignitatem longo ſuperat interuallo. Huic erat filius annorum fere viginti, qui p̃ verecũdia ſimul ac dolore, in inſaniam inciderat, eò quod primo litteratorum gradu in examine excludebatur. Hunc parens uti ad ſanam mentem reuocaret, nihil non tentauerat, ſed euentu plane nullo: & quoniam eum vnice diligebat, in Regiam ſecum iam inde à patria, quæ Sciauquino adiacet, deducebat, ubi in mentem illi venit, fore fortaſſe, uti Patrum quod vnum cæli Dominum venerarentur virtute ac precibus poſſet filius in priſtinum ſtatum reuocari. Ergo à militum præfecto, ad ſe Nauigio Patres vocati, ita excepti ſunt, ut ſtupuerint, quotquot aderant Magiſtratus. Inde expletis ſalutantium officijs, multa de Europa noſtra, de Christiana Religione plura ſciſcitatur, E qua in filij caſum ſermone ex alio in alium lapſus deuenit; obteſtatus, ut ſi quid poſſet in hac re, ne facere detrectarent. Reſpondit P. Matthæus hoc negotium tanta temporis breuitate confici non poſſe, ſed cupere ſe cum filio in Chianſinenſem Prouinciam excurrere, ibiq; ſperare, ut ad mentis ſanitatem reuocetur.

P. Matthæo Ricio alia ſedis ſtatuendæ occaſio offertur.

Placuit

Placuit ea res Parenti, & quamprimũ Xauceano Gubernatori imperauit, uti diploma ſigillo eius munitum Patri ad iter daret, quo diplomate fiebat illi in Chianſinenſem Prouinciam excurrendi facultas, ipſe verò præiuit, quem Pater poſtridie, vna cum Amacaenſibus adoleſcentibus duob⁹ Societatis noſtræ tyronibus, & duobus famulis ſubſequutus eſt, & aſſecutus in prima Prouinciæ Chianſi ciuitate, cui nomen Nangan. A Neophytis Nanchiunenſibus magnopere adiutus eſt, ad Montem transmittendum vna cum ſarcinis. Mons iſte Muilin vocatur, medius inter duo flumina, & utriusque prouinciæ limes, commodum diei vnius iter, celeberrimus fortaſſe toto regno tranſitus. nam in eius pede ad Auſtrum Nanchiuni nauigari incipit flumen, è quo in Cantonienſem Metropolim, & inde in auſtrale mare deſcenditur. ex altera vero montis radice in vrbe Nangan, aliud ingens flumen naſcitur, quod Chianſinum & Nanchinum Prouincias, aliasq; vrbes permultas luſtrat, donec in mare ad ortum deferatur. unde è plurimis huc prouincijs in cæteras trans montem ad Auſtrum, & viciſſim prouincias plurimarum mercium ſarcinæ transmittuntur, contra vero quidquid è regnis externis Cantonem peruenit, in eodem itinere in regni penetralia defertur, & viatores quidem, equis & ſella geſtatoria baiulorum humeris deportantur, cætera iumentis baiuliſq; ad ſtuporem prope innumeris, die quolibet inferuntur, atque ita negotioſiſſimæ ſunt hæ duæ ciuitates, & tamen tantus ordo, ut breuiſſimo tempore complurimi mortales cum ſarcinis transmittantur. Mons communis eſt utriq; Prouinciæ, quorum diſcrimen eſt ingens porta inter prærupta ſaxorum extructa. Inuius olim erat, ſed ars & vis peruium reddiderunt. Iter vniuerſum ſaxis ſtratum, & arboribus conſitum, hoſpitijsq; ita frequens, ut nocturnis æque ac diurnis horis commeare cōmode poſſis & ſecure. neq; enim militum excubiæ vel viatorum frequen-

Duo flumina celeberrima.

Ciuitates duæ negotioſæ Nangan & Canton.

frequentia latrocinijs locum reliquit, ſed neque imbres uſpiam iter claudunt torrentibus demerſum. In montis apice fons aquæ potabilis ſcaturit. ibidem fanum eſt perelegans, & in fano præſidium militare. Hinc in utramq; Prouinciam liber eſt oculis excurrendi locus.

Sed transmiſſo monte tantiſper in Auſtrali diuerſorio (hoc enim Nanghan ſonat) quieſcamus. Habuit hic P. Matthæus magnum ſpectatorum, & ex vrbe aduentantium concurſum, quos Xauceo ſparſus rumor euocabat: & euulgatum, eum in comitatum à ſummo Magiſtratu itineris admitti, cuius iuſſu in vnum è nauigijs ſuis immiſſus eſt, donec in vrbem Canceu perueniretur. hoc itinere toto in illius ipſius nauigium frequens itabat, & de moribus ac ſcientijs Europæis, deque ſanctiſſima lege noſtra longa colloquia ferebantur, quibus omnibus mire ſe oblectari, & Patris contubernio gaudere præferebat: nec raro domeſticis eum familiariter epulis adhibebat. Verum enim vero tanta fuit obuiorum Magiſtratuum multitudo, à quibus viſitatus obruebatur, ut nunquam hoc itinere toto cõmodum cum filio colloquendi tempus inuenerit. Hoc igitur ipſius Parentis authoritate dilatum: nec cum eo ſolum, ſed etiam cum reliquis è familia primoribus arctè amicitiæ iura contracta, quæ res non parum felicem eius excurſionis progreſſum promouebat.

P. Matthæus in vrbem Canceu peruenit.

In hac vrbe Canceu Prorex reſidet Prouinciali Prorege ſuperior. eum quatuor Prouinciarũ Proregem vocant: Chianſi videlicet, Fuchien, Cantonis, & Vquàm. non quod illi pareant nominatæ Prouinciæ omnes, ſed quia è ſingulis finitimas regiones duas, id eſt, Prouincias minores gubernat. Huius Proregis, præter ordinem, conſtituendi hæc ratio fuit. hic olim locus latrocinijs infeſtus erat, & cum in diuerſas Prouincias pateret fuga, non ita facile reperiebantur, aut plectebantur: inter plures enim eſt rara conſenſio: ergo Proregibus ſin-

Proregis conſtituendi ratio in vrbe Canceu.

gulis binæ regiones ablatæ, in quas ſeſe latrones recipiebant, & vni traditæ, qui militaribus excubijs feliciter ſane ſalutariq; conſilio latrocinia repreſſit: & quoniã Magiſtratus quorum imperio militares turmæ ſubſunt, omnes ad bellicũ tribunal Pechinenſe pertinent, hîc exceptus eſt aſſeſſor illius tribunalis celebriore apparatu. nam obuiam illi miſſi ſupra militum tria millia; ab vrbe cum leucam vnam etiam nunc abeſſet, ij ſolemni habitu, vexillis, armis, ac ducibus inſignes procedebant, quos inter permixti erant ſclopetarij non pauci, qui feſta ſcloporum diſploſione tranſeuntē exciperent, & inſignem ſanè pompam ex utraq; nondum latiſſimi fluminis ripa explicabant. Cum in vrbem perueniſſet ille ipſe Prorex cum cæteris Magiſtratibus vrbanis, eum viſitatione, muneribus, cõmeatu, conuiuijsq; cohoneſtarunt: additæ ad nauigiorum excubias nocturnas, aliquot militum turmæ. ſed hoc quod iſti fecerunt accuratius ubique factum intelligas velim. tanta eſt ſimilium Magiſtratuum apud Sinas & inferiores veneratio. In hac vrbe flumen è colligatis ſcaphis pontem patitur, nec niſi ſemel quotidie transmittendis hinc inde nauigijs patet, poſtquam vectigalia perſoluerunt. Hic P. Matthæus uti liberius incederet, ſibi ſcapham ſumpſit, & cætera nauigia ſequebatur. Poſt hanc vrbem transmiſſam, aliud flumen ſeſe huic immiſcet, & eius magnitudinem auget, inde in locum deuenitur triginta fere miliaribus longum, in quo ſcopuli multi toto flumine ſparſi, frequenti naufragio infamiam comparant. nam aquarum vortices ita rapidi ſunt, ut niſi nauarchos habuerint peritiſſimos, nauigia, fluminis impetu rapta, deferãtur ad ſcopulum allidenda, cum ſarcinarum iactura & demerſorum viatorum interitu. hic locus ab octodecim torrentibus Sciepathan vocatur. Res ſanè mirabilis, in medio continentis vadoſum adeo flumen ac ſcopulis velut acutè præfixis ſparſum reperiri.

Sceilanus põpa celebri excipitur.

Locus frequenti naufragio infamis.

Huius

Huius initio fluminis vadoſi fanum eſt idolorum, in quo nautæ ac viatores ſolent diſcriminis feliciter enauigandi fortunam commendare. Hoc fecit ille, qui nauigabat Sceilanus, ſed fructu plane nullo. Nam tametſi ipſius nauigiũ nautarum multitudine & laborantium induſtria ſcopulũ eluſit, alterum tamen quo vxor & filij vehebantur, nemine licet pereunte alliſione diffringitur, propterea quod altitudine ſua flumen vadoſum nauigium ſuperabat, in cuius ſupremam contignationem omnes confugerunt. Et quoniam mulierum & puerorum erat timida multitudo, miſerabiles pereuntium eiulatus in non extreme periculo reboabant. Audijt forte clamorem primus ex vniuerſa multitudine P. Matthæus, & accurrens in celocem ſuam omnes recepit, ipſe egreſſus in ſcapham deſcẽdit exiguam, quæ ad iter demonſtrandum præibat.

Naufragii periculum.

Hoc infortunio territus Magiſtratus, Canceum ſubito miſit, qui aliud grandiuſculum nauigium vxori ac filijs peteret. Neque gratias ingentes Patri Matthæo agere prætermiſit, eúmque in ſarcinarum ſuarum nauigium interim miſit, dum aliud Canceu adueniret, quod exiguam moram fecit, ſed cum diurnis horis veniſſet, noctem ad mulierum ingreſſum oportuit præſtolari.

Sed neque hic ſtetit infortunium. nam ad Patrem quoq; Matthæum pars magna peruenit. Eius quippe nauigium cum in alueo profundo extra ſcopulos nauigaret, ſubita vi ventorum à latere concutitur, cui cum velum obuerti tempori minime potuiſſet, ceſſit, ac ſe reclinans in latus, omnes quotquot erant in flumen excuſſit. Pater Matthæus in alueum vſq; peruenit, & cum enatandi artem minimè calleret, in alueo poſitus ſe Deo commendabat, ſatis lætus quod in ſimili cauſa interiret. Ibi neſcio, vnde funem ſui nauigij arripiens erigi cæpit, & tandem capite tenus emerſit, inde in quodam ligno quod fluitabat inequitans, etiam ſcrinium ſuum ſupernatans

P. Matthæus Ricius cũ ſuis naufragium facit.

 arripuit,

arripuit. Et quoniam altum erat nauigium, altera pars ex aquis eminebat, in quam ipſe ac pleriq; conſcenderunt. Socium habebat Ioannem Barradas, adoleſcentē vnum ex ijs, quos dixi, is inferiorem fortunam ſortitus è flumine nunquam emerſit, fortaſſe in ipſo alueo ſeſe neſcio, quibus impediuit. nam etiam pueri ac infantes Matrum vberibus admoti cum reliquis euaſerunt. Huius ſocij iactura, qui magnam de futura virtute ſpem dabat P. Matthæus, ita conſternatus eſt, vt ſerio dubitauerit, expediret nec ne vlterius progredi. Verum collectis animis meliora de diuina bonitate ſperans, ſeſe ad reliquum iter accinxit.

Adoleſcens aquis ſubmergitur.

Magiſtratus is, qui Patrem ducebat in duorum nauigiorum naufragijs, omnes prope ſarcinas ſuas amiſit, & quæ ex alueo vrinatores eduxerunt, iam aquis corrupta laborem eluſerunt. Et tamen in his infortunijs meminit ad Socium conſolatores mittere de comitis adoleſcentis interitu, ad cuius funus curandum etiam nummos pro munere ſubmiſit. Proſequuti ſunt igitur iter in ciuitatem, cui Chiengan nomen eſt, nobilem ſanè & populoſam, vbi nocturnus ventus tanto impetu irruit, vti nauigia omnia diſperſerit, nec diſcrimen abfuit alterius hic quoq; naufragij. Ergo ſiniſtro territus augurio nauigationem omittendam ſibi iudicauit, Pechinenſe iter terreſtre aggreſſurus. neque enim ſuo ſumptu id facturus erat ſed regio ex more. nam certis in locis equos, lecticas, baiulos, commeatum, & reliqua reperturus erat. in hac deliberatione de remittendo Patre Xauceum cogitare cæpit, ne ſeipſum periculo exponeret calumniæ, quod inter bellicos tumultus externum hominem in Regiam adduxiſſet. id vbi ſenſit Pater, è familia Magiſtratus duos ad ſe accerſit, & vitrum trigonum, in quo mentiti colores, in vtraq; fluminis ripa & in vrbis conſpectu magna cum voluptate ſpectabantur. Dixit igitur cupere ſe id hero ſuo donare, ſed primum ſcire ſe oportere, an cum

Aliud infortunium.

eo

eo Pachinum vſque ire ſineretur, alioqui ſe Xauceum ſine vitro minime rediturum. id faciebat vti heri voluntatem ex ijs expiſcaretur, qui tametſi ſcirent, quid ipſe ſtatuiſſet, arbitrati tamen hanc eſſe gemmam valoris immenſi, eum admonendum iudicarunt. Pridie quam diſcederet, per eos ipſos vitri ſpectatores Patri renunciari iubet, ſe ſarcinarum ſuaruum partem, cum famulis aliquot flumine transmittere, cum ijs ſi vellet licere ſibi Nanchinum vſque nauigare. nec abnuit Pater, ſi id cum eius facultate ac diplomate liceret. Ergo eum inuiſens vitro trigono donauit, ac nolenti pene per vim ingeſſit. qua ex re ſatis ſe noſtris adſtrictum prædicabat, nec vllum finem faciebat gratiam referendi. Inde cum de loco agerent, in quem volebat noſter conſcendere, auctor illi fuit, vt in Metropolim Chianſi Prouinciæ ſe conferret, habere ſe eo loci amicos complures, ex eo, quod primariam olim ibi geſſiſſet dignitatem. verum Nanchinum vti ire liceret modeſte inſtitit, donec impetraret. ergo vrbis Chiengan Gubernatori dedit in mandatis, vti P. Matthæo in iter publicum diploma daret, quod ipſe fecit ſane luculenter. referebat enim quanto tempore intra Sinenſe regnum, & vbi fuiſſet cōmoratus, facultatem illi faciebat Nanchinum & Cechianum Prouincias inuiſendi, monebatque omnes Magiſtratus, uti ei moleſtiam inferri non permitterent. diſceſſit igitur Nanchinum verſus ſecure admodum, & ſæpe militum manipulo comitatus, eodem quippe cum duobus famulis Scillani vehebatur, & omnibus ex locis obuios habebant milites ac præfectos, ratos eo nauigio, ſi non ipſum Magiſtratum, ex eius filijs aliquem vehi. hoc itinere toto raro excendit P. Matthæus, ne quem obicem inueniret. Verum cum in Metropolim ſupra nominatæ Prouinciæ deueniſſet, quę extremo loco ad Boream ſita eſt eleuati ſuper Horizontem poli, gradu nono ſupra vigeſimum. excendit, ſeq; pro Scillani domeſtico geſſit, & cum dubitaret,

P. Matthæus Nanchinum proficiſci impetrat.

quo ſe potiſſimum reciperet, ignorabat enim, qua in vrbis regione commorarentur amici quidam, ad quos litteras deferebat, in fanum celebre ſe contulit, cui à columna ferrea nomen impoſitum. Fabulantur enim quendam, quem Huiuaſin vocant, ante plures annorum centurias huic populo multa profuſe largitum, ex eo, quod illum ferunt ex hydrarghyro argentum minime adulterinum magna copia eduxiſſet, alijsq; modis plane diuinis hanc vrbem ab immani Dracone liberaſſe, eumque terra obrutum ad columnam ferream, quæ ibi viſitur alligaſſe, ac deinde in cælum, cum vniuerſa domo ſua, imo & muribus ipſis euolaſſe. Huius fani moles plane viſenda eſt, è cuius regione nundinæ ſunt perpetuæ, in quibus nihil deeſſe iudicaris. eiusdem miniſtri ſunt ex ijs ſacrificulis, quos libro primo Thauſu nominaui. ij barbam & capillitium alunt.

Fanũ celebre.

Cum id fanum ingrederetur P. Matthæus, magni ad eum concurſus facti, & ab ipſo nauigio cæpti, donec in templum perueniretur, aucti ſunt: hi aduenam videre, rem ea in vrbe ſacram geſtiebant, arbitrabantur eum omnes huius idoli celebri fama euocatum, è remotis regionibus adueniſſe. Sed vbi animaduerſus eſt nullam ſimulacro venerationem exhibere, monitus eſt ab aſtantibus, id ne facere detrectaret, quod maximi Magiſtratus factitabant. verum cum hac denunciatione nihil moueretur, metum iniecerunt, aſſerentes fore uti graue aliquod infortunium pertinaci immineret, ſed ad hæc etiam ſurdum per vim eum raptare parabant. niſi ex eodem nauigio neſcio quis tumultuanti multitudini dixiſſet, aduenam illum nulla venerari idola, quo audito conquieuerunt. neque enim apud Sinas cuiquam vis in cauſa Religionis, maxime ſi externus fuerit, ſed in ea re ſumma libertas, aut potius ſectarum perturbatio, quæ tamen ad rem noſtram valet non parum. Pater Matthæus igitur, cum aduerteret nullo ſe fructu multi-

Aduenas vidẽdi cupiditas.

P. Matthæus idolum venerari recuſat.

multitudinem maiorem ac maiorem accerſere, in nauigium ſe recepit. denunciauit tamen ijs, qui eum officioſius comitabantur, vna ſe veniſſe cum bellici Tribunalis aſſeſſore, quem nemo qui ea in vrbe erat, non noſſet. Eius famuli heri ſui amicos inuiſerunt, ſed nemo eos pluribus officijs frequentauit, quam Proregis Medicus, à quo multis donati muneribus abierunt.

Vix extra Metropolim nauigatur, cum occurrit viatoribus lacus magnitudine ſua reliquisq; viſendus. in omnibus in orbem ripis quantũ oculi aſſequi poſſunt innumera ſunt oppida, Vici, Villæ, Caſtella, hinc in prouinciam Fuchien, & inde in mare ad ortum tranſitus eſt. inter cętera oppida vrbs eſt, cui nomen Nancan, ad pedem montis Liu appellati. in eo monte varij ſunt Anachoretę, qui ſinguli ædicula in ſua corporis afflictationibus maxime inſudant. Ædiculas iſtas tot eſſe ferunt, quot diebus ſolaris anni curſus continetur, & inter prodigia referunt, ſereno vbiq; cælo ſemper eum montem nubibus aut nebulis tegi, atque ita è lacu mons ille alioqui vicinus conſpici nunquam poteſt, curſus huius fluminis ſecundus eſt quidem hic etiam Nanchinum nauiganti, ſed in hac latitudine ita piger eſt, vix ut aduertatur. vnde facilis eſt velis inflatis, in quamlibet illius partem nauigare. vbi lacu exieris, ex Vquam prouincia labitur fluuius ingens, dui aquas ignobiles amiſſo nomine in hoc ipſum flumen immittit. Ergo ob inſignem eius latitudinem hinc Yamſu vocatur, quod filium Maris ſonat, & multis in locis ad duo triáue milliaria excurrit latitudo. non vacat ea nauigatio periculo. nam procellis ſuis mare Parentem ſuum imitatur, & ferunt etiam eum, qui in id flumen inciderit, aquarum vorticibus ita rapi, vt paucis ars natatoria ſaluti eſſe conſueuerit. hinc fit, vt Sinæ plerumq; timide illud nauigent, & frequenter naufragium patiantur. in eo nauigia prægrandia nauigant, & fortaſſe naues non maximæ,

Lacus celeberrimus.

Mons Liu, ubi varij Anachoretæ.

Flumen Yamſu filius maris.

mæ, ac triremes noſtrates è mari huc vſq; penetrarent. multis alijs deinde fluuiolis augetur, nec noctu nauigatur, ſed in portum aliquem ſeſe cuncti recipiunt, quod etiam facile fieri poterit, quoties procella ingruerit. ad hunc vſque lacum, æſtus maris noua plenaq; luna perueniunt. alijs diebus aduerti non poteſt, Nanchini tamen nullo non die ſentitur, tametſi aqua potabilis vim ſalſi maris adhuc eludit. Nanchinum vbi perueniſſet, in hoſpitium quoddam ſuburbanum exſcendit, & hic eum aſſeſſoris famuli reliquerunt.

P. Matthæus Ricius Nanchino turpiter eiectus, in Chianſi Prouinciæ Metropolim ſe recipit.

Caput Decimvm.

Nanchinum Metropolim P. Ricius peruenit.

HÆc Metropolis Nanchinum appellatur, tametſi apud Luſitanos fere, qui famam vrbis nobiliſſimæ à Fuquianæ prouinciæ incolis acceperunt, Lanchinum appellatur. In ea quippe Prouincia littera N. in L. ſolet commutari. Alio nomine quatenus eſt regio, communi eius nomine Intienſu appellatur, ex eo quod Regionis ibi Gubernator ſedem figat. Hæc eſt illa ciuitas, à qua Sinarum iudicio cæteræ totius orbis vrbes non magnitudine minus, quam pulchritudine ſuperãtur. Et ſanè paucis poteſt inferior iudicari. Plena enim eſt maximis palatijs, fanis, turribus, pontibus, quæ tamen omnia ab Europæis generis eiuſdem fere ſuperantur, ſed in alijs ſuperat. Excellit etiam cæli clementia, ſoli feracitate, ingeniorum bonitate, morum ſuauitate, ſermonis elegantia, incolarũ multitudine, ex omni ordine vulgi litteratorũ ac Magiſtratuum, qui poſtremi & numero & dignitate cum Pequinẽſibus comparantur, tametſi ex Regis abſentia, ipſa æqualitas redditur inæqualis. Atque ita toto Sinarum regno, & regnis conterminis vulgo collatis in vnum omnibus, prima iudicatur.

Nanchini vrbis deſcriptio.

Hæc

Hæc vrbs trium quoque murorum circuitu cincta eſt: primus eſt Regij palatij ſanè ſuperbiſſimi. Illud quoq; triplici muro cingitur in arcis modum, & foſſis quas aqua oppleuit in gyrum excauatis. Illud intra quatuor aut quinq; Italicorum milliariorum circuitum in orbem patet. Et quidem audeo dicere, nullum uſpiam Regem palatio ſuperare, non ſi ſingula cum ſingulis, ſed ſi omnia cum omnibus comparentur. Hæc aliquando alio volumine compræhendemus. Alter murus cingit ipſum denuo palatium & maximam ac pręcipuam vrbis partem, is portis duodecim interrumpitur, eas laminæ ferreæ armant, & bellica tormenta è regione intra vrbem conſtituta muniũt. Hic murus alter octodecim Italica milliaria ſuo ambitu complectitur. Tertius murus externus non eſt vbique continuus, ſed vbi periculum aliquod imminere poſſe iudicatum ars naturæ munitionẽ ſuppleuit. Eius circuitus ſciri vix poteſt. Indigenæ tamen dicunt ſubmiſſos aliquando in equis duos, alterum hinc, illinc alterum diſceſſiſſe, vtrumque vero in ſolis occaſu conueniſſe, ex quo conijcere quilibet poterit, prodigioſam eius vrbis vaſtitatem, maximè quod circularis ferè figura cæteris capaciſſima, reddat aream laxiorem. Intra huius muri ambitum magnæ licet ſint hortorum, montium, nemorum, & lacuum intercapedines, maxima tamen illius pars frequentiſſimè habitatur.

Regium Palatiũ Nanchini.

Murus triplex.

Præſidiarij eam (quod vix credi poteſt niſi oculati teſtes ſerio confirmarent) ſolam vrbem milites ad quadraginta millia cuſtodiunt. Habet polum ſupra finitorem duobus ac triginta gradibus eleuatum, atque ita in medio regno, ſi Mathematicam latitudinem ſpectas, eſt fere conſtituta. In illius occaſum flumen mox nominatum præterluit, cuius dubitari poteſt, vtilitas vrbem farciat, an amænitas magis cohoneſtet. Nec ſolum pręterluit, ſed inducti locis pluribus in vrbem canales, nauigijs etiam maioribus in vrbem ingreſſum aperiũt,

Memorabile præſidium vrbis.

quos maiores arte laborem fatigante effoderũt. Hinc factum eſt, vt olim totius regni caput fuerit appellata, & antiquorum Regum multis ſæculis ſedes planè percommoda. Et tametſi Pequinum ad Boream ea ex cauſa, quam libro primo monui, commigrarit, de ſuo ſplendore tamen ac frequentia vel nihil amiſit, vel ſi quicquam ei deeſt, etiam admirabilior olim fuiſſe iudicetur.

P. Matthæus à medico noſcitur.

In agrum igitur ſuburbanum delatus, exſcendit P. Matthæus, qui quidem extra tres illos murorum ambitus ita latè patet, ac frequenter habitatur, ut altera vrbs prægrandis poſſit appellari; conſpectus eſt à Medico quodam, amico vnius è filijs Proregis illius Sciauchini, qui noſtros expulerat, hic ait; profecto amicus eſt quinti Leu (nam quintus erat ipſe filius & Leu Proregis cognomen) ergo poſtquam domunculam conduxit, miſit ad medicum, qui ſciſcitaretur, Proregis filius, an reſideret Nanchini, nec ne? poterat enim ab eo fauorem aliquem ſperare, vt optatum finem conſequeretur. Audito eum hic ſubſtitiſſe, inuiſit magno vtriusq; gaudio eo maxime adnitente, cum varijs primoribus familiaritatem contraxit, à quibus frequens ad epulas vocabatur, & honore omniq; officiorum genere colebatur, Vrbem ingrediebatur non raro, ſed ſella geſtatoria tectus, tum ne quid rumoris cieret, tum ad aliquam, quæ inter Ethnicos neceſſaria eſt maieſtatis opinionem: his adde iter ad amicorũ ædes plerumq; ita longum, vt robuſtum viatorem poſtularet. hoc amicorum auxilio fretus, cæpit agere de collocãda ibidẽ ſtatione: ad eam rem commemorabat, dudum ſe in Cantonienſi prouincia vrbis nobiliſſimæ fama permotum, peroptaſſe ſedem in ea figere, & quod reliquum vitæ ſupererat, quiete tranſigere. nam de ſanctiſſima lege noſtra euulganda, voluntatem primis ſemper initijs occultabat. in amicis par erat deſiderium, nec ad eam rem obicem vllum cauſabantur. ſpondebant etiam per ſe ac

Nanchinum vrbem ingreditur.

ſuos

ſuos auxilium & fauorem: interim vero dum varij modi ſedis tuto figendæ in deliberationem vocantur, renunciatum eſt P. Matthæo, Nanchini degere familiarem quendam ſuum in Cantonienſi prouincia, nomine Sciutagim, qui non mediocrem gerebat in ea regia magiſtratum: hunc olim in alio inferiore magiſtratu ſphæra ſeu globo cæleſti, & clepſydra horaria, quæ in hanc diem Sinæ magni æſtimant, donauerat, & in eo varia veræ neceſſitudinis officia expertus erat, & ſupra biēnium quidem cum ad hoc ipſum munus ineundum Xauceo nauigaret, voluit ſecum Nanchinum Patrem abducere, eo verò tempore res Xauceanæ id non permittebant. hac re audita, & cum Proregis filio communicata exilijt præ gaudio, ratus id ſe à Deo conſecutum, quod quotidianis per eos dies ſacrificijs, & diu ante poſtulabat. Ad eum igitur ſe contulit in ſolemni litteratorum habitu, nec vacuis manibus, quod multi ſæpè proſpectant.

P. Matthæus Sciutagin familiarē adit.

Hic, de quo nunc agimus, adeo auarus eſt, vt domi non frugalem ſolum, ſed prope mendici vitam viuat, & in eo totus ſit, vti ex alia in aliam dignitatem euehatur. vnde etiam deinde Nanchini aſſeſſoriā Scillanus dignitatem geſſit, id eſt, Tribunalis vnius ſummo Præſidi aſſeſſor fuit. Is inquam primo conſpectu reſtitit, attonito ſimilis, ex inopinato Patris aduentu, Verum ſtuporem blandientis munuſculi cupiditas abſterſit. eum igitur feſtiuè excipit, & intromiſſum etiam ad conſeſſum adhibet, ſciſcitatur cauſam aduentus, & quî valeat. reſpondit P. Matthæus, vt ei blandiretur, veniſſe ſe illius videndi deſiderio permotum, & in eam rem, à bellici Tribunalis aſſeſſore, patentes ſe litteras Nanchinum vſq; impetraſſe; in votis autem ſibi eſſe ſtationem Nanchini ſub eius protectione & vmbra collocare. ea re tantus in miſerum irrepſit metus, vt ſubito in ſuſpiria, elata etiam voce, proruperit, dicebat male ſe ſibi conſuluiſſe, quod Nanchinum veniſſet, non eſſe vrbem

Sciutagin P. Matthæo auxilium negat.

illam, in qua externis ſedes permitti poſſet, tumultus inde non paruum iminere diſcrimen. In eo vero, quod ad ſe viſendum veniſſet, omnino aberraſſe: cæteros inde Magiſtratus criminationis anſam arrepturos, quaſi vero ille Nanchinum aduenas euocaſſet, P. Matthæus aſſeſſoris Pechinenſis litteras patentes eduxit, à quo ipſe multis dignitatum gradibus ſuperabatur, ſed nulla re placari, nulla ſatis ſibi fieri voluit. ergo Patrem remiſit, multa cauſatus ſe auxiliari nullo modo poſſe, monebat quoque, vt quamprimum Nanchino excederet, & alio quopiam ſe conferret, deinde herum ædium, in quas ſe Pater receperat, in ſuum tribunal vocari iuſſit. Nondum domum redierat, & iam infidelis amici apparitores præceſſerant. Ergo Pater eam perturbatam reperit, ac metu perculſam, ex eo, quod apparitores illi, vt aliquid emungerent, metum auxerant, aſſerentes, indignatum in Patrem herum ſuum, quod Nanchinum appuliſſet. & ſane ipſe quoq; P. Matthæus nonnihil verebatur, ne quid innocens ſua cauſa pateretur.

Hoſpes P. Ricij ad tribunal vocatur.

Is ergo à Patre Mattheo, diſſimulato metu, animatus, in tribunal ſe contulit, inter ſpem fluctuans & metum. Eo conſpecto Sciutagim Magiſtratus prope in furorem exarſit, criminabatur eum cum externis commercia miſcuiſſe, quod crimen apud Sinas in perduellione reputatur. cauſatus eſt hoſpes aſſeſſoris Pechinenſis domeſticos, aduenam illum domũ ſuam adduxiſſe, patentes ab eo litteras oſtendiſſe, quod, ne aſſeſſorem offenderet, adduci ſe paſſus non eſt, aut finxit id incredibile ſibi videri, & præſetulit quod miſellum quæſtioni ſubijcere vellet, quaſi tormentis expreſſurus, ecquid commercij cum externis aliorum regnorum contraxiſſet. Verum prius publicum ad ſe Notarium ſui Tribunalis accerſit, cum quo ſine dubio prius conuenerat, interrogat, notus ei ſit nec ne externus ille, qui ad ſe paulo ante adueniſſet? Notarius erat ex ipſa Cantonienſi prouincia Sciauchinus. Reſpondit igitur

tur eum ſibi probe notum eſſe: annis ſuperioribus, eundem à Protege Sciauchino pulſum, pro ſeditioſo habitum, & quod malum aliquod Sinenſi regno moliretur. hic velut ad rem nouam vociferari denuo cæpit diſſimulator aſtutus. planè inquit, morte dignus es, qui talem aduenam domi tuæ exceperis. Verum de re tanta ſe accurate diſquiſiturum; qua denunciatione miſellus ita expauit, ut toto corpore contremiſceret. Verum paulatim placatior fieri cæpit. omnis enim hic furor eo tendebat, vt ne quiſquam arbitrari poſſet, aduenam illum ab ſe accerſitum. Ergo præcepit vti aduenam, quem hoſpitio exceperat, Cantonem vsq; reduceret, & à Chianſi Prouinciæ magiſtratibus fidem publicam exigeret, qua conſtaret aduenam illum Cantonienſi Prouinciæ reſtitutum. Sed cum ille inopiam cauſaretur, neque domo ſe abeſſe poſſe aſſereret, acquieuit. impetrauit tamen, & ab eo ſcriptum exegit, quo in ſe reciperet, ſe aduenam illum domo eiecturum, in ſcapham renauigaturum immitteret: quod fecit, vt ſcriptam fidem exolueret. Eiusq; rei teſtimonium ab illis accepit, qui nauigijs poſtridie diſcedentibus ex more præfecti erant.

Sciutagin imperat P. Matthæum è domo eijci.

Hoc infortunio præter opinionem affectus eſt Pater non parum, quem etſi amici hortarentur, vti Sciutagin imperata negligeret, & vel alibi Nanchini, vel in alio quolibet vicino loco ſubſiſteret: verebatur enim peiora, ſi aduerſo Magiſtratuum flumine nauigaret. ſtatuit igitur eam nondum eſſe numinis voluntatem, ſine cuius nutu hæc ei præter animi ſententiam minimè cecidiſſent. Ergo in Prouinciam Chianſi proram obuertit. Et cæpit non aduerſo minus flumine quam animo remigare. Sic enim ſtatuit è Prouinciæ illius Metropoli non admodum diſſita, rem Nanchinenſem poſſe tractare, & in omnem rei bene gerendæ occaſionem intendere, adhibitis in eam rem amicis, maximè quos fecerat, à quibus deinde rebus bene comparatis euocaretur. Ibat mœſtus bonus Pater

toto hoc itinere, in memoriam reuocatis tot laboribus & periculis aditis, & quidem nullo operæ fructu, cum illi vota omnia in vanum recidiſſent. nõ aberat à Metropoli Chianſi procul, & totum vnum diem cogitabundus quid faceret abſumpſerat, qua in cogitatione fatigatus obdormiuit.

Somnium diuinum P. Matthæo obiectũ.

In eo ſopore videre ſibi viſus eſt hominem ignotum, à quo hæc audire ſibi videbatur. Itane tu hoc regno vagaris eo animo, vt antiquam religionem extrudas, nouam intrudas? Pater Matthæus, qui vt mox hunc animum ſuum primis initijs occultabat, reſpondit: aut te dæmonem eſſe aut Deum oportet, cui hæc quæ nemini dico, comperta ſunt: Minimè ſum dæmon, verum Deus. Pater vero Matthæus velut qui eum repererat quem quærebat, ad eius pedes corruit, & lamentabundus in hęc verba prorupit: Si hoc Domine mi votum noſti, quid eſt cur adiutricem tantis rebus manum non exporrigis? Et his dictis ad illius pedes proſtratus lachrymis acrius, quam verbis loquebatur: tum Dominus eum ſolatus, dixit: Ego in vtraque tibi vrbe regia propitius ero. Prope totidem verbis, quot olim Beato Parenti noſtro Ignatio auxiliarem Dominus Romæ promiſit manum. Deinde ſibi viſus eſt in vrbem regiam, liberè ac tuto ingredi nullo prohibente. Excuſſo ſomno lacrymis nõdum exſiccatis, Socio qui æquè prope mœſtus erat, vt eum ſolaretur, viſa narrauit. Viſum enim illi ſomnium illud aliquid habuiſſe diuini. Et ſane per omnia prædictioni reſpondit euentus. Nam cum annis proximè inſequentibus Pequino quoque, re infecta, rediſſet, in ea Nanquinenſis vrbis parte exſcendit, quam ſibi in ſomno ſe vidiſſe meminerat, Et in ea vrbe ita liberè ſedem fixit, vt res inter clariſſima prodigia referri poſſe videatur. Nec de Pequinenſi ſede, quam deinde admirabiliter ac feliciter erexit, quicquam hîc, ne in ſequentibus ſuam videar deflorare nouitatem.

P. Matthæus Nanquinum redijt.

In hoc ipſo itinere, nactus eſt amicum quendam Metropolis

polis ipſius ciuem, qui conductitias familiaris ſui ædes, in quas demigraret, ei deſignauit. Ergo exſcendit ille prius, & ſubmiſſis baiulis, Patris Matthæi ſarcinas in ædes illas exportauit. Geſtatoriam quoque ſellam exſcenſuro miſit, & ijs in ædibus die inſequenti, qui Apoſtolorum Principibus erat ſacer, ſacris litauit; quod votis omnibus expetierat, vti eos in eius rei, quam tractabat, tutelares ac patronos adhiberet.

In Chiamſi Prouinciæ Metropoli noua ſedes erigitur.

CAPVT VNDECIMVM.

HVIVS Prouinciæ Metropolis Nancianum appellatur, nõ è maximis illis ac portentoſis vrbibus, ſed celebris tamen toto regno litteratorum multitudine, qui ex ea ad regni dignitates varias euehuntur, in ambitu tamen nihil Cantonienſi Metropoli cedit, ſed in cõmercio longe eſt inferior. Gens eſt frugi & paruo viuere ſolita. Religioni licet falſæ addicta, complures tamen Sinenſe ieiunium obſeruant. Ex ipſis porro litteratis ſodalitium quoddam conſtat, in quo doctiſſimus quiſque certis diebus de virtutibus aſſequendis ratiocinatur, & ſi externam faciem ſpectas, nihil ad modeſtam compoſitionem addi poſſe iudicabis, verum quoniam veræ fidei lumine carent, errant in ipſo virtutis itinere, velut oues paſtore deſtitutæ.

Nancianũ metropolis à litteratis celebris

In eam vrbem, poſtquam P. Matthæus exſcendit, aliquot ſeſe dies domi continuit, Deo enixè ſuum inſtitutum commendans, cum neminem reperiret, quem ad rem ſuam, cum opus eſſet, adhiberet, medicum illum, de quo ſupra, ſibi ſtatuit inuiſendum. Erat ille medicæ artis fama celebris, & vrbanis magiſtratibus, ſed Proregi maximè in paucis gratioſus: nam præter artis neceſſitatem, peculiarem in congreſſu lepôrem &

P. Matthæus Medicum amicum adit.

rem & gratiam habere dicebatur. is igitur monitus, externum quendam, qui cum amico ſuo aſſeſſori Pechinenſi venerat, ad eum viſendum acceſſiſſe, mire recreatus eſt, ſed cum eum vidit, etiam eſt admiratus oris totius diſcrepantem à Sinenſibus lineamentis conſpectum, quem tamen & ritibus Patrijs imbutum, & libris etiam inſtructum aduertebat.

P. Matthæus ad habitũ Sinenſem ſe conformat.

Vſu iam diu Magiſtro didicerat P. Matthæus, quã parum ad rem faceret, ſi ſe in congreſſibus externo cultu nimis abijceret. curauit igitur, vt ingreſſus in hanc vrbem modeſtam redoleret maieſtatem. ergo ſeipſum bombicina vrbanitatis veſte ad viſitationis officia inſigniuit, & eum pileũ adhibuit, qui à litteratis ſolet. is non abſimilis admodum eſt ei, quo Hiſpani Sacerdotes vtuntur, niſi quod altior ſit aliquanto. Seruos quoq; domeſticos è goſſipina talari veſte indutos, ſecum ad viſitationes duos ducebat, & ſella geſtatoria geſtabatur, ipſe baiulorum humeris, quæ omnia à tenuibus licet litteratis perpetuo adhibentur, & ſi ab eo cultu abſtinueris, fieri nõ poteſt, vt pro litterato habearis. ita ſpecies externa, cum in morem inducta eſt, pro re ipſa, quam refert, æſtimatur. porro cum de litteratis ago, nolim quod aliqui putant, intelligi magiſtratus. nam ij longe ampliori in publicum prodeunt apparatu: & magiſtratus quidem omnes ſunt litterati, ſed non è contra.

Medicum igitur familiarem ſuum, hoc apparatu, quod infame ſacrificulorum nomen à ſe propulſauit, inuiſendum putauit. is è reculis Europæis munuſculum, vbi à Patre accepiſſet, habuit, quod amicis rei nouitate attonitis, oſtenderet. ab ijs exijt fama in vrbem vniuerſam, aduenıſſe hominem totius oris compoſitione viſendum. Medicus igitur, vt gratiam rependeret, cõmemoratis libro primo ritibus P. Matthæum ad ſolemne epulum inuitauit: & vna cum eo litteratos nonnullos, item regio ſanguine quosdam, quorum eſt in hac vrbe ingens

P. Matthæus humaniter excipitur.

gens

gens multitudo, de quibus infra latior erit dicendi locus. Patris conſpectu & congreſſu magnopere recreati omnes, ei anſam dederunt, vt animis ad beneuolentiam comparatis, de ſua ſtatione aliquam ingereret mentionem: præſetulit igitur non omnino ſibi diſplicere, ſi in hac vrbe commorandi occaſio præberetur. ea res nulli non placuit, ſed Medicus tanta ſubito cupiditate exarſit, ut vix adduceretur ad credendum, ſerio & ex animo locutum. & quidem vt negotium propenſius faceret, mendacium enim Sinæ ſpecioſo prudentiæ veſtiunt inuolucro) finxit inquam ab aſſeſſore illo Pechinenſi ſcriptas ad ſe litteras, quibus Matthæum multis comendabat, ac rogabat, vti eum in ea metropoli retinere procuraret, ex eo maximè, quod in Prouincia Cantonienſi parum commoda valetudine vteretur.

Non hoc ſolum adhibuit telum, ad ſtationem impetrandam, ſed varijs modis, incolas ſibi conciliare procurabat permultis igitur, qui ad eum veniebant, nonnulla è Mathematicis petita diſciplinis, cum audientium voluptate proponebat, Sciotcrica inſtrumenta ad horarum diſcrimina concinnabat; ſed nihil æquè admirationem mouit, vt illius memoriæ, quæ ab arte adiuuatur, ſpecimen exhibitum. Ea res litterarum Sinenſium ſtudioſis, accidebat gratiſſima nam ſupra omnes nationes, libros integros improbo labore memoriæ commendant, & vt vere dicam, primis ſtudiorum ſuorum annis, alia re nulla occupantur. Complures characteres è ſuis nullo ordine depingebant, eos P. Matthæus ſemel iterumue perlectos, repetebat, eo quo erant ſcripti ordine, & quod magis ſtupebant, etiam retrogrado. eam artem ediſcere multi optabant, quibusdam velut ægre concedebat, ita omnibus omnia fiebat, ut omnes Chriſto lucrifaceret.

P. Matthæus varijs modis ſibi conciliat incolas.

Ars memorandi à P. tradita.

Interim dum hæc aguntur, incidit in primarium virum, qui Xaucei nobilem geſſerat Magiſtratum, & eidem fuerat

vtcumq; familiaris, hunc igitur à quo per humaniter acceptus eſt, adhibere ſtatuit ad ſtationem impetrandam, & recepit ille quidem ſe procuraturum, vti aliquis è primis vrbis Magiſtratibus id negotij ſuſciperet, cum Prorege peragendum, ſed inuentus eſt nemo, qui ſe aduenarum negotio voluerit intricare: interim euocatus eſt ille ad gerendum in prouincia Pechinenſi Magiſtratum; abiens amico ſuo litterato cuidam, P. Matthæum commendauit. ei P. Matthæus fidendū ratus potius, quam familiari medico (neque enim illi authoritate admodum valent) datis ab eo conſilijs acquieſcebat. Auctor igitur illi fuit, vt neglecta magiſtratuum facultate, in vrbe reſideret. eam ob rem ex ædibus media vrbe poſitis, quas incolebat, in alias migrauit extra vrbis muros, non procul ab ſuis ſitas. Celebris iam erat tota vrbe P. Matthæi fama: mutatis igitur ædibus à viſitantium turba minimè reperiebatur. inde variæ ſuſpiciones in vulgus ſparſæ, & vani metus, ne quid ab vno aduena Reſpublica caperet detrimenti. Ea res è triuijs ac vulgo in Magiſtratuum omnium, ac etiam Proregis tribunalia penetrauit. Ergo acriter inquiri cæptum, quo ſe externus homo recepiſſet, vnde & quorſum aduenſſet.

Prorex de P. Matthæo iubet inquiri.

Prorex, cui cognomen Lò, neſcimus vnde, ſed acceperat tamen beneuolā ſane de P. Matthæo relationem. Itaq; ſuſpicatus eſt, cum de externo ageretur, illum ipſum nec alium fore. ergo militum ad ſe præfectum vocat, qui præerat regionis illius excubijs, in qua externus ille dicebatur cōmorari, iubet uti inquireret, quis eſſet ille aduena, & vnde veniſſet? monuit tamen vti vrbane illum & humane tractaret, & ab omni moleſtia inferenda abſtineret, ac die inſequenti ad ſe referret, quidquid reperiſſet. is igitur ad P. Matthæum viſitationis libellum de more miſit, & per famulum domeſticū renunciari iuſſit, à Prorege quid haberet in mandatis, ſe quidem ad eum viſendum voluiſſe venire, ſed certis negotijs impeditum

tum minimè potuiſſe, rogare ſe vti commodo ſuo ad ſe accedere, ne grauaretur. fecit P. Matthæus quo ſolebat apparatu, & ſcripto dedit ea, quæ à Prorege petebantur: eo ſcripto cõmemorabat, annos ſe plures in Cantonienſi prouincia, Sciauchini, & Xaucei commoratum; à bimeſtri vero vna cum bellici Tribunalis aſſeſſore, quem nominabat aduenìſſe: eius facultate Nanchinum nauigaſſe, & in reditu vires recreaturum in vrbem hanc exſcendiſſe, donec in Cantonienſem Prouinciam renauigaret.

Vbi auditum à vicino litterato, & ædium Domino, Proregem de eo inquirere, magnopere trepidatum eſt, & non inurbanè minus, quam inhumanè vrgebant, vti ea ipſa nocte diſcederet, imò vim prope faciebant, ſarcinas in mediũ vicum educentes, ſed neque permittebatur excubitorũ Præfectum qui inquiſierat admonere: ac tandem eo res deuenit, ut niſi noſtri vim vi repellere pararent, omnino pellerentur.

Prorex viſo P. Matthæi libello, intellexit eum ipſum eſſe, quem coniectarat, & ea re lætus, Præfecto militum mandat vti eum ad ſe in tribunal adducat. ibat Pater ſatis anceps, ac dubius animo tractabat quid cauſaretur, quod ea in vrbe tantopere ſubſtitiſſet, & nihil minus cogitabat, quam quod inde conſecutum eſt. In Tribunal ingreſſus, Proregem habuit obuium in aula media (nam ad eum excipiendum è ſolio deſcenderat) in genua P. Matthæus proruere parabat, ad eum ritum exhibendum, qui Magiſtratibus pro tribunali exhiberi ſolet, ſed prohibuit eum Prorex, & ad ſe accedere iuſſit. Prorex igitur prior eſt in hæc verba prolocutus: Dudum equidẽ cupiui te videre, cuius ſpargente fama, virtutem ac litteras audieram prædicari, & iam de ea fama nihil dubito, nam ex tuo vultu, & totius corporis compoſitione intelligo, minimè mihi verba data. nam ipſa per ſe in te virtus elucet. P. Matthæus vix ſeipſum ex euentu ſupra ſpem inopinato capiebat, & tametſi

P. Matthæus Proregẽ adit.

Prorex P. Matthæum alloquitur.

P. Matthæi animi demiſſio.

metſi tanta encomia mereri ſe non agnoſcebat, exultabat tāmen tali tempore, virum huiuſmodi eam de ſe concepiſſe opinionem, & omnia in Deum referebat, cuius ſuauis ac fortis prouidentia ſe abijciebat aliàs, aliàs erigebat, vt à fine ad finē attingeret omnia; prout eius immenſa ſapientia diſpoſuiſſet. Proregi ergo nihil aliud reſpondebat, quam ſolemni Sinarum formula: quî poſſum tantum honorem ſuſtinere? quæ verba cum ſæpius repeteret, & rubore verecundiam teſtaretur, mire Proregem in concepta virtutis opinione confirmabat. De itinere deinde cum Aſſeſſore multa ſciſcitatus, omnia ſenſit cum ijs conſentire, quæ de illius infortunijs, multorum ſermonibus acceperat. Quærit etiam, ecquem Nanchini conuenerit magiſtratum? ille eum nominauit, à quo turpiter eiectus fuerat, ſed hic tacuit tamen. Prorex illius erat familiaris, & gaudere ſe aſſeruit, quod cum eo egiſſet, quem ab integritate fama celebrabat. atq; in hunc maxime modum ſermone alium ex alio trahente, horam non minus collocuti. ſub finem progreſſus, quærit Prorex, quó in poſterum velit nauigare? P. Matthæus ſe in Cantonienſem prouinciam reuerti dixit: cui Prorex: quidni apud nos, ait, commoraris in nobiliſſima maximè ciuitate? Subiunxit Pater: Et ſanè ſi per te mihi liceat, cupio in ea vel maxime cōmorari. Prorex vero: commorare ſodes, id tibi per me licet, atque ita digreſſus ab eo noſter, gaudio exultabat.

P. Matthæi authoritas & ſcientia apud Proregem augetur

Vix abierat, cum familiaris medicus ad Proregem de more ingreditur, & illatus de P. Matthæo ſermo, Proregis deſiderium magis inflammauit. narrauit enim Sciotericis eum inſtrumentis horas, ſigna zodiaci, & alia multa ſine errore demonſtrare, artem quoq; ab eo ſciri, cuius præſidio, vnico prope conſpectu, integrum libri caput, fideli memoriæ cōmendatur; de Trigono vitro ſtupenda cōmemorabat; de Europæis libris mira; de omnibus denique noua referebat. ergo

Prorex

Prorex voluit horarium indicem ſibi concinnari: memoriæ quæ ab arte diſcitur præcepta, ſermone Sinenſi conſcribi, vt filijs ſuis ea traderet. Trigonum vitrum & cætera noſtratia ſibi ac toti familiæ oſtendi voluit, ſed vt vitrum acciperet, quod ei P. Matthæus prope per vim offerebat, adduci non potuit: Sed neq; hortatore medico, qui aſſerebat eam à P. Matthæo libenter offerri. quin potius aptam ad rem præſentem, hiſtoriam ex annalibus ſuis retulit. Vir inquit olim Religioſus magni pretij gemmam habebat, ad eum cum vir primarius & virtutis Profeſſor diuertiſſet, homo religioſus gem̃am illi offerebat, ille acceptam mox reſtituit, dicens: Hæc gem̃a ſemper erit tua, neq; enim illam alteri dabis, niſi qui ſe virtutis ſectatorem profiteatur. id qui profeſſus fuerit, profecto eam non eſt accepturus, atque ita ſemper tibi remanebit. Idem de te dico Matthæe, ac de me profiteor. nam vterq; virtutem ſectamur.

Hac maxime ratione à Prorege digreſſus, ad reliquos vrbanos magiſtratus inuiſendos applicuit animum, & ex ijs aliquot reperit ſibi in Cantonienſi prouincia notos, qui apud cæteros Patrem com̃endabant. Ipſum quoque medicũ, quem videbat Proregi familiarem, nouis muneribus ſibi conciliauit, & ita demeruit, vt nullum ille finem Patris cõmendandi faceret apud omnes, qui eum ad colloquium adhibebant Magiſtratus: atque ita cum iam Ptoregis beneuolentiam in eum fama vulgaſſet, breui temporis ſpatio nemo prope ex vniuerſa ciuitate repertus eſt, vir alioqui primarius, qui non P. Matthæum ſibi duxerit humaniſſimè inuiſendum.

Cum Regiis propinquis P. Matthæus familiaritatem contrahit, & cum alijs quibusdam, qui ſe Concionatores appellabant.

CAPVT DVODECIMVM.

IN hac Metropoli Nanciana plurimi ſunt Regij ſanguinis ab omni ſæculorum memoria, & in ijs duo Regum appellatione, & apparatu degebant, quam conſuetudinem vt intelligas, primum librum repete. Ij (nec enim inferiores cõmemoro) amicum quoq; habere hominem aduenam nihil dubitarunt; eorum alter Regulus Chiengan, alter Longan vocabatur. & quoniam neminem, ne Magiſtratum quidem ſua viſitatione dignantur: vterq; primarios Aulæ ſuæ aſſeclas precioſis muneribus inſtructos miſerunt, qui P. Matthæum, ſuo nomine in palatium inuitarent, quod palatium regia maieſtate dignũ, vel magnitudine, vel ædificiorum maieſtate, hortorum amænitate, & reliquo ſupellectilis vel ſatellitij apparatu. Primus noſtrum inuitauit, & humanius accepit Regulus Chiengan, ab eo exceptus eſt P. Matthæus in aula regia, veſte ac diademate inſignito. iuſſus eſt conſidere, & ſolita illorum potione vrbanitatis indice donatus eſt, de his ſupra ſæpè; neque enim decet, vbiq; filum narrationis intercidere. remiſit etiam Europæa munuſcula, quæ pluris ab ijs æſtimantur, & nigro in marmore, quod apud Sinas reperitur, horologium horizontale cum zodiaci ſignis, dierum ac noctium magnitudine ortus & occaſus in ſingulos menſes hora, initio menſis ac medio deſcripta cælauit. initium dixi ac medium; nam zodiaci ſigna apud Sinas quatuor ſupra viginti numerantur. quæ res tota eo in regno hactenus inuiſa cum voluptate viſebatur. nullum enim ipſi ſciotericum aliud nouerant, præter illud, quod ab æquatore nominatur. Sed neque hoc ipſum apte nouerant, niſi in trigeſimo ſexto gradu eleuati poli collocare. Addidit etiam Sinenſi charactere vniuerſi totius globum è circulis cæleſtibus, ſphęram, imagines, vitra, & alia huiuſmodi Europæ noſtræ opera. ſed his ipſe ſuperari ſe minimè patiebatur. bombicinis enim pannis, argenti pondere varijs, edulijs, munera noſtra abunde remunerabatur, & ea regijs ritibus & pompa cohone-

P. Matthæus à Regulis in palatium inuitatur.

Zodiaci ſigna apud Sinas viginti quatuor.

honeſtabat. Nihil tamen æquè probauit, vt volumina duo, Europæo more compacta, ſed è charta Iaponenſi, quæ ſanè leuis eſt, & ita dura, vti dubitare poſſis, vtrum in ea magis admirere. alterum ex his voluminibus geographicas habebat tabulas aliquot, imo & nouem cælorum orbes, quatuor elementorum combinationem, & ſimilia è Mathematicis petita diſciplinis, addita erat eorum ſermone ſuperiorum explicatio. Volumen alterum, breuem de amicitia tractationem, Sinenſi charactere cõtinebat: in eo fingebat P. Matthæus (quod olim Cicero fecit in Lelio) ſe ab rege interrogatum, quid de amicitia ſentirent Europęi, atque ita breui Dialogo congeſſit ea, quæ ex varijs Philoſophis, ſacris Doctoribus, & alijs probatis Scriptoribus, in ea librorum noſtrorum penuria poterat collegiſſe. id opuſculum in hanc vsque diem, cum ſtupore legitur, & magna legentium comprobatione commendatur. Hic liber Europæo ſimul ac Sinenſi charactere ſcriptus, maiorem pariebat voluptatem. Sed non ita multo poſt prelo traditus eſt Sinenſi, opera Gubernatoris cuiusdam vrbis è Canciana regione, ac deinde ſæpius excuſus eſt in prouincia Pechinenſi, Cechiana, ac pleriſq; alijs, & eodem ſemper litteratorum applauſu, quin etiam alijs in libris à grauibus authoribus citatur, ita ſuper ætatem authoritate excreuit. Et hoc eſt cæterorum, quæ idem P. Matthæus Sinice ſcripſit, volumen primum, quo volumine multorum contraxit amicitias, & per ora hominum volitare cæpit, hæc fere cum vtroque Regulo geſta. ſed Chiengan diutius in amicitia perſeuerauit, aut potius ad mortem vſque, imo etiam in filium velut hæreditate transmiſit, & quidem quoad vixit parens frequens P. Matthæum euocabat, & quoties is venerat in conuiuium adhibebat, ſellæ geſtatoriæ baiulis pretium ſoluebat, nummos famulis P. Matthæi diſtribuebat. his enim ſolent indicijs prodere cum inſignem de alicuius aduentu capiunt voluptatem.

Liber de amicitia, Sinenſi charactere à P. Matthæo conſcript⁹.

Nec

Nec authoritatis minus, plus etiam aliquanto dedit contracta cum alio hominum genere familiaritas. ij ſunt litteratorum illius vrbis velut ſatrapæ, qui ſe in eorum ſodalitio veram legem explicare profitentur. Sodalitij caput erat eo tempore ſeptuagenarius quidam, cognomine Ciam: is cum ſuis ſodalibus, de P. Matthæo multa audierat, à familiari noſtro Chiutaisò, qui aliquamdiu ea in vrbe ſubſtiterat, poſtquam in noſtros incidiſſet, à quo tanta fuerant noſtri ambitione commendati, vt iure vereretur P. Matthæus ne conceptam falleret expectationem. Hi ergo qui cæteros elato ſupercilio deſpiciunt, magna ſubmiſſione, ad P. Matthæum acceſſerunt, quibus gratum hoc accidit, audire illum de Sinarum libris aptè diſſerentem, quæque diceret domeſticis telis ſuis propugnantem, & res ſubinde accidit exigua quidem, ſed quæ non exiguam opinionem conciliauit. Ex frequenti Viſitatorum importunitate, & eorundem officiorum neceſſaria compenſatione, ita P. Matthæus fatigabatur, ut ab ægritudine parum abeſſet, ea de re cum amico illorum Capite querebatur: is auctor illi fuit, vt domi ſe adeſſe aliquando per ianitorem negaret. Reſpondit P. Matthæus, id homini, qui virtutem profitetur, quod mendacium ſit, interdici. Gentilis Philoſophus ſubriſit. cui P. Matthæus oſtendit Chriſtiana lege prohibitum, non ſolum mēdacium illud, quod alteri perniciem accerſit; ſed id etiam, quod inter obſequendum vel iocandum elabitur: eam legem in Europa omnes quidem debere, ſed Religioſos maxime, & eos qui ſe aliorum magiſtros eſſe volunt obſeruare: quin etiā viros plerumque primores ab ea re velut indigna abhorrere. obſtupuit ille legis noſtræ ſanctitate, & à ſtupore in laudes erupit, nam vt erat ingenio ſubtili & exculto, facile ex hac vna re, ſanctiſſimæ legis noſtræ puritatem colligebat. inde ad alios eo narratore res alioqui exilis erupit, & inſtar prodigij narrabatur, P. Matthæum egregionis ſuæ conſuetudine, ac legis

P. Matthæus veritatis tenax

præ-

præſcripto, nolle mentiri: imo cum ea de re in ſodalitio ſermo illatus eſſet, dixit is qui audierat, ſatis planè erit ſi nos mentiri puduerit, nam vt plane abſtineamus, vix puto poſſe à nobis impetrari.

Socius P. Matthæo Nancianum mittitur, & à noſtris ædes propriæ comparantur.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

PRoſperis nouæ ſedis euentibus delectatus P. Matthęus, Socios quoque ſuorum fecit participes gaudiorum, ſed maxime Collegij Amacaenſis Rectorem P. Eduardum, à quo velut ſuperiore ſuo, Sociorũ & ſumptuum præſidia poſtulabat. Miſit igitur ille Nancianum P. Ioannem Soerium Luſitanum, & cum eo Xauceo alterum è fratribus noſtris Franciſcum Martinez deſtinauit; de ſumptu verò per rei familiaris anguſtias, non licuit aliud ſubmittere, quam quod in ædes ac ſumptus eius anni domeſticos ſatis eſſet. Impetrauerat à Nanciano Magiſtratu quodam interim diploma, ut comitem è Cantonienſi prouincia euocaret, quo diplomate muniti, nullo prohibente Nancianum deuenerunt, & in transmittendo monte illo, de quo ſupra, Neophytorum Nanchiunenſium præſidia repererũt, qui etiam ſunt hac occaſione à tranſeuntibus viſitati. aduentus comitum, celebritatem Dominici Natalis, anni milleſimi quingẽteſimi nonageſimi quinti lætitia cumulauit. P. Matthæus Nancianũ peruenit.

Ex aduentu comitis motus aliquis in vrbe ſentitur. quidlibet enim de aduenis ſuſpicari, & loqui fas erat, eos videlicet aliquid ſiniſtri machinari, & medicum illum, de quo ſupra, eò quod noſtris faueret, Alchimiſticæ artis ineptias ab ijs didiciſſe, ſed de his in circulis muſſitatum, nullus in publicum tumultus erupit.

Pater Matthæus interim, cum Proregem habet beneuolũ, ſtabiliendam ſibi eius authoritate ſtationem perſuaſit. Ergo P. Matthæus de ſtatione in vrbe facienda laborat.

cum ad Proregem deliniendum munera concinnaſſet, qualia Regulis eum fere dediſſe ſupra cõmemoraui, ad eum cũ libello ſe contulit, eo libello diploma petebat, quo in vrbe reſidere, & proprias ſedes comparare ſineretur. Prorex acceptis donarijs beneuolentiam compenſauit: de diplomate reſcripſit, vti Gubernator ea de re inquireret, & ſe redderet certiorem. Is Guam appellabatur, vir alioqui bonus, ſed timidus nimium: ne forte ſibi malum aliquod accerſeret. Ergo tentauit utrum in agrum ſuburbanum poſſet noſtros volentes relegare, & locum ijs in profanorum Sacerdotum Cænobio deſignabit; ſed eum locum noſtri, ne iterum ſeſe ſordido abiectoque nomine fœdarent, & Euangelij curſum ſiſterent, recuſarũt: vnde Gubernator frigidè vtcumq; in noſtrorum cauſa reſpondit, ac deinde ſæpius rogatus, ſemper tamen diploma pernegauit. Et momento priſtinos vrbis vniuerſæ fauores abrupit, & prope ſtationem euertit, ita maiorũ exempla efficacia ſunt in utramq; partem: adhibitis demum interceſſoribus permiſit, vti ſuo arbitratu vrbem incolerent, ſed è ſuo tribunali diploma ne ſperarent. Proregi vero ciui & amico ſuo nõ ſcripto, ſed ſermone facile ſatisfecit. Sed neque hic ſubſtitit P. Matthæi induſtria. nam memoriæ, quæ ab locis & imaginibus iuuatur, cõmentariolum filijs Proregis dedicatum, detulit ad parentem. cõmentarius hic toto regno deinde euulgatus, à multis in vſum adhibebatur: addidit etiam horologium nocturnum, è polo arctico cõſpecturis, ab eo exceptus eſt ſolito etiã vrbanius, ac de litteris patentibus ad ædes comparandas reſpondit, ſe nondum eas à Gubernatore accepiſſe, ſed propediem effecturum, vti ſcriberentur, & reuera cum Gubernatore ſerio rem illam egit, cui viſum eſt nihil opus eſſe diplomate, ſed ſatis eſſe viuæ vocis oraculum. Ergo Patrem admoneri iuſſit, ſibi ædes & agros pro arbitratu compararet, nullo diplomate opus eſſe, ac neminem fore qui impediat. Idem reſponſum

Cõmentariolus de arte memoriæ Proregi offertur.

ſum Pater accepit à Gubernatore, qui etiam addidit, ſe ſuum fore protectorem: petijt etiam Sciotericos horarum indices duos, alterũ vt in patriam mitteret, Prouinciam videlicet Cechianam, alterum vt eo in quotidianos vſus vteretur. Ea breui confecta ad eum detulit, qui in muneris remunerationem argenti pondus miſit longe ſumptibus maius, quod Patri remittere per vrbanitatis leges non licuit. Superiorum enim munera nunquam remittuntur.

Hac igitur impetrata Magiſtratuum facultate, viſi ſunt ſibi noſtri iam poſſe conquieſcere, & quibusdam etiam videbatur fortaſſe non imerito hunc modũ eſſe tutiorem nam qui diploma ſcripſerat, quolibet motu aut metu territus, ſubito acerrimus erat in dimittendis noſtris actor; ideo quod auctor haberetur, & totam facti inuidiam humeris ſuſtineret. quotquot vero diploma non ſcripſerant, ſine periculo, quod Sciauchini ſæpe fecerunt, fauere Magiſtratus, ac noſtri quod acrius diploma vrgerent, ſeipſos ipſi de ſuſpicione ac metu incuſabant, cũ alioqui tutius eſſet poſt tot annos intra regnum decurſos, pro indigenis, & non pro aduenis ſeſe fidenter gerere.

Ergo hoc iam negotio perfuncti, de alio magis laborabant. nam neq; cõmodæ locabantur ædes, nec ad coëmendas numi ſuppetebant, & tamen vtendum tempore videbatur, ne frigeſcente Magiſtratuum beneuolentia, impedimentũ aliquod ſuboriretur, & commodæ ædes quædam venales proſtabant, tempori & vſibus non ineptę, ſed loco percõmodo, non procul à Gubernatoris palatio, precium quoq; moderatum ferebatur. nam aureis non amplius ſexaginta res cõcludi poſſe videbatur, & ad conducendam domum ab Superiore quinquaginta receperant. Viſum eſt igitur potius propriã comparare licet anguſtiorem, quam laxius in annum habitare. nihil id obeſſe, quin poſtmodũ maiores ædes per otium quærerentur. ita factum, vt deſignatũ, & in eam quoq; extemplo demigratum. De locanda ſede laboratur

Deinde ad vſus noſtros quantum ædificij ratio tulit concinnatur, & ne quid fortaſſe tumultus oriretur, ita ſecreto res tota confecta eſt, vt prius vicinia noſtros veniſſe, quam venire voluiſſe reſciuerit, atque ita deſignandæ alicui calumniæ tempus eripitur. Vicorum tamen Præfecti ad Gubernatorē rem detulerunt, & querebantur homines aduenas in ſuam viciniam demigraſſe; quibus Gubernator ita reſpondit, ut ipſi conſenſerint: aſſerebat enim ſe iuſſu Proregis inquiſitione facta didiciſſe, P. Matthæum annis ſupra viginti (augebat nonnihil Gubernator) in Cantonienſi Prouincia ita vixiſſe, vti nemini vnquam moleſtus extiterit, conſtare ſibi eum virum bonum eſſe, quem imerito reijcerent, maximè cum Prorex facultatem illi dederit, & in ea vrbe commorandi, & ædes comparandi. ergo quietiores hæc ad viciniam retulerunt.

Vicinia querelas deponit contra Patres.

Aedibus iam coëmptis, P. Matthæus vrbanos omnes primarios Magiſtratus viſitauit, & ſuis ſingulos munuſculis miſſis Amacao donauit, ſed ita tamen, vt ne in morem inducerentur maiora quam impoſterum dare liceret aut deceret. Denique hac in vrbe ſtationis noſtræ rationem Socij vſu doctiores, aptius ad frugem faciendam, quàm in Cantonienſi Prouincia fecerant, compoſuerunt. Hoc ipſo tempore Catechiſmum ſuum reuiſit P. Matthæus, auxitq; & ita concinnauit, vt iam ab litteratis viris profectus videretur. nec vt prius ab infami ſacrificulorum nomine, neq; à cultu eo in libro lectores abhorrebant. Atq; ita disruptis prioribus tabulis, recens in vſum introductus eſt.

Magiſtratus munuſculis Europæis donantur.

Catechiſmus diuulgatur.

Xaucei P. Lazarus Cataneus ingenti labore fatigatur, Et alij duo Socij euocantur.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

HÆc Nanciani varijs erum euentis agebantur. interim P. Cataneus Xaucei Sinenſes in litteras incumbebat, & procurabat

curabat nouo litteratorum habitu, rem Chriſtianã ad exemplum P. Matthæi promouere, eo habitu Magiſtratus viſebat, & ea res ex animi cedebat ſententia, reiq; Chriſtianæ curſus intra ſolitum alueum ferebatur, ſed eum litteratuli nonnulli illius ordinis ex vrbe vicina, regionis tamen Xauceanæ, gens parum exculta, & præ cæteris Cantonienſib⁹ barbara (ſic enim reliquo regno Cantonienſes omnes appellantur) eũ inquam curſum perturbarunt. nam veſpertinis horis cum in domum ſemipoti vellent ingredi, ac prohiberentur, vim pararunt frequenti domum & ianuam lapidatione impetentes. Egreſſi domo famuli vim vi repulerunt, & eos in ſcaphas ſuas ad fluminis ripam è regione domus noſtræ redegerunt: ibi adſcitis in auxilio amicis & ciuibus ſuis impetu maiore in ędes noſtras irruerunt, quibus famuli nec cedere voluerunt, nec reſiſtere potuerunt. nõnulli ſaucij vix à Patre tumultũ ſedante, ægre in domum recepti ſunt, ſed neq; ipſi imunes ad ſua redierunt. Curſus Sociorum perturbatur.

Die inſequenti vel iracundia permoti, vel metu rei per vim geſtæ deterriti, priores ad Gubernatorẽ accuſabundi concurrerunt. apud eum ingens multitudo in vnũ corpus coacta inconditis clamoribus iniuriam à noſtris & vulnera ſe accepiſſe vociferabantur, & in eum modum bacchantes per celebriores vrbis vicos, obuios magiſtratus appellabant, è quibus primi duo, in quorum tribunalia deuenerant, accuſationis libellum reiecerunt, aſſerentes conſtare ſibi aduenas illos nemini moleſtos eſſe, & ſi quid ipſi ab illis iniuriæ recepiſſent, id iniuria factum ſibi minime perſuadere. non defuit tamen vnus aliquis tertius, nempe Gubernatoris aſſeſſor, qui priuatã, vt arbitrabatur iniuriam ſibi à noſtris illatã auctoritate publica vlciſci minime dubitauit. querebatur enim noluiſſe noſtros eius in ædibus, horariam machinam diutiſſimè eius arbitratu detineri: accepto igitur libello, duos è domeſticis famulis noſtris in tribunal accerſit, quos inaudita plane cauſa, atrociter in accuſato- Socij defenduntur.

cuſatorum conſpectu verberari iuſſit: ſubſequutus eſt paulo poſt è fratribus noſtris Sebaſtianus Ferdinandus, vt eos vel rationibus vel precibus tueretur. Verum iuuenes illi cum iudicem ſibi propenſum nacti eſſent, etiam in ipſum fratrem noſtrum irruerunt, & inhumane raptantes aſſeſſori ſtiterunt, vociferati eum eſſe à quo iniuriã, & à quo præ cæteris vulnera accepiſſent. Nec dubitauit, etiam illum inaudita cauſa verberibus ſubijcere, & alia inſigni ignominia afficere: id fit in hunc modum. Tabula ingens vlnam ac dimidiatam quadrata, foramen habet in medio ad colli ambitum coaptatum: ea tabula, quæ aperiri & claudi poteſt, collum includũt, è qua caput eminet, ita vt tamen ori manus admouere non liceat, nec cibum aut potum capere, niſi manibus alienis. fratrẽ igitur noſtrum hac ignominia damnatum, totum eum diem pro foribus palatij ſtare iuſſit, cum inſcriptione in hanc ſentẽtiam exſcripta, quod Baccalaureos verberarit. Hoc ignominiæ genus eſt in hac gente non infrequens. his peractis tumultuantes remiſit.

Vnus è ſociis ignominiosè tractatur.

Malis occurritur.

His malis vti mederetur P. Cataneus, hoc conſilium inijt. aduertit omnium turbarum cauſam ædis ſacræ prætextu capi. Illam igitur ſacram in priuatum ſacellum transtulit, non eo ſolum quod cõmemoraui conſilio, ſed etiam vti ſe à ſacrificuli infamia liberaret, & ad hanc ædis deſtructionem aliud addidit, quod ſane fuit opportunum. nam ea omnia, quæ domi noſtræ ab amicis cum voluptate ſpectabantur, ſuſtulit è conſpectu: tum vt otioſam multitudinem excluderet, tum maximè vt luctum de iniuria profiteretur. His rebus quietior quidem, ſed nondum moleſtijs liber viuebat. affectum etiam nuper ignominia fratrem è conſpectu eripuit, & ad P. Matthæum miſit rogans, uti Socios permutaret, quod & factum eſt. dixi poſterius conſilium fuiſſe ſatis opportunum, cum enim non ita multo poſt, nõnulli Xauceum Magiſtratus aduenissent, & cupere ſe dixiſſent, aduenas & res Europæas ſpectare, cum ſimul

omnes

omnes domum noſtram veniſſent, dirutam ædem, ædes vero nudas conſpexerunt. quare permoti, tertiu.n aſſeſſorem, qui cum reliquis venerat incuſarunt, quod in eo negotio præceps & parum iuſtus fuiſſet, nec abnuit ille, ſed palam cōfeſſus culpam querebatur, ſe à litteratulis illis extra iuſtitiæ limites præcipitem abreptum. demiſſe igitur Patrem coram omnibus veniam rogat, & vt eum demulceret ad ſolemne epulum, quod hoſpitibus Magiſtratibus exhibebat, in vicino fano eum ſolemniter inuitauit, vbi magnam ignominiam maiori honore, quem in eo epulo illi exhibuit, videtur compenſaſſe.

Aſſeſſor ignominiam honore compenſat.

Sub idem quoque tempus Magiſtratus quidam, toti Xauceanæ Regioni communis Pimpithau vocant, Xauceum deuenit, & domum noſtram magna pompa inuiſit, Patrem Cataneum ſecum ſedere iuſſit, quod primis temporibus erat perrarum. quibus officijs, nōnihil iniuriæ priores oblitteratæ Sed nondum ab aſſeſſore recedamus. Is attentius excuſſa, quam inconſideratius fecerat, iniuria, valde veritus eſt, ne quam crudelitatis notam & inde officij iacturam incurreret. Ergo uti omnia reſarciret, ſua ſponte edictum ſcripſit, in hanc ſententiam rei totius euentum narrabat, & deinde culpam omnem in Magiſtellos illos referens, noſtros ab omni culpa liberabat (magna vis veritatis) inde aſperrimis verbis commonebat omnes, viderent etiam atque etiam, ne quam Patri, ne quam domeſticis, moleſtiam faceſſerent, alioqui graues pœnas ſe daturos.

Aſſeſſor iniuriam Socijs illatam edicto compenſat.

In hunc fere modum P. Cataneus, abſque Socio Sacerdote in annum Domini nonageſimum ſeptimum commoratur. nam qui deſignatus erat illi comes Amacai parum firmis viribus vtebatur, & periculoſum videbatur in eam Xauceani aeris inclementiam valetudinarium amandare. & alias Viſitator P. Valignanus Indiæ præeſſe ex Præpoſiti Generalis auctoritate deſierat, & ſolum Iaponiam & expeditionem Sinenſem

cum

cum eodem Viſitatoris titulo gubernabat: vnde ex India operarios euocare integrum illi non erat. In hac ſolitudine & laboribus P. Cataneus grauiter, & prope deſperata ſalute laborauit, eoq; res deuenit, vt Amacaum ire cogeretur, in cuius locum P. Ioannes Aroccia, Luſitanus, vt erat valetudinarius Xauceum mittitur, iubeturq; ſe domeſticis parietibus continere, & rem domeſticam tantiſper moderari. Interim ex India Viſitator aduenit, & P. Cataneo expeditionis Xauceanæ Socium P. Nicolaum Longobardum Siculum deſignauit. quem reuerſus in ſtationem ſuam P. Cataneus ſecum abduxit: & quoniam de exiguis viribus P. Ioannes non bene audiebat, eum in Collegium euocabat, alteri cuilibet rei applicandum. Verum ille fortiter ſtationē ſuam retinuit: & re vera ſolitò firmius Xaucei quam Amacai vixerat. Ergo mœſtus excludi ſe prima ſua, vt aiebat, vocatione, illo maxime tempore, quo confectis ſtudijs inchoare oporteret; hæc omnia Viſitatori ita feliciter propoſuit, vt cum reliquis duobus omnium votis remanere ſineretur, qui iam præceſſerant & domum appulerant nullo prohibente.

P. Cataneus Amacaum proficiſcitur.

Finis tertii libri.

DE

DE CHRISTIANA EXPEDITIONE APVD SINAS AB SOCIETATE IESV SVSCEPTA.

Liber Quartus.

P. Matthæus ſecundò Nanchinum redit.

CAPVT PRIMVM.

PAtri Viſitatori iam Indicis negotiis libero, Sinenſis expeditio inprimis cordi fuit, vt eam prius benè conſtitueret, quam in Iaponiam nauigaret. In primis vſu Magiſtro iam didicerat, deſperatam eſſe, ſed & parum aptam ad finem de re Chriſtiana promouenda conſequendum, Legationem, quæ ab Rege Catholico, vel à Pontifice maximo annis ſuperioribus ſperabatur, ad Regem Sinarum deſtinare. Videbat etiam diuinis maxime præſidijs, & Sociorum qui res Sinicas altius iam penetrabant induſtria, expeditionem illam ſupra ſpem creſcere, & plus indies accipere firmitatis, ſtatuit exiguo illo, quem habebat apparatu tentare, ſi quid in eam rem conferre poſſet dignitatis. P. Viſitator Superiores conſtituit pro re Sinenſi.

Aduertit primum varijs ex cauſis, non ita procliue eſſe, ab Amacaenſis Collegij Rectore, illam expeditionem gubernari, qui negotia præſens intueri, ſed nec intelligere ſatis poteſt, Et vt poſſit tanta locorũ intercapedine disiunctis neceſſe eſt ſæpè proximas rei bene gerendæ occaſiones elabi. Statuit ergo vt totius expeditionis Superior ex ijs vnus eſſet, qui in regni penetralibus viueret. P. Eduardum ab eo munere, inclinata iam in ſenectutem ætas excluſit, ne in interius regnum remandaretur. Inter eos porro, qui eam vineam excolebant,

P. Matthæus Riccius Superior expeditionis Sinenſis renunciatur.

P. Matthæus cæteros ętate, ac rerũ vſu ex diuturniore in hoc regno mora ſuperabat. Eum igitur totius expeditionis Superiorem renunciauit, & habenas laxauit, vti de tota expeditione, prout ad maius illius bonum videretur diſponeret, & nouas ſicubi ſpes affulgeret, noſtrorum ſedes collocaret, In reliquis etiam ſuas ei ſecum facultates communes eſſe voluit. Et præ cæteris enixe cõmendauit, vti modis omnibus ad Sedem Pequini figendam adſpiraret. Videri enim non aliter ſecuram noſtrorum in hoc regno ſtationem fore, niſi aliquis ab Rege Fauonius fauori afflaret. In hunc finem ea omnia, quæ congerere potuit, Nancianum miſit; Deiparæ Virginis iconem ex Hiſpania miſſam; aliam quoque Chriſti Seruatoris effigiem; Et horariam molem non maximam, quæ internis rotis agitata, horas vel dimidiatas, vel integras, nec non & ipſos quadrãtes magno artificio, ſuis interuallis diſtinctas, ſono euulgabat. Eam machinam Claudius Aquauiua Præpoſitus generalis huc in eum finem deſtinarat, vt ſub cuius auſpicijs hæc expeditio cæpiſſet, eiusdẽ præſidijs promoueretur. Nec diſſimilem huic Philippinarum Inſularum Antiſtes ad Viſitatorem transmiſerat, Sinenſi expeditioni profuturam. His addidit, quicquid Amacai corradere potuit earum rerum, quæ ad rem facere videbantur. Ea omnia Nancianum vſque transmiſit.

Munera Nancianum Amacao mittuntur

Ideo vero, quod non erat libera Amacaũ nauigatio, Collegij Rectori mandauit, vti noſtris ea meſſe occupatis, de omnibus ita prouideret, ac ſi eos vt prius moderaretur: eundemq; eſſe voluit Sinenſis expeditionis ac Iaponiæ Procuratorem, vti exigeret ea, quæ vel Regis Catholici iuſſu, vel eleemoſynæ nomine, ab alijs donabantur, quod ſæpè Amacaenſes Luſitani & liberaliter faciebant, quorum ſane in hac expeditione promouenda pietatem, neque nos decet obliuiſci, neq; poſteros ignorare.

P. Emanuel Diaz Collegij A-

P. Emanuel Diaz, dudum è Luſitania venerat, & in India non

non ſemel Superior fuerat renunciatus, & nūc degebat Amacai, ex eo quod in rem Sinenſem propenſus videretur, & alias reliquis ad id Collegium regendum dotibus inſtructus erat, à Viſitatore Rector eſt appellatus eius Collegij, quod erat nobiliſſimarum duarum Miſſionum Sinenſis ac Iaponienſis Seminarium. P. vero Eduardus Exrector, adminiſtrato per annos plures eo Collegio in magna temporum varietate, nō ita multo poſt vitam in Religione noſtra ſanctiſſimè actam, ſanctiſſima quoque morte concluſit. Is à puero prope Societate inita in Senectutem vſque magnum ingenium, & præclaras animi dotes in Doctoris, Concionatoris, ac Superioris officijs continuo exercuit, magna ſemper omnium vel domeſticorum, vel cæterorum comprobatione. macaenſis Rector pronunciatur. P. Eduardus moritur.

P. Matthæus igitur pro eo, quod à Viſitatore iubebatur, omnem lapidem mouebat, omnia circumſpiciebat, vt aliquo tandem modo in Regiam vſque penetraret. Prius putauit ſibi tentandum Regulum illum familiarem Chiengan, qui proximus in Regio ſanguine Regi habebatur. horologium illi & alia nonnulla oſtendit, quæ Regi munuſcula deferenda comparat, ſed demum intellexit, ineptiſſimum illum eſſe, ad eam rem conficiendam, modum. Rex quippe non modo ſuos illos propinquos in nullam Reipublicæ partem vocat, ſed ab ijs etiam ſibi cauet, à quibus nihil dubitat, ſi liceret, regnum affectari. atq; ita res erat periculi plena, & quæ expeditionem vniuerſam, pro eo quod promouere poſſe ſperabatur, fortaſſis erat euerſura Sed neque ipſe Regulus regiæ ſuſpicionis conſcius, ſeſe voluit ea re immiſcere. P. Matthæus in Regiam penetrare conatur. Suſpicio Regis

Interim auditum eſt illum Guan, de quo paulò ſuperius dictum eſt, in Inſulam illam Auſtralē, Hainan nomine patriam ſuam ex aula repetentē, Xaucei noſtros inuiſiſſe, & magnam familiaritatē contraxiſſe, auditum eſt inquam eum ab Rege Nanchinum reuocari, vt præſes eſſet primi Tribunalis, quod

 à crean-

Guan præſes primi tribunalis futurus Nãchinum vocatur.

à creandis Magiſtratibus Li Pu appellatur, quod Sinicè Magiſtratuum tribunal ſonat. Ergo Pater Matthæus P. Cataneum monuit, vti in eius tranſitum intentus eſſet. receperat enim ſecum in Aulam reuocaretur, eo Patres abducturum, vt Sinenſium faſtorum errores ad ſyderum normam reuocarent, & alia è Mathematicis diſciplinis petita euulgarent. Venit igitur Xauceum, & à P. Cataneo inuiſitur: ex eo quærit, vbi P. Matthæus cõmoretur, eoq; Nancianum metropolim nominante, exultauit aſſerens ſe cum eo ibi congreſſurum. P. Cataneus obtulit ſe comitem Nancianum vſque, vti hoc negotium aptius inter ambos diſcuteretur. nec abnuit Magiſtratuum Præſes. Ergo commendata P. Nicolao Domo, comitem adſciuit P. Ioannem, vti Nanciani remaneret. præceſſerat ille Præſes, & eum diurna nocturnaq; nauigatione P. Cataneus cum aſſequi laboraret, biduo præceſſit, quod ſpatium temporis ad rem fecit aptiſſime. interim enim tota res à Patrib⁹ agitata eſt, atque conſtituta, & ſarcinæ conuaſatæ. Viſum eſt igitur omnibus, vti P. Matthæo ſe P. Cataneus comitem adiungeret. Aduenit interim Tribunalis Præſes, quem noſtri munuſculo ſuo, è rebus Europæis inſtructi viſitaruut, è quibus omnibus nihil æquè arriſit, vt vitrum illud Trigonum, de quo ſæpè ſupra. nam cum id Xaucei primo congreſſu cum noſtris conſpexiſſet, imaginatus eſt lapidem eſſe apprime precioſum, ibat Præſes honore lætus, quo eum Rex reuocando affecerat, cum antiquo ſuo Magiſtratu, & ſpe non dubia, quin deinde Pechinum ad eandem dignitatem accerſeretur, è qua primo ſaltu in ſummum Colai munus euaderet. Cum igitur Patres in mollia fandi tempora incidiſſent, de ſuis rebus ſermonem iniecerunt, Nanchinum ire, Regi munera deferre velle commemorabant; voluit is videre regia munera, quæ ſummopere placuerunt, & vt rem procliuiorem redderent, aſſeruerunt ab eo ſe præter fauorem ſperare nihil, ſe ac ſuos, ſumptus facturos,

Præſes Guan comitibus Socijs Nancianũ venit ad P. Matthæum.

Socij Nanchinum ſe ire velle Præſidi inſinuant.

ros, & in eam rem, quantum opus foret, operæ ac laboris ex-penſuros. Quibus ita reſpondit, non ſolum placere ſibi vti ſe-cum Nanchinum nauigarent, ſed Pechinum quoque, quo poſt menſem ab aduentu ſuo ire oportebat, vt Regi redeun-tis anni Natalem diem gratularetur, qui in decimā ſeptimam diem octauæ lunæ, quæ apud nos Septembri menſe ſplendet, incidiſſet, & ei videbatur, non incōmodum eſſe tempus Re-gi hactenus inuiſa munera deferendi.

Ergo P. Matthæus ſtatuit rem, vti apparebat oportuniſ-ſimam minime negligere. adſcito igitur in comitem P. Cata-neo, à quo plus auxilij ſperabat, duos alios Socios Nanciani dereliquit, & nauigio conducto, pro ſe ac ſuis iter arripuit. Patribus acceſſerant fratres noſtri duo: Sebaſtianus Ferdi-nandus, & Emmanuel Pererius, quem ideo fratrem noſtrum nomino, quia non ita multo poſt in Societatem eſt cooptatus. De his fratribus noſtris obiter, & in curſu vnum monebo, ni-hil mirum videri debere, ſi illi natione Sinæ Luſitano cogno-mine appellētur. hi enim in oppido Amacaenſi nati, filij ſunt Sinarum quorundam, qui vna cum fide Luſitanum quoque cultum volentes induerunt, & nunc ſunt Luſitanis ſimiliores quam Sinis, cum vero Baptiſmum ſuſcipiunt, à Patrino, vt vo-cant, nomen ſimul & cognomen accipiunt, quanquam & hi Sinenſis familiæ cognomen non dimittunt, ſed eo vtuntur ſo-lum, cùm Sinenſi ſermone dicitur aliquid aut ſcribitur: nos Luſitanum vt notius in Europæo ſermone vſurpamus. **P. Matthæus comite P. Cataneo Nanchinum nauigat.**

In diſceſſu Noſtri, temporis anguſtijs excluſi, amicos mi-nime ſalutarunt, ſed nec Magiſtratus, ne ab ijs impedimen-tum aliquod naſceretur, nec de diplomate, vt olim curatum. eius enim Magiſtratus Societas omni diplomate ſecurior vi-debatur, imo ex eo itinere Nanciana ſedes ſecurior, & vni-uerſa expeditio multum accepit firmitatis. quis enim eſt ex omnibus Magiſtratibus, qui Præſidem Tribunalis Magiſtra-

tuum non vereatur offendere, atque ita omnino cecidit. nam toto tempore, neque Xaucei neque Nanciani contra noſtros Muſſitatum.

Præſidem Socij in nauigatione Nanchinum verſus ſibi magis magiſque conciliarunt.

Nanciano ſoluerunt noſtri poſtridie eius diei, qui Diuo Præcurſori ſacer eſt, octauo ſalutis anno ſupra nonageſimum. toto eo itinere, quo nauigatum eſt Nanchinum verſus, Præſidem ſibi magis magisq; conciliarunt, eius filios atque domeſticos munuſculis delinierunt, ſed maximè gratiam ambierũt eius, quem conſiliorum ſuorum participẽ ac prope arbitrum faciebat. Vxoris fratrem, qui naturæ bonitate ductus Patribus fauit, quamdiu in viuis fuit, totos dies in Præſidis nauigijs de hoc negotio proſpere conficiendo tractabant, & ſubinde auctor erat Præſes ipſe, vt ex horarijs machinis Regi altera Palatino altera cuidam ex Eunuchis donaretur, qui eam rem ſuſcipere vellet promouendam. Sed abnuit P. Matthæus alium protectorem huic negotio nominare, nec eam machinam alteri quam illi ipſi donare, qua re mire captus eſt, & huic negotio illigatus, nec promiſſum diu dilatum. nam extemplo illi horologium Socij donauerunt, cuius vſum ſenſim edoctus, ille ipſe cum opus erat moderabatur.

Iapones regnũ Coria infeſtãt.

Nanchinum vbi ventum, omnia formidinis plena repererunt. nam Iapones ſuis finibus egreſſi regnum Coria infeſtis armis impetiuerant. id Sinæ quod eſſet vectigale magno ſumptu tuebantur, & exigua ſpes eo tempore apparebat, Iaponum impetum retundendi. Ea res effecit, vti nemini ſatis animi fuerit, ad Noſtros hoſpitio excipiendos. nam grauibus edictis nuper cautum erat, ne quis in ædes ſuas reciperet homines, qui vel habitu, vel vultu ſuſpicionem ingererẽt, quin paucis ante diebus Iaponios exploratores interceperant, qui in omnem partem vagi omnia contemplabantur. ergo æſtus maximos exiguo nauigio male tecti ſuperarunt. neque hic ſuam Præſes auctoritatem interpoſuit, ſed & ipſe trepidare cæpit,

Socijs & Præſidi metus inijcitur.

ne adue-

ne aduenas adduxiſſe ſibi fraudi eſſet. P. Matthæus tamen in vrbem frequens itabat ad Præſidem inuiſendum, ſed ſemper geſtatoria ſella tectus, quanquam non ita tegi potuit, quin de eius aduentu monitus fuerit ſumus militum Præfectus totius regni. id autem noſtri eo tempore ignorarunt, & poſt annos plures ab eo ipſo audierunt. narrabat enim ſe exploratores miſiſſe ad eum intercipiendum, à quibus cum relatum eſſet eum in Præſidis palatium itare, ab iniuria abſtinuit, vel Præſidis metu, vel quod nihil eſſe periculi crederet in eo, quem vir tantus ſua familiaritate dignabatur.

Interim de re tota conſilium hoc inierant, Regi libellum Nanchinum mittere placebat per eum, qui velut Cancellarij quem vocamus officio fungitur, & libellos Regi deſtinatos Nanchino transmittit, & iam eum libellum P. Matthæo ſcripſerat inſignis litteratus, & aulicis negotijs aſſuetus, qui libellus cum non prolixus eſſet, octo tamen aureis vix à ſcriptore impetratus. tanti litterati Sinenſes ſcriptiones ſuas ſolent æſtimare. Verum ea res in ventos abijt. nam tametſi Magiſtratus ille Pręſidi eſſet peramicus, adduci tamen non potuit, vt ſeſe aduenarum libellis immiſceret, & vt tergiuerſationem conſilio cohoneſtaret, auctor erat, vti Præſes ipſe noſtros Pechinũ ſecum deduceret, eum ibi libellum illum facilius & efficacius Regi traditurum, qua tergiuerſatione vel potius repulſa, noſtri Nanchini in Præſidis humeros reciderunt.

Conſilium initur de libello Regi transmittendo.

A Nanchinenſi Prorege P. Matthæus euocatur; inde cum noſtris Pechinum nauigat.

CAPVT SECVNDVM.

PRÆSES iam deſperans de negotio illo Nanchini conficiendo, nec auſus fidem tot acceptis donis obligatam frangere, omnino ſtatuit Noſtros in Aulam ſecum abducere, &

nego-

negotium illud de munere Regi offerendo, adhibitis Eunuchis amicis ſuis, omnino tentare; verum quoniam illum iter terreſtre arripere oportebat, vt ad certam diem Pechinũ Regi ſex Tribunalium nomine gratulaturus diem Regis natiuitate lætum perueniret: ſarcinas ſuas flumine transmittebat domeſticis duobus cõmiſſas. monuit ergo noſtros, vti ſimul eodem nauigio veherentur, & vbique ſe pro domeſticis ſuis gererent. id nauigium non male refert triremim noſtram, quam à nauigandi celeritate Sinæ nauem equeſtrem vocant. in ea vti liberius nauigarent noſtri, ſtationẽ vnam precio conducere, quam communi cum famulis Præſidis contineri maluerunt, & ea ſtatio Patres ambos cum reliquo ſuo comitatu commode capiebat.

Præſes Sociorum negotiũ ſeriò tractat.

Inter ſarcinas ſuas & Regia munera ingenti tabula expreſſam totius orbis deſcriptionem deferebant, quam characteribus Sinicis & breuibus commentarijs exornarat P. Matthæus. ea tabula Præſes recreari ſolebat auidius, quod in ea vniuerſi vaſtitatem non vaſte deſcriptam cerneret, & tot regnorũ nomina diuerſorumq; rituum nouitatem legeret, & vt eam velut terræ faciem altius imprimeret, in eam conſpiciendã ſtudioſius ferebatur. Præſes igitur initio cum Nanchinum aduenit, è Sinenſi ritu maximi ad eum Magiſtratus concurrerunt, nouam aduenienti aut potius antiquam dignitatem gratulati, ſed vt gratulationes vacuæ eſſe non ſolent, eas muneribus cohoneſtabant. Degebat eo tempore in vicina vrbe diei itinere Nanchinenſis Prorex Præſidi peramicus. Is inquam nõ in Regia Nanchinenſi, ſed alibi reſidebat. nam tametſi Prorex erat, inferior tamen Præſidi & alijs in Regia Magiſtratibus permultis cenſebatur. Inde fit vt Nanchini Proreges conſidere nolint; ſed alio ſe conferunt, vbi Superiorem nullum habeant Magiſtratum. Is igitur olim ab alio quodam Nanchinenſis Prouinciæ in vrbe quadam Gubernatore Geographicã terræ ſuper-

ſuperficiem, quam P. Matthæus Sciauchini olim primam ediderat, & quia ea mirificè recreabatur, inſculpi marmori prægrandi iuſſit in Vrbe Luceù, & ſimul addidit elegantem ſcriptionem in illius operis encomium, quam ſcriptioné ille quidem fecerat, ſed auctoris primi nomen P. Matthæi videlicet in marmore reticuerat. inter cætera igitur quæ ad Præſidem miſit munera, vnam ex ijs deſcriptionibus velut à ſe cuſis transmiſit. libri primi memoriam appello, cum de Typographia ageretur, ibi legitur, qua arte Sinæ, ea quæ marmori ſunt inſculpta exprimant potius quam imprimant. Præſes igitur cum aduertiſſet hanc orbis delineationem ſatis ſimilem illi eſſe, quam P. Matthæus ſecundam ediderat, eo accerſito dixit: Neque nos, inquit, vniuerſa orbis delineatione carebamus. nam ecce tibi à Nanchinenſi Prorege vnam accipio ſatis illi ſimilem, quam à te excuſam conſpexi. Verum facile P. Matthæus fœtum ſuum parens agnouit, & narrauit hanc ipſam deſcriptionem primum à ſe Sciauchini editam, & amicis diſtributam huc etiam penetraſſe. quare Præſes mirè lætus, hoc etiam opus ex eo pluris fecit, quod vir tantus vniuerſo regno celeberrimus tanti æſtimaſſet: Hic enim Prorex Sciaù cognomine his quidem temporibus paucos habuit fama pares, quæ illius ingenium ſanè viuax, & in gerenda Republica dexteritatem ambitioſè celebrauit. & quidem ex ijs, quæ de eo cum publica munera gereret conſtanter narrantur, nihil illi videtur mendax alioqui fama temerè affinxiſſe. atque ita ex hac ipſa dignitate anno proxime inſequente in Aſſeſſoré Tribunalis vnius, Scilam vocant, Pechinum eſt euocatus. Porro cum in Prouincia Vquam à Regium quendam Eunuchũ populo grauiter ferente, periculoſe tumultuatum eſſet, Rex ad eum tumultum ſedandum ſua ſponte nullo ſuggerente, hunc ipſum Sciaù nominauit, quod fecit ille feliciter quidem; verum poſtea rebus proſperè geſtis æquo fidentior à propin-

Prorex ad Præſidem muneris loco mittit Geographicā deſcriptionem

Proregis Sciaù ingenium, & dexteritas.

Proregis integritas.

quis Regijs in eadem Prouincia crudeliſſime fertur enecatus.

Sed ad rem redeo; Præſes amico Proregi cum de munere ſcripto gratias ageret, monuit eius deſcriptionis Geographicæ auctorem apud ſe domi commorari, eo conſilio, vt ſecum Pechinum concederet. ea re audita Prorex extemplo Militum Præfectum cum litteris ad Præſidem legat, & enixe rogat, vti extemplo operis auctorem ad ſe mittat, dudum in votis ſibi fuiſſe cum eo congredi, ſicubi occurreret, quod eius celebri fama ad eum videndum vrgeretur: ſimul geſtatoriam ſellam, & baiulos mittebat, equos etiam & baiulos alios ad eius ſarcinas aduehendas addiderat. Eo etiam nunc tempore cum Proregis legatio aduenit, P. Matthæus cum Socijs ac Sarcinis in triremem illam Præſidis tranſierant, die inſequenti diſceſſuri. Verum auctore Præſide Proregi negari non potuit, quæ petebatur P. Matthæi excurſio, ſed neq; videbatur noſtris, vti hanc elabi ſibi ſinerent occaſionem neceſſitudinis cum celeberrimo viro contrahendæ. Ergo P. Cataneo dedit in mandatis, vti præiret, ſe poſtea per diſpoſitos equos facile triremem aſſecuturum. Ipſe igitur ſella geſtatoria vectus, cum duobus famulis ad Proregem pergit, & comitem itinere toto habuit eum Præfectum militum, à quo fuerat accerſitus.

P. Matthæus opera Præſidis in Proregis familiaritatem venit.

Proregem igitur noſter & Sinenſibus ritibus & munuſculis Europæis ſalutauit, quæ ipſe libens, vt in re noua fieri ſolet accepit, ſed Patris conſpectu magis recreatus, nullum finem faciebat cum eo colloquendi. colloquijs materiã dabant mathematicæ diſciplinæ, & variæ de Europa quæſtiones, quæ omnia mire comprobauit, vnde decem totos dies eum apud ſe prope per vim retinuit, vt colloquendi cum eo cupiditatem exhauriret. detulerat ſecum P. Matthæus, vt de Regijs muneribus ſermonem ingereret, quædam ex ijs, quæ Regi deſtinarat, inter quæ effigies fuit illa ſanè nobilis Chriſti Seruatoris vitro pellucido & ſtrijs eleganter ornata; eam igitur cum Pro-

P. Matthæus cum Prorege colloquiũ inſtituit

regi viſendam in eius cubiculo detexiſſet, primo conſpectu attonito ſimilis ſubſtitit, deinde vtraq; manu ſtriatas, quibus tegebatur valuas occludens, vultum auertebat. non intellexit P. Matthæus quorſum, & arbitratus eſt, eum effigie viſa exhorruiſſe: dixit igitur: effigies hæc alium nullum niſi cæli ac terræ Dominum repræſentat. Cui Prorex, nihil inquit dicto opus eſt, ſeipſam quippe loquitur, non eſſe mortalis cuiuspiã imaginem. ſed non eſt conueniens locus iſte ad imaginẽ Numinis exponendam. Habebat ipſe in Superiori domus parte, qua liber in cælum aſpectus patebat, ſacellum perelegans, in quo ſacello ex litteratorum inſtitutis cælo venerationem exhibebat, in id ſacellum tribus portis aditus patebat: vna in Auſtrum, in Ortum altera, tertia in occaſum ferebatur. in eius ambitu Porticus erat cancellis apte diſtincta, vltra cancellos hortulos ambiebat, & fruticum florumq; conſpectu oculos euocabat. Eo igitur in Sacello à Curialibus ſuis erigi Aram voluit, & in Ara cereos & odores incendi imperauit. ſupra Aram collocata Chriſti Seruatoris effigie, Ipſe ſumptuoſiſſimis officij ſui veſtibus indutus acceſſit, & debitam venerationem ſolitis, & ſæpe cantatis hoc volumine ritibus quarto repetitis exhibuit, inde ad imaginem per otium contemplandam acceſſit, ſed ita tamen, vt non ex oppoſito, ſed ad latus venerabundus adſtaret, atque ita multum temporis in ea ſpectanda conſumens, auelli non poſſe videbatur. Idem reliqui deinde domeſtici eadem veneratione præſtitere. Et quotidie ad eam repetitis ritibus ijsdem pari ſemper veneratione redibant. vnus porro ex eius cubicularijs in turribulum perpetuos ignes & odores Hero imperante curabat.

Prorex effigiẽ Saluatoris veneratur.

Per eos dies omnes Prorex primarios viros, ac Magiſtratus ad prodigioſæ imaginis ſpectaculum admittebat. eos inter Præſes fuit Ludilitterarii Prouinciæ Nanchinenſis, qui deinde Pechini P. Matthæo fuit peramicus, & tandem Prouinciæ Fu-

Prorex Magiſtratus ad ſpectandam effigiem Saluatoris inuitat.

chianæ Prorex nominatus eſt. Noſter etiam in hoc ſacello totum diem, vel officio diuino recitando, vel aliter orando, quantum licuerat conſumebat, & Deo pie gratulabatur honores illi ab Ethnicis etiam hominibus exhibitos. Cupiebat quidem Prorex diu P. Matthæum apud ſe retinere, vt mathematicas aliquot machinas extrui curaret, verum ex eo, quod reſciuerat Socios Pechinum verſus diſceſſiſſe, facultatem Patri fecit abeundi, & abeunti magnum argenti pondus in itineris ſumptus dedit, quod in tenuitate noſtra non fuit importunũ: ſed vtiliora etiam fuerunt, quæ dedit rem tantam aggredienti monita, cuius ipſe difficultatem minime diſſimulabat, & ſententiam ſuam exponebat, eam rem euentu ſuo cariturum. Inde in ſella geſtatoria dimiſſum ad flumen vſque deducendũ curauit, ibi celocem conſcendit vna cum eo, quem è ſuis curialibus elegerat, vti Patrem tamdiu comitaretur, donec fuiſſet Socios aſſecutus: id fuit in vrbe, cui nomen Chingan. vnde reuerſus ille, id Proregi renunciauit. Idem iſte Prorex, poſtea Pechini gloriari apud alios Magiſtratus ſolebat, quod eam Chriſti Seruatoris iconem, quæ Regi fuerat oblata, tot diebus intra Palatium ſuum habuiſſet.

Prorex P. Matthæum honorificè à ſe dimittit.

Flumen illud Nanchinēſe, quod maris filium dicere me memini Iansù Sinice apoellari, Nanchinum vſque in Boream vergit, inde nonnihil in auſtrum reuertens, magno impetu in mare incurrit: quadraginta fere miliaribus, ex eo Nanchinum præterfluit. vnde ut in Regiam Pechinenſem flumine aditus pateret, ex hoc in aliud flumen, Sinarum Reges, prægrandem riuum deriuarunt, id flumen flauum appellatur, quem colorem aquæ ſemper turbidæ inuexerunt. Et hoc eſt Regni Sinenſis alterum magnitudine & celebritate flumen, qnod extra regnum ad occaſum naſcitur, è monte, qui Cunlun appellatur, quem montem vero ſimilibus coniecturis colligitur, eum ipſum eſſe, vel alium minimè remotum, è quo Ganges

Flumen Nanchinēſe maris filius dicitur.

Flumen flauũ magnitudine celebre.

Ganges creditur ſcaturire. Id flumen à prima ſua ſcaturgine lacum efficit, quem à conſtellationibus appellant. inde in Sinarum fines penetrat in Prouincia, maximè ad occaſum, cui Scienſi nomen eſt, & iterum è Borealib⁹ muris in Tartarorum terras egreditur, deinde regreditur etiam ad Auſtrum, & Superiorem, è qua venerat Prouinciam, inde aliam, cui Scianſi nomen eſt, luſtrat, & aliam, cui nomen eſt Honan deinde irrigat: poſt in ortum flectitur, & non procul à filio maris in Orientalem Oceanũ influit. è Boreali Regione fluminis magni, quod Ianſu vocauimus. Fluuius hic nihil Sinicas leges veritus, è Barbaris Regionibus egreditur, & velut odium vlciſcens, quo Sinæ aduenas proſequuntur, illuuionibus perſæpè magnam regni partem fœdat, & alueum pro arbitratu mutat, cum plenus eſt arena, quam voluit. Huic deſignati magiſtratus, aut illius ſpiritui (ſpiritus enim multis rebus præficiunt) varijs ritibus litant; turbidos vero fluctus nonniſi intra mille annos ſemel ſerenare fingunt. vnde Sinenſe diuerbium eſt, ſi quando rem infrequentem explicant: cum flumen flauum ſerenabitur. vnde qui hoc fluuio feruntur, oportet aquam in multos dies conſeruare, dum lutum & arena ſubſidat: cuius non minus tertia parte intet fæces computatur. Ante huius fluminis ingreſſum & egreſſum riui reperiuntur, qui Pechinum commeatum deferentibus nauigijs, tranſitum præbent: ea nauigia ad decem millia dicuntur excreſcere, & ſolum è quinque Prouincijs Chianſi, Cechiano, Nanchino, Vquam & Sciantum mittuntur. Hæ quippe Prouinciæ Regi annuum vectigal oriza, frumentoq; pendunt: Reliquæ vero decem, argento numerant. Præter hæc nauigia alia innumera occurrunt Magiſtratuum perpetuo euntium ac redeuntium, alia quoque permulta priuatorum negotiatorum: Priuati tamen negotiatores ex Hianſu flumine in hos riuos ingredi prohibentur, ſed ij ſoli nauigant, qui intra Riuum ipſum ad Boream habitant.

Riui ex flumine flauo manantes.

habitant. id ſit, ne immenſa nauium multitudo tranſeuntibus aditum præcludat, aut aliquod Regiæ Pechinenſi malum moliatur, & tamen ita immenſa eſt nauigiorum multitudo, vt ſæpe dies complures præſtolari tranſitum, aliæ alijs præpeditæ naues cogantur, maxime certis temporibus, cum aquæ penuria in canalibus laboratur, cui vt mederentur, multis in locis valuis ligneis aquam continent, quæ in pontes etiam vſu duplicato inſtruuntur, hæ deinde valuæ pleno riuo pateſiunt, & nauigia aquæ currentis impetu deferuntur, atq; ita in aliam ex alia cataractam magno nautarum labore nauigatur, & faſtidioſa itineris tarditate. Inde labor etiam creſcit, quod intra riui anguſtias raro nauigantibus venti fauent. vnde funibus fere nauigatio promouetur, quin etiam non raro accidit, vt in egreſſu cataractarum, vel ingreſſu, cum laborantes aquæ vortices inuoluunt naues, demergantur: verum Magiſtratuum aut Primorum nauigia, machinis è ripa ligneis, in aduerſas aquas attrahuntur, idque regijs ſumptibus, itinere toto factitatur, & in hoc quidem riuo ad nauigationis vſus conciñando, in annos ſingulos anni, vt arithmetico vocabulo vti liceat, millionem expendi nihil dubitatur. Ea res ſtupori fortaſſis erit Europæis, qui è Chorographicis tabulis intellexerint, iter fore in aulam Pechinenſem breuius atque expeditius, & ſine ſumptu, ſi mari nauigetur, ſed maris & Pyratarum metus ita in Sinarum animos alte penetrauit, vt in aulam commeatum mari deferendum pro maiori incommodo putent.

Aqua valuis ligneis continetur.

Hoc itinere toto permultæ & celeberrimæ ciuitates occurrunt trium ſcilicet Prouinciarum Nanchinenſis, Sciantũ, Pechinenſis, & præter vrbes, tot ſunt ad ripas oppida, pagi, ædes, vt dici poſſit totum illud iter habitatum. hinc fit, vt nullo in loco deſit nauigantibus recens cõmeatus frumenti, orizæ, carnium, piſcium, pomorum, olerum, vini, & rerum huiuſmodi, quæ viliſſimo pretio diſtrahuntur. hoc eodem riuo in Regiam

Inter Nanchinũ & Pechinũ ciuitatũ multitudo.

giam ligna, trabes, tabulæ, columnę, (nam lignea ſolum Sinæ in pretio habent) ad opera Regia deuehuntur eo potiſſimum tempore, quo Regium Palatium arſerat, & è tribus partibus duas ignibus abſumptas cõmemorabant. atque ita toto itinere noſtri crates immenſas trabium, inter ſe colligatarũ, lignorumq; cæterorum reperiebant, quas multa mortalium millia ingenti ſudore protrahebant, & vix intra diem vnum, quinq; ſexúe miliaria promouebant. & quidem è Prouincia Suſcuen, quæ abeſt ab vrbe Regia longiſſime, vix intra biennium, & ſæpè intra triennium huiuſmodi crates appellebant. vnde quælibet columna ex illis prodigioſe magis ad tria aureorum millia ſingulæ excreſcebant, & è cratibus vnam, quæ longiſſima viſa eſt, obuiam habuerunt, quæ in longum ad duo miliaria extendi iudicata eſt. Ipſi quoque lateres ad Palatij Regij molem, nam Sinæ latericium opus lapideo præferunt, hoc itinere vehebantur à mille quingentis paſſuum millibus delati, & permulta ſunt nauigia, quæ alium vſum habent nullum, nec diurnis aut nocturnis horis à nauigatione conquieſcunt. & quidem hac nauigatione huius generis tanta multitudo occurrit, vt non vni palatio, ſed vrbi non minimæ extruendæ ſufficere poſſe videretur.

Ligna apud Sinas in pretio ſunt, ad ædificia.

Latericiũ opus lapideo præfertur.

E prouincijs etiam auſtralibus, ad Regem anno quolibet, ea omnia mittuntur, quæ in ſterili Pechinenſis Prouinciæ ſolo deſiderari poſſe creduntur: poma, piſces, oriza, quin etiam bombicini operis veſtes, panni, & alia ſexcenta, & ſingulis dies præſtituta eſt, qua die niſi appulerint, ij qui vehendis illis præſunt, grauibus pœnis mulctantur. In his nauigijs, quæ ſupra equos vocari diximus, præſunt ſemper Eunuchi Regij, qui ſumma celeritate octoni ſemper aut deni nauigant. per hunc riuum æſtate ſolum tranſitus eſt, quo tempore apud Sinas flumina fere ripas exeunt, ideo fortaſſe, quod eo tum demum tempore niues è montibus, è quibus illa flumina oriuntur,

Pechinenſe ſolum ſterile.

Riuus æſtate ſolum nauigabilis.

tur, colliqueſcant. per æſtiuos igitur calores in itinere minimum menſtruo, & plerumq; bimeſtri, quæ deferuntur edulia procliue erat ante corrumpi, quam Pechinum peruenirent. ideo omnia eius generis admixta glacie refrigerant. & quoniam illa ipſa glacies paulatim æſtu diſſoluitur, omnibus ijs in locis per quæ ſimilibus nauigijs eſt tranſitus, ingens glaciei copia in hos vſus aſſeruatur, & tranſeuntibus pro nauigantium arbitratu diſtribuitur, atq; ita res omnes velut recentes in Regiam vſque deferuntur.

Eunuchi nauigiorum ſtationes vendunt.

Horum nauigiorum Eunuchi ſtationes vacuas viatoribus vendunt, & pretium in proprium lucrũ referunt. Sinæ quippe indignum putant, munera, quæ ad Regem mittuntur, in vnum nauigium cuncta conferre, ſed ad maieſtatem pertinere putant, ſi quamplurimis nauigijs Regię res transmittantur. Rex etiam alia ex cauſa id fieri non abnuit. cum enim innumera prope nauigia Regijs rebus onuſta Pechinum ſine iuſto pondere nauigent, occaſio præbetur negotiatoribus, ſpe lucri merces ſuas in vacuas naues, non maximo pretio inferendi, quæ res ſoli fertilitatem forte ſuperat, indigentiam tollit, minuit charitatem, vnde dici poteſt Pechini nihil naſci, ſed nihil deeſſe.

Socij ergo noſtri, tametſi in eadem cum Præſidis domeſticis eſſent naui, ſtationem tamen ſibi peculiarem pretio cõduxerant, qua in nauigatione, propter æſtum ingentem, multos dies toleratum, alius poſt alium prope omnes ægritudine graui laborarunt, verum diuino auxilio tandem omnes ſub finem ſunt in priſtinæ valetudinis ſtatum reſtituti. Nauigantes igitur tandem riuo egreſſuri in Sciantun prouincia flumini non facto ſed nato occurrerunt. id flumen excurrit prope Pechinum, vſq; ad arcem, quæ Tienſin vocatur. huic Pechino aut è Tartarea potius occurrit aliud flumen, quod pari deinde paſſu fluens, communes aquas immittit in mare, vel potius

tius ſinum illum, qui eſt inter Coriam ac Sinas, poſtquam vno ſimul die concurrerunt.

In hac arce nouus erat, & extra ordinem Prorex, ex eo, quod Iapones infeſtis armis, vt dixi, Coriam inuaſiſſent. ab eo Prorege claſſis ingens in Coriæ ſubſidium parabatur, vnde totum illud flumen bellicis nauigijs, plenum militari tumultu perſonabat. per medios cuneos noſtri nullo prohibente tranſierunt, ac denique in portum aut ripam potius Pechinenſem appulerunt, quæ ripa etiam tum itinere diei à Pechinenſibus muris diſtat. & tametſi ad muros vsque, ingentem riuum arte deriuarunt, ne tamen nauigiorum multitudine oppleatur, non niſi regias ſarcinas ingredi ſinunt, reliqua baiulorum humeris, vel plauſtris ac iumentis in vrbem deportantur. Dies quo tandem Noſtri primum in vrbem Regiam penetrarunt, lætior fuit, etiam ipſius feſtiuitatis auſpicio, incidit enim in Peruigilium eius diei, quem Eccleſia Virginis Natali conſecrauit. Sed neque nos hic gaudium noſtrum diſſimulare licet aut decet, cum iam in occluſum, tot ſæculis Regnum fidei Chriſtianæ Præcones, per tot maria deniq; penetrarint, & ſe primum in Vrbem Regiam intulerint.

Ad arcem Ticnſiù perueniunt.

Pechinum vrbem Regiam ingrediuntur.

Primaria quæ in hoc itinere tranſeuntes noſtri emporia luſtrauerunt, hæc fere numerantur. E prouincia Nanquinenſi Iamcheu, in eleuati poli ſupra finitorem gradu dimidiata ſupra ſecundum ac triceſimum. Hoaingan in quarto ſupra triceſimum, non toto Siuceu, in dimidiato ſupra quartum ac triceſimum amplè dimenſum. E Prouincia Sciantum, Zinim in triceſimo & quinto gradu duabus tertijs gradus portionibus ſuperadditis. Lincin in ſeptimo ac triceſimo duabus quoque tertijs gradibus partibus ſuperadiunctis. E prouincia denique Pequinenſi; Tiencin in nono ac triceſimo gradu atque dimidiato: Pequinum in quadrageſimo gradu peramplo. E quo conuincuntur erroris, qui ſola imaginatione ducti, Pequinum

Emporia præcipua.

Error Mathematicorum.

in quinquageſimo gradu ſtatuerunt. Nunc vero iterè Cantonienſi metropoli, quæ biduo abeſt ab Amacaenſi portu Pequinum vſque, per ſtadia Sinenſia dimetiar, quorum quinq; milliarium; quindecim leucam faciunt. fluminibus igitur itinere inſtituto, quod iter fere noſtri faciunt, E Cantonienſi Metropoli Nanhiunum 1170. Inde Nancianum 1120. hinc Nanquinum 1440. Deinde Pequinum 3335. quæ in vniuerſum collecta ſummam colligunt 7065.

Iter è Metropoli Cantone Pequinum.

Pechinenſi negotio fruſtra tentato Noſtri Nanchinum reuertuntur.

CAPVT TERTIVM.

IN hoc Regiæ Ciuitatis ingreſſu, iniuriam illius maieſtati facerem, & lectori deſiderium ingererem, niſi de ea pauca præfarer. Sita eſt igitur Regia hæc vrbs in extremo regno ad Boream, nec abeſt à nobilibus illis contra Tartaros muris, niſi centum miliaribus. magnitudine & vicorum compoſitione, ædificiorum mole, munitionibusq;, à Nanchino ſuperatur quidem, ſed viciſſim ſuperat incolarum multitudine, militum ac Magiſtratuum numero. ad Auſtrum duobus muris cingitur, altis ac fortibus, quorum ea eſt latitudo, vt facile currentes equos duodecim ſimul capere poſſit, nec alter ab altero impediatur. conſtant illi ex opere lateritio, niſi quod in pede ſaxis ingentibus tota murorum moles inſiſtit, medijs in mænibus pro latere confectam terram iniecerunt, & altitudine quidem non parum ſuperant eos, quibus Europeæ vrbes aſſurgũt. ad Boream vno non amplius muro ambitus continetur. In his mænibus nocturnis horis à militum turmis, non minus vigilatur, ac ſi omnia bello arderent: diurnis ad portas Eunuchi excubant, aut excubare ſe dicunt. nam reuera vectigalibus exigendis incumbunt, quod alijs in vrbibus fieri nequaquã ſolet.

Situs vrbis Regiæ Pequinenſis.

Magnitudo.

Latitudo murorum.

Regium

Regium Palatium, intra interiorem Auſtralis Regionis murum conſurgit, penè pro vrbis portis, & inde in Borealem vſque murum excurrit. vnde videri poteſt vniuerſam vrbem occupare. nam reliqua ciuitas ex vtroq; Palatij latere diffunditur. anguſtius eſt aliquanto Palatio Nanchinenſi, ſed anguſtias amænitate ac ſplendore compenſat. Nanchienſe quippe ex abſentia Regum, inſtar cadaueris anima deſtituti indies corrumpitur: Pechinenſe vero ex eorum præſentia magis magisq; exornatur. Regium Palatium.

Vrbis vici Pechini perpauci lateribus aut ſilice ſtrati ſunt. vnde dubitari poteſt, quo maximè tempore moleſtior ſit inceſſus. nam hyems, lutum, æſtas puluerem, utrumq; moleſtiſſimum incedentes æque fatigat. & quoniam in ea Prouincia pluit infrequenter, tota in puluerem terra diſſoluitur, quem ſi ventus licet non maximus excutiat, nullus domi locus eſt, quo non ille penetret omnia fœdaturus. ex hoc incommodo remedium quærentes, morem inuexerunt alibi, vt arbitror inſolentem. nullus eſt enim è quolibet ordine, qui pedibus aut equo incedat ſine velo è pileo ad pectus vſque pendente, & faciem contegente, quod ita comparatum eſt, vti raritate ſua ab oculis penetretur, non tamen à puluere. id quoque velum aliud habet in ea vrbe percõmodum, quod non niſi quando volueris, agnoſcaris. vnde ab innumeris ſalutationibus liber, quo quiſq; voluerit apparatu moleſtiam minuit, ac ſumptibus parcit. cum enim apud Sinas intra vrbes equitare minus magnificum habeatur, & ſella geſtatoria vehi, ſit ſatis in ea vrbe ſumptuoſum; licet ſine nota minuere apparatum. ea quoque conſuetudo noſtris cecidit opportune; nam inter bellicos tumultus, externos homines per vicos curſare, fuiſſet importunum. ergo hac vſi conſuetudine, nemine aduertente, liberè quò res exigebat velo tecti commeabant. Vix alibi familiarius eſt, luto ac puluere neceſſitatem inducente, equo vel alijs Vrbis vici. Pechinenſes velo contra pulueres vtuntur.

etiam iumentis inſidere, quæ paſſim in triuijs portisq; vrbis ac Palatij pontibus ac fornicibus frequentioribus ſeſſores præſtolantur, & paucis obolis diem totum ſeſſorẽ ſuum vehunt: Et quoniam incredibilis eſt vrbis frequentia, muliones plerumq; iumenta fræno circumducunt, & viam aperiunt; ij quoque peritiſſimi ſunt vicorum, nec fere eſt quiſquam è Primoribus, cuius ædes ipſi minimè norint, & proſtat etiam cõmentarius, in quem vrbis Regionum, vicorum, platearum, nomina omnia referuntur fideliſſime, nec equos ſolum, ſed ſellas vbique geſtatorias ac baiulos reperis, qui magiſtratuum ſalutatores ac reliquos viros fere primarios geſtare geſtiunt quanquam pretij plus ſatis exigunt, quam Nanchini aut alibi conſueuit.

Muliones ſeſſores præſtolantur.

Vrbs abundat rebus, vt ſupra dixi omnibus, ſed fere importatis, nec in hac vrbe ita commodè viuitur, niſi ab ijs quos copia frugaliter viuere minimè cogit. ligna tamen in focum maxime deſunt, ſed eam rem compenſat bitumen illud (nec enim aptius nomen inuenio) è terræ viſceribus effoſſum, quale apud Eburones in Belgio, & alibi videmus, quo incenſo in culinam focus extruitur, imo & in hybernis frigoribus, quæ aſperiora ſunt, quam ipſa poli vicinitas poſtulat, commodiſſime lignorum penuriæ, illius copia ſubuenitur. vnde fere ſolent lectos opere lateritio ita conſtruere, vt ſubtus inanes ſecretis fiſtulis calorem admittant, quo è foco nouo hypocauſtorum genere ſubtus lectos aſpirat, & quidem nihil opus eſt totam noctem ignem illum fouere, diutiſſime quidem perſeuerat. Et ea lectorum ratio per omnes Borealium Prouinciarum Regiones obſeruatur.

Lignorum penuria.

Lectorũ ratio.

Sinæ Boreales, natura hebetiores aliquanto & minus acuti Auſtralibus, ſed militari virtute longe ſuperant. ita ſunt enim res humanæ compoſitæ, vt ſeipſas viciſſim ſuperent atque ſuperentur. Hoc noſtrorum in hanc vrbem Regiam aduentu

Sinæ Boreales.

uentu conſtare denique certo cœpit, quod iam diu opinati fuerant, hoc regnum illud ipſum eſſe, quod magnū Cataium apud aliquos auctores appellatur, & hanc vrbem Pechinēſem Regiam eſſe illius, quem magnum Can vocant, qui nunc eſt Rex Sinarum. quæ vrbs ab iiſdem Cambalu nominatur. Id ne cui incredibile videatur, probare nunc aggredior. Ac primum quidem inditium, quo in eius rei coniecturam diu incideramus, ex eo collectum eſt, quod illi ipſi auctores, qui de hoc vaſtiſſimo Regno Cataio aliiſq; Sinarū Prouinciis ſcripſerunt, aſſerebant illud ad hanc mundi plagam Perſicis Regnis ad Orientem adiacere, & Perſidem quidem latius nunc extendo, quam ea, quæ nunc Perſidis nomine inſignitur. eas enim omnes Regiones complector locorum immanitate vaſtiſſimas, quæ in Aſia ad Sinenſes vſq; terminos Perſicum ſermonem admittit, ad Auſtrum vero à Tartaris videri: Et quoniam in Sinarum regno frequenti inquiſitione nihil de vaſtiſſimo regno audiebamus, fieri nobis minime poſſe videbatur, vt res tanti momenti à vicinis omnino regnis ignoraretur, & è maximo imperio nullam neq; belli, neq; cōmercii memoriam per tot ſæcula reperiri. De hoc eodem Cataio legebamus, illud à flumine Chan ab ortu in occaſum vſque peruadi. Chian porro lingua Sinica flumen maximum ſonat. alii enim fluuii Cho appellātur. illud porro flumen ſuſpicamur eſſe, quod filium maris appellauimus. in hodiernam quippe diem Ianſuchian appellatur. legebamus prætereа ad auſtrum regna nouem; ſed ad Boream eo in regno reperiri, quæ planè cū quindecim Sinenſis regni Prouinciis non numero ſolum, ſed ipſa quoque re conueniunt. Sunt enim hæ prouinciæ regna etiam vaſta quindecim. aliquas enim ex illis vniuerſam Italiam nihil eſt dubium magnitudine ſuperare. Ad Auſtrum quoq; ex his nouem ſitæ ſunt, ſub eo nempe flumine, quod modo nominaui: Ad Boream vero ſex ſupra flumen illud ipſum numerantur.

Magnum Cataium.

Regni Catai amplitudo.

Tartari confines Pechinenſibus.

Regna quindecim.

rantur. Indicium etiam ex cuiusdam auctoritate clarius accepimus. anni ſunt plus minus quadraginta, hoc ſcilicet quo ſcribimus milleſimo ſexcenteſimo octauo, ex quo Pechinum ex Arabia Turcæ duo aut Mahometani ſaltem peruenerunt. Illi terreſtri ſemper itinere ad Sinarum Regem leonem adducebant, auditum alias à Sinis animal, ſed viſum infrequenter. hi ab Rege excepti ſunt perhumane, & Magiſtratu quodam donati ſupra regium ſtipendium, quod etiam in filios & vniuerſam progeniem propagarent: id factum ad Leonem quamdiu vixit, moderandum, & ne in Patriam redirent res nouas in Sinarum regnum moliturri. hoc ipſo tempore cum noſtri Pechinum aduenerunt, ſuperſtites erant ambo. ad eos P. Matthæus vnum è fratribus noſtris miſit, ut aliquid earum rerum ab ijs expiſcaretur, quin etiam cum ſecundo noſtri in hanc aulam redierunt. ipſe P. Matthæus cum illis eſt ſæpè congreſſus, è quibus clariſſimè conſtitit, regnum illud, in quo tum viuebant, magnum Cataium, & vrbem ipſam Cambalu appellari, nec ea de re vel tantillum dubitabant, aut aliud ſe ex itinere Cataium repetiſſe vel audijſſe cõmemorabant. Idem ex alijs quoq; è Perſide aduenis auditum à noſtris ſæpius ac ſæpius, nec vnquam ea de re variatum.

Duo Turcæ ad Regem Sinarũ perueniunt.

Quin etiam ex ipſis Sinis ingeſto à noſtris ſermone, illud quoq; nomen ab ijs auditum reperimus, ac tametſi ab externis hominibus Sinarum regnum ita appellatur, nominis tamẽ origo partim è Sinenſi ſermone, partim è Tartaro deducta dubitari vix poteſt. Sinæ quippe ſcriptis libris, quoties Tartaros nominabant, Lù dicunt, & Septentrionis plagam Pà. nec ſolum Pè. Tartaris vero Cam, à nobis magnus redditur: quam vocem ne ipſi quidem Sinæ ignorant: & quoniam eo tempore, quo ſe Tartari in Sinarum regnum intruſerunt, Rex Tartarus ſedem Pechini fixit, ideo Campalu appellauit. & quoniam apud varios P. conſonans in B. cõmutatur, ideo Cambalu

Rex Tartarus Pechini ſedem fixit.

cæpit

cæpit appellari. quanquam Sinæ qui conſonante B, ferè carēt, etiam nunc Canpalu pronuntiant. inde plane apparet, Marcum Paulum Venetum eo tempore in hoc regnum penetraſſe, quo Tartari Sinis imperitabant, & fortaſſe cum illis ipſis eo penetraſſe. Eius deinde cōmentarijs Europæ, Sinarū Regnum innotuit eo nomine, quo Tartari vtebantur, Cataium videlicet & vrbem Regiam Cambalu appellantes. & ſi quis vrgeat fortaſſe latius Catai fines à Marco Paulo protendi, quàm Sinarum hodie pateant, id vt ſit verum, quia nondum excuſſi, nihil obſtat, quin vicinas Tartarorum Regiones communi nomine ad Boream paulo latius appellarent. Hoc tamen tempore nulla extra muros Sinenſes Regio reperitur, quæ Cataium vocitetur. Sinarum regnum innotuit.

Luſitani poſtmodum huius regni famam, Chinæ nomine in Europam amandarunt, deſumpto vt arbitror ab Siam incolis nomine. Vrbem vero Regiam cōmuni cum Sinis nomine Pechinum appellarunt. vnde nihil mirum, Coſmographos noſtros nominum diſcrimine permotos, duo regna diſtinxiſſe, & quidem ita contigua, vt alterum ſine altero cognoſci nullo modo poſſe videretur. Has certiſſimas vt videbatur coniecturas P. Matthæus in Indiam Europamq; trāſmiſit, nec tamen fides illi tunc ſatis adhibita, donec alia ratione ita conſtitit, vti iam ne in dubium quidem poſſit reuocari, quod infra ſuo loco fusè narrabimus. Chinæ nomen in Europam transmiſſum.

Noſtri mox vbi Pechinum ingreſſi ſunt, in Præſidis illius cuius auctoritate venerant aulā ſe contulerunt. is enim itinere terreſtri non exiguo temporis ac vitæ compendio iamdiu aduenerat. excepit eos intra Palatij fines habitatione non incommoda, nec eos abeſſe voluit, eorum conſuetudine delectatus, cæpit igitur ipſe noſtrum negotium cum Eunucho familiari cōmunicare. Is recepit ſe rem tantam pro virili curaturum, & in eum finem Socios videre ac regia munera voluit. Socij Pechini à Præſide excepti.

Ergo

Ergo ad dictam diem Præſes & Eunuchus ad ea ſpectanda in noſtrorum ſtationem ſe cōtulerunt: ab Eunucho P. Matthæus exceptus eſt perhumanè, eo nimirum ritu qui adhiberi ſolet in prima illorum viſitatione, quos dudum videre geſtierunt. inde ſimul omnes in eadem menſa ſunt familiariter epulati: Hæc igitur vidit: horariam machinam, Chriſti Seruatoris ac Dei Parentis imagines, Grauicimbalum Sinis hactenus inauditum, vitra trigona duo. & Dei quidem Parentis effigies, cum in terram exponeretur, baiulorū iniuria in tria fragmenta diſſiluit, ſed ea res, quæ illius valorem in Europa ſuſtuliſſet, apud Sinas etiam auxit. nam fragmentis denuo inter ſe compoſitis, antiquitatem cæpit vbique venerandam hac ratione redolere, vnde pluris etiam habebatur quam ſi integra viſeretur. Eunucho ac cæteris ſpectatoribus mirè omnia placuerūt: ſed tamen audierat ille noſtros argentum verum ex viuo conflare, eam rem ipſe cæteris præferebat: Sciebat enim id Regi gratum inprimis fore; ita humanam cupiditatem nullæ opes ſatiant, vt ſint quales ſunt Sinarum Regis prope imēnſæ. Ergo vbi vidit nihil ea de re à noſtris ingeri, reſpondit; videri ſibi his ex cauſis, Regi de aduenis ſermonem minimè inferendū, eo maxime tempore, quo paries pene proximus bello ardebat, & è Coria quotidianis rumoribus crebreſcebat, multos mortales bellicis congreſſibus interire, & Iapones omnino in Sinarum regnum velle penetrare. & quoniam ipſi omnes vno nomine aduenas vix diſtinguunt, arbitrati eoſdem vel prope eoſdem eſſe, hinc fit vt noſtros pro Iaponibus haberent. ipſe quoque Præſes ea re & amicorum conſilijs monitus, periculoſum cæpit iudicare externis eo tempore negotijs implicari. re igitur deſperata, ſecum noſtros Nanchinū reducere meditabatur. Verum Patribus viſum eſt rem nondum eſſe deſperatam. ne itaque tot labores ac ſumptus in vanum contuliſſent, menſem vnum, poſt Præſidis diſceſſum, Pechini ſunt cōmorati

Dei Parentis effigies cōſtringitur.

Socij pro Iaponenſibus habentur.

rati

rati in conductis ad eam rem ædibus. Præſes enim ad certam diem vrbe Regia egredi per leges tenebatur, qui enim ad Regias huiuſmodi gratulationes in Aulam veniunt Magiſtratus, intra menſem Pechinenſibus muris egredi, & ad ſua munia redire compelluntur.

Amacaenſis Collegij nouus Rector P. Emanuel Diaz, nummos in itineris, ſumptus neceſſarios ſubmiſerat, ac deinde cōiectans Socios Pechini fortaſſe inopiam paſſuros, ſyngrapham miſit, qua ſcribebat, eos aliam ſummam Pechini exacturos pro ea, quam receperat quidā Negotiator Amacai, ſed mentitum fuiſſe Negotiatoris nomen, qualem nullum eo nomine Pechini repererunt, euentus oſtendit, id alias etiam iterum accidit: ac tametſi Amacai noſtri pecuniam receperunt, ideo tamen hic eam rem inſero, vt conſtet, id negotiandi genus Sinenſium mercatorū fidem excedere, & toto regno paſſim eſſe inuſitatum. Abierat iam Præſes Sociorum protector, & noſtri varia in finem ſuam moliebantur, ſed plane fruſtra. nam familiares omnes, vel P. Matthæi vel Præſidis amici, Magiſtratus, Noſtros in ædes ſuas nedum ad colloquium admittere voluerunt, licet ſcriptas à Pręſide ad promouendum negotium litteras obtruderent. tanta eſt aduenarum vbique formido. ergo tandem viſum Noſtris, eam rem fruſtra tentari, & nondum horam aduenifſe, qua Deus optimus maximus vellet eam vrbem Euangelij ſui radijs illuſtrare. atque ita priora conſilia damnantes, Nanchinum repetere ſtatuerunt, & in aliam occaſionem ſua vota differre, maximè quod minus tutum videbatur, inter bellicos tumultus infortunium aliquod præſtolari, quo iam erectæ ſedes periclitari, & huic erigendæ ianua in poſterum poſſet præcludi.

Socij ad congreſſum non admittuntur.

Ergo ad reditum cōmodum nauigium exiguo pretio conduxerunt. nam in reditu vacuæ naues, quolibet naulo viatores vehunt. Nauigij cōmoditatem Nauarchi tenuitas fecit incōmodam,

Socij Nanchinum redeunt.

modam. armis enim pleriſq; ac ſocijs Nauticis carebant. vnde Linſinum vſque vrbem menſtruum iter fuit. Sed neque tempus illud malè collocatum; nam à Patribus Sinenſium vocabulorum index in ordinem redactus, adiutore maximè fratre noſtro Sebaſtiano Sinenſis linguæ apprime perito. alia quoque multa concinnarunt, quibus in poſterum noſtri faciliore methodo patrium ſermonem ediſcerēt. nam aduerterunt ex eo quod Sinenſe idioma vniuerſum è ſolis vocibus monoſyllabis conſtet, ad multiplicandos earum vocum ſonos accentus nonnullos & aſpirationes ab Sinis inductas, quarum rerum ignoratio perturbationem tantam afferebat, vt neque intelligi poſſent loquentes, aut intelligere. Inſtituerunt igitur accentuum virgulas ac notas quinque, quibus intelligerent noſtri, quo quæque dictio accentu efferretur. tot enim ipſi accentuum varietates eſſe aduerterunt. ad eam rem contulit P. Cataneus non parum. ille quippe artis muſicæ peritus, cum dictiones in aures ſonis aſſuetas admiſiſſet, facilius accentuum varietatem internoſcebat, & ſanè ad hunc ſermonem ediſcendum, iuuat non parum aures muſicis ſonis nonnihil aſſuefeciſſe. eum igitur ſcribendi modum, qui tum à duobus antiquiſſimis Socijs inſtitutus, reliqui hodieq; obſeruant, ne ſi quiſq; pro arbitratu ſcripſerit, magna perturbatio ingeratur, & alteri alterius ſcripta prodeſſe non poſſint. iuuit etiam Noſtros non parum in Sinicis libris ediſcendis P. Matthæi quam in Tetrabiblium Sinenſe ſcripſit, latina paraphraſis, ſuis etiam commentariolis illuſtrata. De Tetrabiblio illo, primus liber cum de litteratorum gradibus agit, conſulatur.

Socij linguæ Sinicæ danto peram.

Muſicæ peritia non parum cōducit ad linguam Sinenſem.

Hyeme præuenti Noſtri in flumine hybernant. P. Matthæus itinere terreſtri Nanchinum repetens, tertiam ſedem erigit.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

SInenſes omnes fluuij in Borealibus plagis ſub ipſa hyemis initia ita gelu concreſcunt, vt nauigijs peruadi minime poſſint, ac plauſtris etiam fidum tranſitũ præbeant. Et quoniam noſtri ſerius paulo ſoluerant, & tardiſſimè nauigabant, in flumen concretum inciderunt, & nauigandi tempus in veris principia neceſſario præſtolandum. Lincinum vrbs eſt è maximis, & commercio celebris in paucis, ad eam enim non prouincialia ſolum mercimonia, ſed è toto quoque regno peruadunt. Ea res frequentiam facit vndique commeantium. Socij hybernare coguntur. Lincinũ vrbs.

In hac temporis neceſſitate, Patres angebat temporis maximè iactura, quam per hybernos menſes mora inutilis faciebat, & itineris ſuſcepti negotia tantopere interrumpebat. Ergo inito conſilio viſum, vti Pater Matthæus cum famulis duobus ad auſtrales regiones terreſtre iter arriperet, tentaturus an Nanquini aut alibi nouam ſedem poſſet ſtabilire. Socius cum fratrib⁹ ac ſarcinis, dum ſe vis hyemis remitteret, ibi præſtolaretur, & per apertum glacie ſoluta flumen, Nanquinum repeteret. Et quoniam Chiutaiſu familiaris ille Xaucei diſcipulus, ſæpe olim & mutuis collocutionibus, & deinde litteris, P. Matthæum ad ſe in patrium ſolum euocarat, vti ſedem ibi perpetuam ſtabiliret, ſtatuit ſibi eo eundum, vt in nobiliſſimo emporio Suceu vocant, vota ſua Deo Duce tentaret, quam ad rem omnino illi facere plurimum videbatur, eius vel amicitia, vel auctoritas, quem hactenus fidum præ cæteris amicum reperiſſet. P. Matthæus aliam Sedem ſtabilit. Suceu.

Ergo per mediam Sciantum prouinciam penetrans, Siuceu & Yamceu nobiliſſima emporia luſtrauit. quanquam hyberna frigora iter interturbabant ſæpè, ac laborem augebant; verum mira facilitate quaquaverſus iter nullo prohibente inſtituens ſeipſum ſolabatur. Ergo transmiſſo Yamceu flumine,

in Cinchiamfu regionis illius metropoli in effoſſum arte riuum ingreſſus eſt, quo riuo in emporia nobiliſſima Suceu, imo & in metropolim vſque Cechianæ prouinciæ Hamceu nauigatur. Hic riuus ideo, quod áuſtralior nullo tempore concreſcit, adeò ſubinde anguſtus eſt vt nauigiorũ multitudine occupatus, neque gradiendi, neq; regrediendi faciat facultatem, quod hîc P. Matthæo contigit. Ergo alium inuenit itineris proſequendi modum, ijs in locis non infrequentem, facilem etiam & non incommodum. Plauſtrum eſt vnius non amplius rotæ, ita conſtructum, vt vni in medio plauſtro conſidendi, ac velut equitandi, alijs etiam duobus è lateribus fiat locus. Auriga plauſtrum retro ligneis vectibus vrget, ac promouet, non ſecure minus quam velociter. atque ita breui Suceu peruenit.

Artificioſum quoddam plauſtri genus.

Suceù omniũ nobiliſſimum in China emporium.

Nobiliſſimum hoc Emporium vnum eſt ex ijs, de quibus eſt Sinenſe diuerbium; quod in cælo Beatorum ſedes, hoc in terra Suceù & Hanceù nominatur. eſt enim è principibus & celeberrimis huius imperij locis; ſiue ſplendorem, ſiue opes, ſiue copiam, ſiue frequentiam, & quidlibet aliud ſpectes. tota extructa eſt vrbs hæc in placido aquæ potabilis flumine, quod fere ſoli vento paret fluctus commouenti, quod flumen ſi volueris, apte fortaſſe lacum appellabis. Per eam igitur totam vti Venetijs, vel aqũa, vel terra commeatur, ſed in hoc Venetias ſuperat, quod aquæ potabilis vſu potius, quam maris ſale perfruatur. vici omnes & ædificia, vt apud nos fieri ſolet, pineis trabibus in flumine defixis inſiſtunt, merces Luſitanæ, Amacao & quælibet aliæ, ab externis regnis importatæ, maximam partem in hoc emporio diſtrahuntur. illi enim in reliquas regni vrbes frequentiſſimum eſt, quolibet anni tempore commercium, atque ita nihil eſt, quod deſiderare poſſis ſi voles comparare, vnica vrbis porta in terreſtre iter patet, in reliquis aditus non niſi nauigijs patet. innumeri ſunt paſſim pontes, magnifici ſanè, & qui ætatem ferunt, ſed in anguſtis illis

riuis

riuis non niſi in arcum vnum aſſurgunt. Butyri & lacticiniorum nuſquam alibi tantus vſus. ex oriza quoque vinum nullibi præſtantius, & vnde in reliquum regnum Pechinum vſq; importatur: vix biduo abeſt à mari. munitiſſima vrbs eſt, & totius regionis, quæ vrbes octo numerat, caput. hanc tuitus eſt olim pertinacius è Principibus quidam, cum is qui huius Regiæ familiæ truncus eſt, Sinenſe imperium, pulſis Tartaris, inuaderet. ideo velut rebellis ciuitas in hanc vſque diem imane tributum pendit. nam dimidiatam omnium, quæ terra fert pendit portionem, inde fit, quaſdam in hoc regno Prouincias minus pendere ſimul duas, quàm quantum hæc Regio ſola Regi vectigalis exoluit. vniuerſa quippe Regio ſuæ Metropolis auctoritatem ſecuta, Regi pertinaciter æquè reſtiterat. in hanc etiam vſq; diem frequenti præſidio ſeruatur, & in ea præſentior eſt ſemper, quam alibi rebellionis metus. Sucçù caput regionis toti⁹.

Aberat tum forte Chiutaiſo, ſed non procul in vicinam vrbem Taniàn nomine cõmigrarat: ab eo exceptus eſt incredibili humanitate, qua maiorem ne in Europa quidem è familiariſſimis amicis, & addictiſſimis potuiſſet expectare. Hoſpitabatur in quodam Idolorum Cænobio, ſatis anguſtè: lectum ipſe ſuum, licet renitenti Patri, ceſſit: ipſe alium in ipſo ſolo ſibi ſterni iuſſit. Ex itineris laboribus & incõmodis, in ægritudinem incidit Pater Matthæus, & ita vt eo in loco moriturus videretur, ſed tantis obſequijs ab amico ſuo affectus eſt, vt intra menſem, quo tempore ibi ſubſtitit, vires ita recuperarit, vt robuſtior ſibi, quam prius videretur. Hæc obſequia P. Matthæus tum alijs munuſculis, tum vitro trigono remuneratus eſt; illud ipſe in Cantonienſi Prouincia ſummopere expetierat, ac pretio etiam comparare tentarat: eo igitur nunc in primis recreatus fuit, & vt illi vitro adderet maieſtatẽ, in argenteam thecam recluſit, & aureas catenulas in extremis nodulis illigauit, addidit etiam elegantem in eius encomium ſcriptionem,

Sociorũ amicus.

P. Matthæus à Chiutaisò humaniter excipitur.

Vitri trigoni mira æſtimatio.

nem,qua probare nitebatur, eam gemmam fragmentum eſſe materiæ illius, è qua cæli conſtant. his ornamentis multorum cupiditatem incitauit. nam non ita multo poſt quingentos aureos in pretiũ vnus aliquis dicitur obtuliſſe: verum ille tum quidem vendere renuit. tametſi maximè optaret,ea ſolum ex cauſa, quod non neſciret,id generis vitrum,inter munera regia computari, verereturq; ne emptor P. Matthæum miſſo ad Regem vitro præueniret, & eius deflorata nouitate minoris ab Rege haberetur, poſtmodum tamen vbi oblata Regi munera reſciuit, aucto etiam aliquantulũ pretio,tum demum vendidit, eaq; ſumma,multa debitorum nomina diſſoluit, & nouis apud Socios nominibus amicitiæ ideo illigatus, beneficium ſemper agnouit.

Cum eo porro negotia ſua pertractans, opem ſuam liberaliter detulit, aſſeruitq; ſe perpetuum Patris comitem fore, donec ijs in regionibus aliquod ex animi ſententia domiciliũ ſtatuiſſet. aduertens igitur P. Matthæum, ab eligenda ſede in Patrio Suceù emporio non ſolum non abhorrere, ſed etiam vtcunque propendere, non ex eo ſolum, quod ipſa ſoli commoditas, & frequentia inuitaret, ſed etiam, quod amici Patrium ſolũ eſſet, à cuius propinquis viris nobilibus ac primarijs amicitiæ iure ſperare poterat, quidquid ab amicis ſperatur. ergo familiaris noſter cum viris nobilibus ac prudentibus conſilia ſua communicans, auctore quoque P. Matthæo ſtatuit, Sedem Nanchini ſperandam, ſed neque tentandam. varias afferebant cauſas, ſed hanc maximè, quod in tanta Magiſtratuum multitudine, quantam Nanchini eſſe conſtat, ſperari vix poterat, vt omnium beneuolentia in noſtrorum patrocinium conſpiraret, atque ita facile futurum, vt ex ijs vnus aliquis noſtris infenſus, eos ſuis ſedibus cum ignominia exturbaret: Hæc omnia incõmoda Sucæi ceſſare putabantur. ergo ad eam conficiendam cenſuerunt, opus eſſe vti ad primi Tribunalis

De Sede figenda Sucæi agitur.

bunalis

bunalis Præſidem illum inquam itineris nuper Socium nauigarent, ab eoq; litteras ad Suceanos Magiſtratus expeterent, & ab alijs etiam Magiſtratibus amico noſtro peramicis, quibus litteris negotium noſtrum procliuius redderetur.

Anni principium eiusq; feſtiuitas retardat negotiũ Patrũ

Eo tempore Sinenſis anni principium appetebat, incommodum ad negotia tempus, dum omnes amicis ſalutandis, muneribus mittendis ac remittendis, conuiuijs inſtruendis eſſent occupati. viſum eſt igitur otiantibus negotia minimè obtrudenda, ipſi verò ad publicam illam celebritatem peragendam in vrbem Cinchian nauigarunt, qua in vrbe nemini non erat notus noſter Chiutaisò, & quod idem erat ipſe P. Matthæus. nullo enim in loco, in quo aliquamdiu conſtitiſſet, neglexerat illius famam euulgare. Ergo ad vtrumq; magni concurſus vrbanorum Magiſtratuum facti, ſed neque cæteri vrbis primores defuerunt. expletis igitur, ac tantiſper ſedatis alacritatis publicæ tumultibus, vterq; Nanchinum cogitabant. P. Matthæo Gubernator ingens nauigium obtulit publico ſumptu, quod Magiſtratibus fieri ſolet, vt Nanchinum nauigaret, nec renuit, ſecuritatis cauſa ratus id eſſe opportunum. Nanchinum redeunt.

Nanchinum igitur ſexto februarij vltimo ſæculi quingenteſimi anno deuenerunt, nec opus fuit antiqua illa circumſpectione, nullo enim prohibente pedites in hoſpitium deuenerunt. id fuit in Cænobio ingenti, cui nomen Cinghensù. in eo cœnobio magna eſt hoſpitum frequentia, qui in conductis ſtationibus, ideo commorantur, quod in ipſius ciuitatis centro extructum ſit. ea in vrbe alia omnia in melius mutata repererunt: certis enim nuncijs iam percrebuerat, Iaponios Coria pulſos, non ſine damno in patriam renauigaſſe, ipſum vero Imperatorem Cambaco extremum diem clauſiſſe, cuius cõſilia de Coriano regno ac Sinenſi occupando Sinas, gentem imbellem, tantopere terruiſſent. neque hoc ſolum metu liberi exultabant, verum etiam quod ærario Regio, ſublatis extra ordinem

Iaponij Coria pulſi.

Nanchinenſis ſtatus mutatus

ordinem ſumptibus, in poſterum parcebatur; Sinarum quippe exercitus fere ad centum millia militum recenſebat. Repererat Pater varios de ſe rumores, ſed beneuole tamẽ ſparſos: eum Pechinum auctoritate Præſidis nauigaſſe, vt Regi precioſa munera deferret, ac tametſi nihil effecerat, id tamen omnes in Coriani belli tumultus referebant, qui ſi alio quolibet tempore idem tentaſſet, facile audiendus credebatur: horarias machinas videre geſtiebant omnes, eo maxime ſtupore defixi, quod ſeipſa tintinnabulum pulſari diceretur. De imaginibus, de Grauicimbalo, ac reliquis mira ſparſa erant non ſupra fidem ſolum, ſed etiam ſupra modum.

Eo igitur in Cœnobio, à veteribus amicis viſitatur, inde poſt dies aliquot ad Præſidem vtrique peramicum itum fuit, is vbi audiuit Patrem Matthæum ſolum tot terras luſtraſſe, nullibi obicem iniectum fuiſſe, in conducta iam per ſe domo habitare, ab amicis frequenter viſitari, mire lætatus eſt hoc proſpero rerum euentu, adnitente maxime Chiutaisò, qui pleno vt ſolebat ore in Patris Matthæi laudes ſe effudit, aiebat eum ſcientijs, quas in Sinarum regnum intulerat, litteratis omnibus oculos aperuiſſe, quos ad eam diem ignorantia clauſos habuiſſent. His ex cauſis eum ab omnibus expeti, & vbiq; retineri, noluiſſe tamen quicquam ſine Præſidis auctoritate, quem protectorem adlegerat, de ſe rebusq; ſuis ſtatuere.

P. Matthęo auctoritas conciliatur apud Præſidem.

Præſidis fauor erga P. Matthæum.

Ad hæc eum Præſes hortabatur, vti Domum Nanchini pretio compararet, eam vrbem multis ex cauſis eſſe commodam, & aëris clementia nobilem, nolle ſe ut alibi, quam in ſuo conſpectu ſubſiſteret, vt præſenti ſemper cum fauore complecteretur, neque expectato reſponſo, duos è curialibus ſuis Nanchinenſis vrbis peritos euocat, iubet, vti venalẽ domum Patri conquirant. hanc Præſidis propenſionem, maluit ſilentio differre, quam repulſa excludere, tametſi aduerſari videretur deliberationi iam prius conſtitutæ. Vix dum domum redierant,

dierant, cum ecce tibi Pręſes ipſe ſequitur, ad viſitationis officium vtrique rependendum. eam porro viſitationem ritibus omnibus omiſſo nullo, & maximo, quo incedere ſolet apparatu, cohoneſtauit. In Aula verò cum conſediſſent, Profanus Cænobij Archimandrita, vir inter idolorum ſacrificulos ſummus, ad ſolitam potionem offerendam accedit, & tribus æquè in genua prouolutus, vaſculum offert, eum honorem Præſidi exhibere tenebatur, velut ſupremo fanorum moderatori. Præſes Patrem inuitauit, vti biduum triduumúe in ſuum Palatium reciperet; cupere ſe, vti luna plena, quæ illius anni prima erat, ignes è puluere tormentario admirabili arte fabricatos, ab ſuis noctu conſpiceret; ingenioſiſſimas quoque lucernas in eam, & proximas noctes concinnatas. pleniluniũ quippe primum his ad alacritatẽ publicam ludicris ſpectaculis celebrari ſolet, nulla ne ſuſpicione quidem ſuperſtitionis. nec renuit P. Matthæus, nec vrbanè poterat. exceptus eſt igitur à domeſticis officioſiſſimè, eaq; ſpectauit, quæ ſine ſtupore ſpectari non poſſunt. Nanchinenſes quippe in his artificijs regnum ſuperant, & orbem, vt arbitror, vniuerſum.

Ignes ingenioſe excitati ſpectantur.

Vbi auditum fuit, P. Matthæum à Præſide viſitatum, tum deniq; Magiſtratuum Nanchinenſium maieſtas vniuerſa concurrit, & ne viſitati quidem plurimi officioſe præuenerunt. tres ſolum ex omni multitudine numerabo. Præſes tribunalis quod à criminibus puniendis nomen accepit: inde eiuſdem Aſſeſſor, ac præterea quæſturæ Regiæ, quod ſecundum eſt tribunal, ſummus Præſes, hi quatuor, adnumerato primo ac ſummo Viſitatore, præter officioſiſſimos ritus, digna tantis viris munera, magno apparatu ſubmiſerunt. quos ſubſecutus eſt, qui paucis poſt annis ſummum Colai munus Pechini geſſit; hi omnes P. Matthæum vrgebant, vt Nanchini ſubſiſteret, ædes coëmendas offerebant, & ipſe per omnes vicos ac Magiſtratuum palatia palam nemine vel obloquente, vagabatur.

Magiſtratus Nanchinenſis honorẽ & ſtationem defert P. Matthæo.

P. Matthæus viſum agnoſcit diuinum.

Hic quoque redijt in memoriam P. Matthæo viſum illud nocturnum, quod Nanchini, cum primum veniſſet, turpiter eiectus habuerat. cum enim vrbem ingreſſus ex hoc itinere fuiſſet, agnouit illam ipſam eſſe, quam in ſomnis illi Dominus oſtenderat, cum per eam liberè vt ſibi videbatur incederet, quod tum accidit non ſine illius admiratione, quod vicos agnoſceret, & palatia quæ non niſi ſomnians inſpexerat, atque tum demum ſibi perſuaſit planè id viſum fuiſſe, non ſomnium, quale à rei alicuius cupidis effingi ſolet, perſuadere quoq; ſibi cœpit, ex hac prodigioſa animorum mutatione, quam is qui corda hominum moderatur effecerat, diuinam eſſe voluntatem, vt Nanchini & non alibi conſideret, cui cedere debent omnino mortalium rationes, neque enim eſt conſilium aduerſus Dominum. Cutaisò, vbi à P. Matthæo rem intellexit in ſententiam illius conceſſit, damnatis prioribus de alia ſede conſilijs.

P. Matthæus viro litterato & Mathematico commendatur.

Viuebat eo tempore Nanchini, celebris quidam litteratus è Prouincia Chianſi oriundus, is parentem habuerat olim Proregem, & bis in Licentiatorum ordinem fuerat admiſſus, ideo quod prima eius nominatio propter quaſdam cum Collegis rixas irrita pronunciata fuiſſet. Is Nanchini gratia valebat plurimum apud Principes Magiſtratus, ijs enim ipſe ſcriptiones varias componebat, quod fieri ſolet vel in amicorum funere, vel in gratulationibus, eorundemúe diſceſſu, quales apud nos eſſent orationes, aut poëmata, quibus ipſe ſcriptionibus opes magnas comparabat, & multa à Magiſtratibus largitione ſollicitatus impetrabat, prætérquam quod etiam Magiſtratuum filijs Sinenſes libros legebat. idem de tribus Sinarum ſectis (de quibus libro primo) ratiocinabatur, & ſermonem miſcebat, vt aiebant, appoſitè. Idem filium habebat, cui litteraria non admodum feliciter ſtudia ſuccedebant. vt eum igitur famæ traderet cõmendandum, hanc artem cõmentus eſt: fecit vt

neſcio

neſcio quis ingens de Mathematicis rebus volumen ſcriberet, quem ferebant earum rerum eſſe peritiſſimum: id volumen ipſe deinde filij ſui nomine in lucē emiſit. Verùm ne Chiutaiſò, propterea quod P. Matthæo patrocinaretur, aliquid de fama filij minueret, voluit ipſum P. Matthæum inuidenti Mathematico commendare. ergo die quadam in eius ædes monitum deducit, & ex itinere cum obuios habuiſſet familiares quoſdam totius rei conſcios, ſubridens, dixit: Ouiculam annis pluribus educaueram, eam nunc alteri fruendam trado: cum porro in congreſſum admiſſi fuiſſent, eo ſermonem traxit, vt diceret ſe nequaquam veniſſe vti Nanchini cōmoraretur, ſed ſolum vt veterem amicum comitaretur, & ſedem illi firmam in his conterminis vrbibus aliquam inueniret, quo facto ſe vnde venerat rediturum. Et quoniam iudicarat, Nanchini eſſe neminem, cui ea res tutius commendari poſſet, obſecrare ſe etiam atque etiam, vti P. Matthæi patrocinium ſuſciperet. Ex eo inopinato congreſſu & colloquio tantam cæpit voluptatem, vt ſeipſe non caperet. ad eam rem tamen vbi ſe collegit, omnem ſe promiſit lapidem moturum, & ſane luculentius etiam fecit, quam dixerat. inde multis confirmare aggreſſus eſt, non eſſe alium Nanchino locum aptiorem: cui cum vterq; obijcerent, Nanchinenſem Regiam in aduenas eſſe timidam ſatis atque ſuſpicacem. Erratis inquit ille. nam Suceù emporium mari prope adiacet, & vectigalibus obrutum innata etiam propenſione facile in tumultum erumpet, aut erumpere credetur. nunc vero Nanchini Superiorū menſium extinctas ſuſpiciones vnam pacem & Reipublicæ quietem vbique perſonare. Nanchini etiam ipſam Magiſtratuum multitudinem potius auxilio, quam diſcrimini fore. ſi enim vnum contigerit è Magiſtratibus aduerſari, non defuturos in præſenti amicorum turba patrocinatores decem. extra regiam vero cæteris in emporijs ſingulos prope Magiſtratus Re-

Nanchini ſtatio offertur.

ges eſſe, facilius eſt enim paucos, quam plures in vnius perniciem conſpirare, qua ſecunda ratiocinatione diſſoluebatur alterum de Nanchino argumentum, quod inſtar dilemmatis vtrinque poterat retorqueri.

Negotium P. Matthæi per alium virũ primarium promouetur.

Verum nemo hoc negotium promouit magis, quam ex admonitoribus Regijs, Coli vocant, qui Cioſelinus vocabatur. is quoniam contigit per eos dies alium ex eo Magiſtratu nullum Nanchini cõmorari, quos decem minimũ octo eſſe oporteret, omnium vicem ſubibat, & erat in magna apud omnes veneratione, habebatur etiam inſignis in Ethicis Philoſophus, & quidem in characteribus effingendis (quæ res apud Sinas plus quam Europæos æſtimatur) ita excellebat, vt paucæ ad exemplar regulæ, illius manu conſcriptę, in ipſa Nanchinenſi vrbe Iulium, vt vocant, nummum in pretium exigerent, alibi vero & poſt annos aliquot, eius etiam non parum valor excreuit. libros ſcripſerat, quibus omnes ad virtutem hortabatur, ſermones præterea habebat in quodam litteratorũ cœtu, is denique Præſidis amici opera & aliorum cõmendatione, cæpit quoq; cum alijs pluribus P. Matthęum admirari, ex admiratione, videndi cupiditas tractandique exarſit, & in intimam familiaritatem libellus, quem de amicitia Pater ſcripſerat eum inuitauit. Cum igitur in graui quodam conſeſſu de P. Matthæi ſtatione ageretur, hæc dicitur prolocutus. Conſtat externum hunc hominẽ, in Cantonienſi & Chianſi Prouincijs diu commoratum; quid obſtat igitur, quin etiam Nanchini cum tot aliis commoretur? Saracenos notabat, qui iam à Tartarorum tempore remanſerunt, & pro indigenis computantur.

P. Matthæus ſtatuit Nanchini commorari.

His igitur maximè auctoribus, P. Matthæus diu anceps, tandem ſtatuit omnino commorari Nanchini, & commodo in loco ædes quærere, & magni aliquando domicilij prima jacere fundamenta. ex hac enim vrbe, velut in amplo nouali fidei

dei, ſperabat reliquas quoque ſedes noſtras magnum nomen accepturas. De ædibus autem coëmendis pro habitatione nihil aggreditur, vſque in aduentum P. Catanei, quem Lincino expectabat.

Præſes etiam Sociorum patronus, audito quanta P. Matthæum Magiſtratus omnes beneuolentia complecterentur, maiores in poſterum animos in hoc negotium adhibuit, & in ea re alij ab alijs decepti, omnes ad fauendum conſpirabant. arbitrabantur Magiſtratus, Præſidi cordi eſſe, noſtrorum ſtationem hinc fiebat, vt in Præſidis gratiam illam promouerēt, idem de Magiſtratibus ſibi Præſes effinxerat: qui Aſſeſſoris ſui vacuum habitatore Palatium obtulit, quod Pater, vt rem ſuo iudicio nimis honorificā renuit, eò quod facile dare nonnullis potuiſſet anſam obloquendi, & perniciem aliquam toti negotio adferre. Commodas igitur ædes conduxit, & ex Aſſeſſoris Palatio ſupellectilem neceſſariam Præſidis auctoritate vtendam accepit, dum ipſe accommodatam coëmendis ædibus compararet, nec in his decreuit concurſus, ſed accreuit, ſiue multitudinem ſpectes, ſiue multitudinis nobilitatem, eaque indies magis magiſq; augebatur. Hæc omnia fuse Nancianum ad Socios ſcripſit mire ancipites, quid ijs demum factum eſſet, cum nullas hactenus, ex quo diſceſſerāt litteras accepiſſent. ex hac ſede omnem Sacrificij apparatum, & quem in ſua tenuitate potuerunt, in ſumptus ſubſidium amandarunt.

Præſes Sociorum patronus, habitationem offert.

Habitatio recuſatur vt nimis magnifica

Ex Mathematicis diſciplinis magna Noſtris auctoritas Nanchini accreſcit.

CAPVT QVINTVM.

NON fuit vna diuini Numinis ad ſe adducendos in longa ſæculorum ſerie ratio. Ita neque cuiquam mirum videri debet, ſi hanc eſcam piſcibus in ſagenam concludendis, noſtri

Scientijs Europæorum Sinenſes vti pharmacis ſalutaribus capiuntur.

obiecerint. qui enim Phyſica, Mathematica, Ethica ab hac Eccleſia remouenda duxerit, non ſatis nouit ingeniorum Sinenſium nauſeam, quæ ſalutaria pharmaca non niſi his illita condimentis admittant. Nulla igitur alia re P. Matthæus vniuerſam Sinenſium Philoſophorum turbam in ſtuporem æquè adduxit, quam Europæarum ſcientiarum firmiſſimis rationibus confirmata nouitate. Nunc enim auditum primum poſt tot ſæcula, terram rotundam eſſe; habebant enim velut pro primo principio, vetus quoddam axioma: Cœlum rotũdum, terra vero quadrata. Sciebat nemo, centrum in eius medio grauia omnia ad ſe corpora vel euocare, vel ſua propenſione lapſu recipere; vniuerſam in ambitu ſuperficiem habitari; Antipodes homines hominibus ſine lapſu conſiſtere; cui rei intellectu annuente, imaginatrix facultas multorum nondũ acquieſcit. Hactenus inauditum lunæ defectionem poſita inter ſolem ac lunam terra prouenire; in cuius explicationem abſurda commenti, grauius ipſa luna deficiebant, inter quos expoſitores, dixere nõnulli, Lunam Soli oppoſitam, præ ſtupore lumen amittere. Alij ſolem ipſum in medio perforabant; aſſerebantq; lunam huic foramini Solis oppoſitam, lucem ab ſole recipere non poſſe. Nouum fuit, ſolem vniuerſum terræ globum magnitudine ſuperare. quanquam id vt crederent aliqui ſe facilius adduci permiſerunt, ideo quod etiam ab antiquis regni ſui Mathematicis in librorũ monimentis ſcriptum eſſe conſtabat, Sole ab ijs dimenſo ſupra mille milliaria in Mathematicis inſtrumentis reperiſſe. Sydera vero ipſa, quæ noſtri oculi ita exiguo ſpatio metiuntur, vniuerſam terræ ſuperficiem excedere, id demum paradoxum videbatur. Nondum intellectum, ſed ne dictum quidem è ſolida materia cælos conſtare, ſtellas in eo fixas conſiſtere, non erraticas vagari, decem cælorum orbes numerari, alium alio inuolui, diuerſis motibus ferri. Excentricos enim & Epicyclos Sinarũ ingenijs ſub hæc

Opiniones Sinenſium variæ circa res Mathematicas.

initia

initia minimè obtrudebat. Polum in varijs locis pro Climatũ varietate variè ſupra horizontem & infra eleuari vel deprimi. Ipſam dierum etiam ac noctium extra Aequatorem inæqualitatem nondum agnoſcebant.

Iam quoq; primum expoſita eſt Geographica totius vniuerſi facies: ſiue illa in globi ambitu, ſiue in plana ſuperficie pingeretur. terras nondum viderant meridianis, paralellis, gradibusq; diſtinctas: æquatorem, tropicos, polum vtrumq;, zonas quinque ignorabant: ac tametſi pleroſque ex his circulis in cælo aut cæleſti globo in Mathematicis machinis ductos inſpexerant, hos tamen in terras translatos nondum ſpectarant. non alias vnquã aſtrolabium ſuper inductis laminis multiplex, & ad ſingulas regiones accommodatum; non ſphæram terræ globulo, vel vt in aëre ſuſpenſo conſpexerant, non polos duos mobilem alterum, alterum immobilem ſomniarant. qua ex re magnum ipſi lumen conſecuti, in planetarum motus intenderunt. ſcioterieum horizontale in plano, vel declinans ad parietes, aliaq; huius generis infinita, ne fieri quidem poſſe credebant. Sed nihil æquè ſtupebant, vt ſigna zodiaci, quæ ipſi duplicant quatuor ac viginti in ſcioterieis apte deſcripta, & ita vt ne punctum quidem ſtylus vmbræ index, à linea eius diei, quem ſuis characteribus ſcriptum legebant, diſcrepare. obſtupuere quoq;, quadrantibus noſtris, & alijs modis turrium altitudinem, puteorum aut vallium profunditatem, itinerum longitudinem facillime menſurari. Ars quoq; numeratoria ſcriptis exprimi poſſe videbatur mirum. ipſi enim certo, de quo ſupra, inſtrumento, incommodius vtebantur.

Ex Geographica deſcriptione Sinẽſes magnum lumen acceperunt.

Hæc porro ita incredibilia, vbi audiebant certiſſimis rationibus fidem etiam è pertinacibus exigere, ex vno clarè confirmato de cæterorum veritate nihil dubitabant. hæc paucis initio cõmunicata, breui in omnium litteratorum muſæa penetrarunt. vnde colligi liquido poteſt, quanta Europæ noſtræ

Europæ magna authoritas acceſſit apud Sinas.

auctoritas acceſſerit, quam in poſterum à cæteris regnis ſegregantes, Barbaram æſtimaſſe pigebat, & in poſterum pudebat appellare. Sanè omittere non poſſum, quid è noſtris cuidam poſt annos plures acciderit: recens ex Europa venerat ille, & adhuc ſermonis ignarus, interpretem in congreſſus adhibebat: contigit eum dies fere viginti in ædibus grauiſſimi Doctoris iam Neophyti cõmorari: is vt erat ſciendi cupidiſſimus, magnam eius temporis partem cum eo conterebat, philoſophiæ noſtræ ac Theologiæ materias, ordinem, ſententias expiſcabatur: ad quæ cum noſter ita reſpondiſſet, vt ſibi ſatisfactum fateretur, die quadam in hæc verba prorupit: Nunc ſanè pudet me hic tibi adſtare. Noſter verò ſubridens, quæſijt, quorſum in hæc verba prorupiſſet: quod arbitrer ait te in ea, Sinas omnes, ac me priuatim claſſe numerare, in quam nos Tartaros exleges ac Barbaros redegimus: cum noſter id modeſte negaſſet, ait: id aliter fieri poſſe vix credo: ibi enim video vos incipere, vbi nos terminamus. eloquentiæ ſtudium notabat, quod eos in ſenectutem vſque occupatos tenet, cum id à noſtris in puerili prope ætate ediſcatur. ſed hac digreſſione perfuncti, in viam reuertamur. In Sinarum ſcholas nullo irrepſit fundamento, præter id, quod antiquitas ipſa tandem ruitura defodit. elementa quinque numerari, nec de ea re apud eos dubitare fas eſt, aut diſceptare. elementa verò ſic numerant; metallum, lignum, ignis, aqua, terra, & quod intolerabilius eſt, alterum ex altero naſci affirmant. Sed neq; aërem, quia non vident, agnoſcunt. vbi enim nos aërem, ibi vacuum eſſe volunt. quod ſi de cerebro ſuo dicerent, non obſtinatè pernegarent; nihil tamen P. Matthæus antiquitatis maieſtatem formidauit. quatuor enim elementa è totidem qualitatibus contrarijs nata pronunciauit, quæ nec plura eſſe vel pauciora, ſed nec eſſe poſſe confirmauit. vbi vero de ſingulorum locis egit, tametſi de tribus inferioribus non admodum repugnarunt,

Error Sinarum circa elementa.

De quatuor elementis à Patre diſputatur.

gnarunt, incredibile tamen illis viſum, ignem ſub ipſo cælo ſitum, altiſſimam elementaris mundi partem occupare. Sed neque hoc igne cometas ardere, & eas exhalationes, quæ ſtellæ cadentes appellantur. cometas enim ipſi in ſtellarum numerum referebant. De his igitur P. Matthæus cōmentarium Sinicè ſcripſit, quo commentario elementorum quinque vanitatem exufflauit, & noſtrorum quatuor veritatem ſtabiliuit, loca ſua ſingulis aſſignauit, & etiam ſuis figuris illuſtrauit. Hic cōmentarius auidè arreptus eſt, ac ſæpè ab illis ipſis recuſus, & eodem quo ſupradicta omnia applauſu exceptus. his alijſque inuitati nonnulli, ſe P. Matthæo imbuendos tradiderunt, hortatore maximè Chiutaisò, qui iam ex diſcipulo factus erat Magiſtellus. Litteratus ille, quem ſupra dixi, veritus ne ab eo famæ ipſius ſplendor extingueretur, diſcipulos ex ſuis duos tradidit Aſtronomiæ Sinenſis non imperitos; è quibus alter erat ille ipſe auctor voluminis, quod filij nomine prodierat: his additus eſt tertius, qui cæteros etiam ingenio ſuperabat. Is venerat miſſus à Philoſopho celeberrimo Magiſtro ſuo Collegij Pechinenſis Regij, quod Hanlin vocatur, litterato: illi habentur velut litteratorum Regni medulla, & in id admiſſum eſſe, inter ſummas dignitates computatur. ſed de his primo libro. Degebat is fortaſſe per eos dies in vrbe Prouinciæ Nanchinenſis, à Regia fere quatridui: iam longo ſtudio aſſecutus erat, nihil in Mathematicis Sinatum diſciplinis ſolidi reperiri, & iam diu eas ad ſcientiæ firmitatem ac methodum, ſed fruſtra reducere nitebatur. Is P. Matthæo diſcipulum per litteras commendauit, eumq; vt in Mathematicis ſuo loco inſtrueret, enixè rogauit; Naturæ erat is ferocioris, ſed breui tempore ad humanitatem traductus eſt, illudq; Pythagoricum vſurpauit, αὐτὸς ἔφα. Ille idem, ſeipſo, nullo Magiſtro, primum Euclidis librum aſſecutus eſt, & identidem à P. Matthæo demonſtrationes Geometricas exigebat, quod cum Pater nimis

Diſcipuli Mathematicis erudiendi traduntur P. Matthæo

nis

mis otioſum, & diſcipulis operoſum iudicaret, eius votis, libris Sinenſi idiomate editis, factum ſatis. Inter docendũ diſcipulis etiam Sinis ſtudia ſua de ſanctiſſima lege noſtra euulganda declarauit, nihil opus eſſe aiebat ille diſcipulus idolorum ſectam confutare; videri ſibi ſatis eſſe, vt Mathematicas diſciplinas euulgaret: hi enim impiæ ſectæ Magiſtelli, non ſolum ſe Theologos tot cõmentis infames, ſed Philoſophos etiam & Mathematicos videri voluerunt. Solem noctu ſeſe intra montem abſcondere aſſeruerunt, cui etiam nomen Siumi affinxerunt: quem aiebant in mari radicem habere, viginti quatuor miliariorum millibus, ſub aqua profundam; & cum ad ipſas maiorum ſyderum defectiones acceſſiſſent exponendas, ſomniarunt numen quoddam Holochan nomine, ſolarem efficere eclipſin, ſolem ipſum manu dextra tegendo; lunarem vero, lunam læua manu occultando, & ſanè non id vni accidit, vt è Mathematicis diſciplinis idolorum ſectæ deprænhenderent vanitatem, ſed alij quoque ita ratiocinantes diſſerebant. His diſcipulis maximè adiutoribus, Scioterica multa, & varia, quæ diſtribueret, concinnauit; quin etiam excudit non paucas eorum formas, quibus omnium magnatum ædes oppletæ: omitto diſtinctas circulis cæleſtibus ſphæras, & vniuerſam terræ ſuperficiem in globum redactam, aliaque permulta.

P. Matthæus diſcipulos in Mathematicis inſtruit.

Error circa ſolem & lunam.

Non Pechini ſolum, ſed & in hac Regia, Collegium eſt Mathematicorum Sinenſium, nobilius illud ædificiorũ mole, quam Aſtrologorum peritia. nam fere ingenium tenue, ſcientia tenuiore. nihil enim aliud faciunt, niſi quod faſtos & ephemerides ſuas ad antiquorum calculos reuocant, ac ſi forte euentus calculos fallunt, dicunt, ita quidem, vt ipſi ſupputarunt, rem regulariter eucnturam, prout ipſi prædixerãt. ſed hunc aberrantium ſiderum caſum, aliquam è cælo in terras ſignificationem præmonſtrare, quam ipſi deinde pro arbi-

Aſtrologorum imperitia.

tratu

tratu fingunt, errori fucum obtegentes. Hi autem non nimium P. Matthæo credebant, veriti nimirum, ne dignitatem illis eripere conaretur; hoc tandem metu liberati, amicè Patrem à quo aliquid diſcerent viſitarunt. cum ad eos reuiſendos acceſſiſſet, rem ſanè nouam & opinione ſua ſuperiorem ſpectauit.

Mons eſt ad vnum ciuitatis latus intra muros ſublimis, in ſummo monte, Area in latum patet, contemplandis ſyderibus aptiſſima, in Areæ ambitu ædes ſane magnificæ à Collegis habitantur. Ea in area, qualibet nocte oportet ex ijs vnũ excubare, & cæleſtia omnia phœnomena, vel Cometas, aut incenſos in ſuprema aëris Regione ignes obſeruare, de quibus deinde Regem exactiſſimè moneant, & quid vnaquæq; res portendat, exponant. In area viſuntur opere fuſili machinæ mathematicæ, ſua vel magnitudine, vel elegantia viſendæ: quibus ſanè ſimile quippiam Europa tota nec vidimus nec legimus: ea iam annos prope ducentos & quinquaginta, imbres, niues, ac reliquam aëris inclementiam ita patiuntur, vt nihil omnino de priſtino ſplendore amiſerint. ea non ingrata digreſſione; oculis vt potero, narrando ſubijciam, ne deſiderium lectoribus inieciſſe, nec videar ſuſtuliſſe.

Mons ſublimis contemplandis ſyderibus aptus.

Machinæ Mathematicæ viſendę quatuor

Mathematicæ igitur hæ machinæ maiores erant quatuor: Prima viſebatur ingens globus, ſuis meridianis gradatim paralleliſq; diſtinctus: huius globi ambitum tres viros amplecti minime potuiſſe iudicatum eſt: in immani cubo item ex ære ſuper axem ſuum inſiſtebat: in Cubo porta erat exigua, ſed quæ intrando ſufficeret ad ipſum globum, cum opus eſſet rotandum: in eius externa ſuperficie ſculptum omnino nihil, non ſtellæ, non regiones, vnde apparet aut nondum fuiſſe finitum, aut ſtudio ita relictum, vt globi cæleſtis ac terreni vicem obtineret. Altera machina erat ingens ſphæra; non anguſtior diametro, quam quantum ſpatij vtriusque manus ex-

Prima machina.

Secunda.

tenſione completur, paſſum geometræ vocant. Horizontem habebat & polos: circulorum porro vicem ſubibant armillæ quædam duplices, inter quas, quod vacuũ erat ſpatium, ſphæræ noſtræ circulos repræſentabat; hæ omnes in trecentos ſexaginta quinque gradus, & minuta pauca diuidebantur: in eius medio terræ globulus nullus videbatur, ſed tubus quidam ad inſtar ſclopeti perforatus, quem quaqua verſum voluere, & quolibet in gradu ac eleuatione ſtatuere facile erat ad explorandas eo tubo, velut pinnulis ſolemus, ſtellas quaslibet artificio ſanè non inepto. Tertia machina erat Gnomon altior duplo ſuperioris machinæ diametro, ſtatuta in ingenti marmore ac prælongo ad Borealem plagam: Tabula autem lapidea canalem habebat in ambitu, vt aqua in eum canalem impoſita exploraretur, eſſet ſaxum in plano nec ne, & ſtilus eo modo, quo in horologijs ad perpendiculum collocatus. credibile eſt Gnomonem hunc ideo extructum fuiſſe, vt eius ope ſolſtitiorum & æquinoctiorum vmbra ad amuſſim notaretur. nam ideo ſaxum ipſum ac ſtilus in ſuos gradus diſtribuebatur. Quarta deniq; & omnium maxima ſtabat machina quædam è tribus quatuorue Aſtrolabijs ingentibus iuxta ſe poſitis; & ſingula geometricum paſſum, qualem deſcripſi, in diametrum ferebantur: nec illis deerat linea fiduciæ, vel alio nomine halhilada: ſed neque dioptra. ex ijs vnum æquatorẽ in meridiem inclinatum referebat alterum, quod cum ſuperiore crucem referebat, in ſeptentrionem & Auſtrum Patri viſus eſt eſſe meridianus, tametſi in gyrum voluebatur: alterum erectum ſtabat ad meridiem, quo circulus verticalis forte intelligebatur: ſed hic quoque, vt quemlibet verticalem demonſtraret, rotabatur: & hæc omnia gradus ita diſtributos habebant, vt in ſingulis ferreos nodulos prominentes haberent, vt etiam noctu manuum fide gradus ipſi ſine luce palparentur. Tota hæc aſtrolabiorum machina in area quoque plana

Tertia.

Quarta.

plana è marmore cum ſuis in gyrum canalibus ſtatuebatur. In ſingulis autem his inſtrumentis, Sinicis characteribus exponebatur, quid vnaquæque res denotaret: adſcriptæ quoq; erant quatuor ac viginti zodiaci conſtellationes, quæ ſignis noſtris duodecim duplicato numero reſpondent. Verum in his error erat vnus; quod omnia in ſexto gradu ſupra trigeſimum poli eleuati ſtatuerentur. Vrbs quippe Nanchinenſis in gradu iacere trigeſimo ſecundo & quarta gradus portione, certius eſt, quam vt in dubium poſſit reuocari. ac videntur fortaſſe hæ machinæ ideo factæ, vt alibi collocarentur, ſed ab aliquo deinde rerum mathematicarum minus perito, nulla habita ratione loci inibi collocatas. Spectauit etiam P. Matthæus poſt annos aliquot ſimiles Pechini machinas, aut eaſdem potius, ita nihil aliæ ab alijs diſcrepabant, nihil vt dubium videatur, ab eodem fuſas artifice: & quidem eo tempore fuſas conſtat, quo Tartari Sinis imperitabant. vnde non temere coniectare poſſumus, eas ab aliquo externo perito diſciplinarum noſtrarum fuiſſe conflatas.

Sed tempus eſt vt à machinis regrediamur. Magiſtratus eo tempore maximus P. Matthæum rogauit, vti Geographicam vniuerſi deſcriptionem olim in Cantonienſi Prouincia cuſam reuideret, & fuſioribus cõmentarijs locupletaret; velle ſe denuo illam publicis palatij ſui tabulis ſculpere, & in publico ponere ſpectandam: fecit quod erat rogatus, & auxit etiam proiectionem maioribus tabulis ad intuentium commoditatem exprimendam, errores correxit, addidit multa, vti ne pigeret renouaſſe. mire placuit hoc amico Magiſtratui, & mox publicis ſumptibus ſculptores adhibuit eximios, ipſe vero eleganti prooemio opus auctoremq; laudauit. Hæc recuſio fama ac numero Cantonienſem ſuperauit: eius ex hoc regni centro in reliquas partes exemplaria diſtributa, quin etiã à noſtris Amacaum, & in Iaponiam amandata, ad quorum

P. Matthæus rogatu Magiſtratus Geographicã vniuerſi deſcriptionem facit

normam alia alibi inſculpta narrantur: ex ijs vnũ in Sinarum regno peruenit ad eum, qui tum Prorege Cuiceù moderabatur prouinciam. Is P. Matthæo iam tunc è Cantonienſi Prouincia notus, idem opus alia methodo ſuſcepit recudendum: deſcriptionem illam anguſtiori proiectione coarctauit, & in librum retulit; omnia quæ legerat regna in quinque vniuerſi zonas diſtributa; & ſingulis regnis proprias commentationes, quæ ſimul omnes in laxiori deſcriptione legebantur attexuit: idem quoque operis auctoriſq; encomia fuſè præfatus auctoritatis ſuæ partem, quam litterarum opinione, ſcripſitq; libris comparatat, in opus ipſum ſcriptoremq; deriuauit: quæ omnia fuerunt eius meſſis, quam videmus, herba & naſcentis Eccleſiæ fundamenta.

Nanchini viri Primores P. Matthæi familiaritatem ambierunt.

Capvt Sextvm.

Volebat in hac Regia Deus optimus Maximus ſpes magnas altè defodere; id vt clarius intelligatur, ingratus diuinis eius operibus viderer, ſi prætermitterem, quos ad eam rem inuſitatos forte modos euocarit. attingam hoc igitur capite Magnates illos, qui eo tempore P. Matthæi congreſſum ambierunt; nec tamen eam rem exhaurire ſtatui, ne propoſitæ breuitatis limites in re non magna transgrediar. Taceo primum ſummos ſex Tribunalium Præſides, qui nihilo quam Pechini minus, excepta Regis præſentia, qua ſuperant Pechinenſes, ſuæ prouinciæ negotia moderantur; tres alios, de quibus nihil hactenus, nominabo. Dignitas eſt quædam hæreditario iure in primogenitos transmiſſa, ab ipſis belli Ducibus, qui Tartaros expulerunt, ij Quocùm appellantur, quorum poſteriores filij honoribus omnibus ab Rege, ſed infra primogenitum coho-

Primores vrbis Nauchinẽſis P. Padeunt.

cohoneſtantur: vnde fit, vt nunc ſæculis ſenſim labentibus in numeroſam familiam excreuerint: ac tametſi nihil omnino publici muneris attingunt, niſi forte militares præfecturas, habent tamen non minimam dignitatẽ, & opum oſtentationem: & hi verè ſoli nobilitatem Europæam repræſentant. Sed de his plura ſupra, hæc ad memoriam vellicandam repetita. huius familiæ caput Nanchini eſt vnum, cuius eſt viſendus apparatus; quoties eum egredi domo contingit, ſella geſtatoria octo baiulorum humeris exportatur; hortos, palatia, ſupellectilem, regia omnia poſſidet: is die quadam P. Matthæum in ædes ſuas inuitauit, ſed primum patruum ſuum ad eum inuiſendum miſit, adeuntem excepit in horto totius vrbis amæniſſimo, eo in horto, prætermiſſis alijs, quæ ſpectari nec fortaſſe legi poſſunt ſine voluptate, vidit arte factum è varijs marmoribus impolitis montem: is in ſpeluncas affabre excauatus; cubicula, aulas, gradus, piſcinas, arbores, & alia plura continebat; in quibus ars cum voluptate certabat. hoc ideo faciunt, vt ęſtiuos æſtus, ſi quando ſtudijs inſudant, vel conuiuia inſtruunt, ſpeluncarum frigiditate fallant. augebat lepôrem figura in labyrinthum tendens: nam tametſi non latiſſimam aream occuparet, duas tamen tréſue horas omnia circuire volentes detinebat, & inde alia porta patebat egreſſus. Erat hic nobilis ſed adoleſcens, cui ſatis fuit ex Europęis rebus audita nõnulla ſpectaſſe.

Hortus totius vrbis amæniſſimus.

Alter qui ſeſe in P. Matthæi familiaritatem ingeſſit, erat Nanchinenſium militum omnium præfectus, qui etiam aliam obtinebat dignitatem, proximo infra ſuperiorem gradu, ea Heù appellatur: hic arctiorẽ cum P. Matthæo amicitiam inijt, & eum ſæpius ſolitis ritibus, congreſſu, & conuiuijs excepit, è cuius amicitia noſtri ſecuri nõ parum erant futuri. hic enim pro munere vrbis excubias, & ſecuritatem curat, & hic ille ipſe eſt, qui nuper cum Nanchini eſſet, P. Matthæum intercipere

pere conabatur, niſi eum amici Præſidis auctoritas deterruiſſet, vt ſupra narraui.

Tertio loco mihi nominandus eſt Eunuchus è maximis, qui cum auctoritate non minima Nanchinenſibus Eunuchis præeſt, quorum aliquot millia cenſentur, idem Regis Palatio præſidet, & vrbanis omnibus portis, quin etiam militaribus luſtris, vna cum maximo, de quo dixi, præfecto: alia quoque publica negotia attingit non pauca, & auctoritatem quoque magnam maximo profitetur apparatu: is erat prope decrepitus, & pro Eunuchorum Sinenſium more parum vrbanus. ergo parum vrbane P. Matthęum excepit. nam eius curiales monuerunt, vti certum honoris titulum illi daret, qui celſitudini noſtræ videtur proxime reſpondere, eam quoniam noua res eſt, exponam. Regi quoties loquuntur, precari ſolent decies millies mille vitæ annos his tribus ſyllabis; van van ſiù, & hoc eſt idem ac ſi maieſtatem voces, cæteris in Palatio Regijs prolibus aut Reginis mille annos inferiore titulo precantur. Eunuchorum verò arrogantia tanta eſt, vt ſibi mille annos velint optari, & poplite flexo ſalutari, Verum hic P. Matthæus refugit. neque enim ſine ſummorum Magiſtratuum offenſione poterat plus Eunucho, quam illis deferre, ſed tamen honoratus. vſus bonum Patrem edocuerat, apud Sinas, cæterosq; in Oriente Gentiles, non negligendam eſſe aliquam intra rationis limites maieſtatem; Ingreſſus eſt igitur & ſolito ritu Eunuchum ſalutauit: inter loquendum vero, quoniam Eunuchus obſurduerat, adſtabat illi ad latus vnus aliquis, qui Patris illi verba in aures intonaret, & is immutans honoris titulum mille annos pro arbitratu iterabat: quibus rebus quam contentus extitiſſet, magno munere, quod Patri obtulit, eſt teſtatus, Pater autem illud reſpuit, & Trigonum vitrum à ſe petitum negauit, & in poſterum ab Eunuchi congreſſu abſtinuit. ſatis tamen hoc fuit, vt Eunuchi reliqui Patrem venerarentur, ſciretúrq;

Regi fit fauſta precatio.

returq; tota vrbe tres illos vrbis Primates in aduenæ Nanchini ſtatione conſentire.

Eodem tempore, Nanchini habitabat patrio in ſolo quidam, qui primum in Doctorum renunciatione locum fuerat aſſecutus. ea res per ſe maxima dignitas eſt, alijs enim ipſe Reipublicæ muneribus exturbatus, domi priuatus degebat, ſed eo tamen, quo decebat apparatu, & omnium veneratione. Is in concionatorem trium ſectarum, quas apud Sinas eſſe diximus, degenerarat, & iam magnam earum cognitionem profitebatur. habebat domi ſuæ celeberrimum eorum templorum cænobitam, qui publicis quæ geſſerat muneribus ſponte abdicatis cæſariem raſerat, & è litterato, infrequenti apud Sinas exemplo idolorum Miniſter euaſerat. & quoniam reuera vir erat Sinenſibus diſciplinis probe eruditus, & ad ſcientiam ſeptuaginta annorum ſenectus acceſſerat, magnam ea re famam, & diſcipulos plures aggregarat, nouæ quam ipſe comminiſcebatur ſectæ profeſſores: vterque P. Matthæum magno honore affecit, ſed maxime apoſtata litteratus omnes egit in ſtuporem, qui audierunt illum viſitando præueniſſe, ſolus ille, cum in litteratorum cætu de lege noſtra acriter diſputaretur, tacuit, legem noſtram veram eſſe confirmauit, Patri denique in flabello epigrammata duo eleganter ſane conſcripta dedit, quæ ipſe quoq; poſtea in Epigrammatum ſuorum libellum retulit: de hoc apud Sinas more memini me libro primo tractare. Hęc epigrammata quæ P. Matthæo ac Socijs honoris cauſa ſcripta ſunt, in magnum volumen excreuiſſent, niſi modeſtiæ Chriſtianæ fuiſſet conſultum.

Quidam è litteratis idolorũ miniſter fact⁹.

Epigrammatis honorantur.

Alij quoque duo dignitate, ſed fama tamen nihilo inferiores ad eum viſitandum deuenerunt. ex ijs vnus ſe ad annos ætatis trecentos perueniſſe fingebat, quorum magnam partem, ne mendacij coargueretur, extra regnum ſe collocaſſe dicebat: & quoniam Sinæ magnates ad vitam protrahen-

Sinæ in producendis annis ætatis delirant

hendam intenti prope delirant, nihil admodum de rei veritate laborantes, hunc hominem magna ambitione ſequebantur; ex eo quod prolixioris vitæ præcepta diſcipulis ſuis prælegebat. is ergo ad Patrem etiam primus venit, vti ſe quod adiebant congreſſu cum Mathematico ſummo nobilitaret; is iactabat ſe non è cælo, ſed è terra Sinenſi Geologia futura prædicere. de qua etiam conſule librum primum. Alter è duobus minus quidem impudenter, ſed tamen & ipſe fingebat. nonagenarium enim, cum vix ſexagenarius videretur, ſe eſſe prædicabat. nouerat etiam incurabiles fere morbos curare, & qua arte neſcio, ſed in eo tamen genere certis auctoribus de eo mira narrabantur; hic erat prioris Socius, & alter alteri famam, vel è vita longiore, vel ex artis medicæ præceptis colligebat. Illi P. Matthæum vbiq; prædicabant, & aſſerebant ſe illi in ſcientia planè cedere, vnde venit aliquibus in mentem ſuſpicari P. Matthæum fortaſſe etiam in aliquot ſæcula vixiſſe, ſed eam rem ſecretis ex cauſis diſſimulare. ſimiles enim nugas, de aduenis potiſſimum vultu non nihil à ſe diſcrepantibus, facile ſolent ſuſpicari.

Confutio Litteratorũ Principi muſica exhibetur.

Hoc eodem tempore omitti non debet res quædam, quæ fortaſſe ab Europæis quæri ſolet, de Sinarum videlicet harmonia. Solemne in diem quendam Confutio Litteratorum Principi ſacrificium parabatur, ſi ſacrificium appellari poteſt, quod ipſi non vt Numini, ſed vt Magiſtro offerũt. ſacrificium ideo vocatur, quod id nomen apud Sinas latius pateat. In id ergo ſacrificium ſolemnis muſica exercebatur, ad quam pridiè ſacrificij probandam ſũmi Tribunalis Præſes amicus euocabatur, vt videret, an in ſacrificium poſſet adhiberi. inuitatus eſt P. Matthæus: nec abnuit, maximè quod ſacrificium non eſſet. concentum hunc curabant Litteratorum Sacerdotes, Tansù vocant, & in aula vel potius templo Regio, quod Deo Cæli Domino extructum eſt, muſici concentus experimentum

tum fiebat. P. Matthæo locus cum Præſidis filijs ad ſpectandũ eſt aſſignatus. prodiere cœnobitæ velut ſacrificaturi in veſtib⁹ ſanè pretioſis: ij poſt exhibitos Præſidi ſolitæ venerationis ritus, tum ad pulſanda quilibet inſtrumenta ſe accinxerunt: è quibus erant ex ære campano tintinnabula, pelues, alia è ſaxo, è pelle quædam velut tympana, è fidibus nonnulla, tibiæ inflabantur, & organa quædam, in quæ ventus non follibus, ſed ore inſufflabatur: quædam alia brutorum figuram referebant, & bacillis in eorum dentes adactis, ex inani venti e ſonũ reddebant. hæc ſimul omnia pulſabantur, eo concentu, quem fingere ſibi quiſq; poteſt. neque enim alia erat, quam nõ concors, ſed diſcordia diſcors. nec ipſi Sinæ planè pernegant. doctiſſimus enim quiſq; fatetur, ſimphoniæ concordiam veteribus notam, poſterioribus ſæculis excidiſſe, & ſola inſtrumenta ſine arte remanſiſſe. Muſica diſcors

Verum Regium quoque Templum ſpectari debet. nam vere Regium eſt; ſiue magnitudinem ſpectes, ſiue operis maieſtatem. Sub Vrbem extructum eſt in nemore, aut potius pineto, muris cincto, quod in ambitu duodecim miliaribus Italicis patet. Totum fere templum exceptis muris opere latericio è ligno conſtat: in quinque naues diſtribuitur: duobus vtrumque ordinibus columnarum, quæ ligneæ ac rotundæ duorum virorum amplexum excedunt, & craſſitiem altitudo intra ſimmetriam non fallit: ſupra cælatum eſt egregie tectum, & plane inauratum, ac tametſi ducentis iam annis erectum eſt, neque Rex Nanchini ſacrificet aut reſideat, vix quicquam tamen de primo ſplendore deperdidit: in medio templo locus eſt eminentior è marmoribus pretioſiſſimis, in eo loco duplex eſt Thronus; marmoreus vterque: in altero Rex ſacrificaturus ſedet, alter inanis ei, cui ſacrificat relinquitur, vt ne dedignetur aſſidere. exterioris templi periſtilia elegantiſſimis meandris exornata: ac ne aues in eo nidificarent, Templum regium.

aut omnia fœdarent, feneſtræ omnes ferreo filo in retis modum ſolis radijs ſolum patebant. id ſolemne eſt fieri in vniuerſo Regis palatio. Templi portæ omnes æreis laminis inauratis obductæ, & laruis elegantibus ex eadem materia exornatæ. Extra Templum è marmore rubro plures erant aræ, quæ ſolem, lunam, ſtellas, & Sinicos montes referebant, lacus etiam quidam mare repræſentabat: quare dicuntur innuiſſe, Deum qui in eo templo colitur, reliqua condidiſſe, quæ extra templum ſtatuuntur, ne ea quis pro numine veneretur. Huius nemoris arbores, propoſitis pœnis grauiſſimis nefas eſt cædere, etiam ramum quemlibet, vnde permagnæ ſunt & antiquitatis teſtes. In ambitu templi variæ ſunt cellæ, quæ olim fuiſſe Thermæ dicebantur, in quibus Reges ſacrificaturi, & reliqui Miniſtri lauabantur.

Aræ extra templum.

P. Matthæus Riccius cum celebri ſacrificulo de lege noſtra diſceptat.

Caput Septimum.

Vtebatur, vt ſupra dictum eſt, habitu litteratorum P. Matthæus, ſed eorum maximè, qui ſe legis prædicatores appellant. habitus eſt ſanè modeſtus, & pileus noſtro non abſimilis, in crucis quoque formam conſtructus; nec ſe habitu ſolum, ſed multo magis colloquijs ſe diuinæ legis præconem prædicabat. totus enim erat in vtraq; ſimulacrorũ ſecta confutanda. Litteratorum vero ſectam non ſolum non perſtringebat, ſed laudabat etiam, eiusque Principem Confutium commendabat: qui quæ de altera vita neſcierat, tacere, quam comminiſci maluiſſet, & legis ſuæ præcepta ad vitam recte cuique conſtituendam, & familiam, regnumq; ex æquo & bono gubernandum direxerat. Hic veſtiendi procedendiq; modus in externis viſus eſt planè nouus, ſed qui magnopere à

Habitus Patris Matthæi.

Littera-

litteratis approbaretur. externi quippe ad hanc diem omnes, qui ex occaſu in Sinarum regnum penetrarant, omnes inquã, à litteratorum placitis, ipſoq; Confutio diſcedentes, in ſimulachra celebranda ferebantur. & hac de re frequens erat inter magnates ſermo, illum in omni congreſſu verum litteratum appellabant; qui vnum Deum veneratus, verũ cultum, mentitis Dijs colendis fœdare nollet, quod pleriq; faciunt apud Sinas hoc tempore litterati.

Eo ipſo tempore florebat Nanchini ſeptuagenarius quidam ſenex, ex vrbanis magiſtratibus, magna litterarũ ac virtutis opinione: ad eum velut ad oraculum plurimi è varijs partibus concurrebant, & ſe in eius diſciplinam tradebant, è quibus ille millenos numerabat: is aperte repudiatis litteratorum inſtitutis, vanos Deos venerabatur, & venerandos prædicabat: & quoniam concurſus vndique fieri ſolitos non ferebat, certos quolibet menſe dies deſignarat, quibus audire & audiri volebat: reliquis diebus ne auocatus quidem comparebat. hic cum P. Matthæo congredi deſiderauit, & adhibito vtriusq; familiari Chiutaisò effecit, vt libens ad ſe veniret. ſperabat enim eum ſe poſſe diuino auxilio ad Chriſti fidem aggregare. ergo primo congreſſu de religione ſermones illati, & quidẽ primo prope argumento extorſit, vt diceret, ſectam idolorum ſimilem eſſe malo, partim putri partim ſano; accipere ſe quod in eo ſanum eſſet, & putre repudiare: qui aderant eius diſcipuli ex tam liberali Magiſtri conceſſione, pudore ſuffuſi ſunt. ipſe etiam ſtupore affectus eſt, inueniſſe ſe hominem, qui ſectam idolorum ita acriter impugnaret.

Senex quidam litteratus cum P. Matthæo de lege noſtra diſputat.

Solemne erat eo tempore, ſolito acrius litteratos in varia ſodalitia cogi, vt inter ſe de Ethicò diſciplinis, & virtute ſectanda conferrent. is de quo modis agebatur, ſermonem ſuſcepit, & eruditiſſime, vt ſolebat, ſed ex idolorum ſecta tamen Confutium litteratorum Principem confutauit. Aderat forte

è publicorum operũ Tribunali grauiſſimus litteratus, & idem in grauiſſima dignitate conſtitutus, non tulit litteratum in Confutij dedecus Idola propugnare, ſed grauiter excandeſcens, vociferabatur; rem omnino ferendam non eſſe, in hoc omnium & Sinenſium, & Litteratorum cœtu hominem, & litteratum eo dementiæ perueniſſe, vt Confutio repudiato idola propugnaret, qnorum cultum conſtabat è regnis externis aduenisſe: quod ipſum, inquit externus ille litteratus Matthæus Riccius admirari ferebatur, quem etiam aiebant Confutij doctrinam prædicare, & idolorum deliria impugnare, quæ iam dudum ipſi aduenæ è ſuorum regno exterminaſſent. Hic qui loquebatur nondum P. Matthæum aut conuenerat, aut viderat: vnde mirum eſt, eum de eo ſic palam prolocutũ. His auditis, idolorum propugnator erubuit, ſed diſſimulato pudore ſubiunxit: ſe cum eodem aduena collocutum, & videri ſibi nondum de Sinicis rebus probe edoctum: paulatim inquit placitis melioribus erudiemus: atque ita diſſoluto cætu, ſinguli ad ſua redierunt, non ita multo poſt cum ignoraret etiam tum P. Matthæus ea, quæ in ſodalitio contigerant, inuitatus fuit ab idolorum propugnatore ad conuiuium inſtantiſſimè. nam Sinæ vt ſupra dictum eſt, controuerſias ſuas fere inter pocula dirimunt. ne ſuæ ſtationi ſtabiliendæ obicem opponeret, cauſatus eſt occupationes, & alia permulta, quæ omnia inuitator reiecit, & importunis legationibus euicit, etiam auctore Chiutaisò, vt P. Matthæus non potuerit, ſine inurbanitatis nota amplius repugnare. Iuit igitur & quidem ad diſceptandum comparatus; ipſe quoq; inuitator ſemel victus, cum ſibi diffideret, celebrem euocauit idolorum ſacrificulum, qui multis alijs quos in diſcipulos adlegerat, præeſſe dicebatur: præter quos alia quoque illum laicorum multitudo ex vtroq; ſexu Magiſtrum appellabat. Is Sanhoi vocabatur, multum à reliquis huiusmodi cænobitis diſcrepans, quos ſupina rerum ignoratio

P. Matthæus inuitatur ab idolorum propugnatore.

Alius cænobita litteratus inuitatur.

ignoratio infames reddit. Hic enim litteris operam dederat accurate, & inſignis erat vel philoſophus, vel orator, ac Poëta, idem reliquas ſectas præter ſuam altę imbiberat.

Vbi P. Matthæus aduenit, iam aderat euocatus cænobita multis litteratis ſtipatus, atque interim, dum reliqui veniunt, viginti & eo plures exhibito de more ritu conſederunt. Aſſedit Patri ſacrificulus, & magno ſupercilio ſuperbiam, vili lacerna tegens præſetulit, velle ſe cum Patre de Religione congredi. cui P. Matthæus in hunc modum eſt prælocutus: Prius ait quàm in arenam deſcendamus, aueo ex te ſcire, quid ſentias de primo principio cæli ac terræ, ac cæterorum conditore, quem vno verbo Cæli Dominum appellamus. Reſpondit ita laceſſitus: non equidem nego hunc cæli ac terræ moderatorem reperiri, ſed eum nihil admodum habere maieſtatis aut Numinis. nam & ego inquit, & alius quilibet illi æquales ſumus, neque vlla in re illi cedimus. & hęc ita perfricta fronte dicebat, vt etiam aliquid eſſe amplius videri vellet. Quæſijt Pater ex eo; ea facere poſſet nec ne, quæ cæli Dominum feciſſe conſtaret? nam hoc neceſſe videbatur; annuit ille, & ſe terram & cælum poſſe condere. Age, inquit P. Matthæus Prunarium huic ſimile fac ſodes, aderat enim tum forte prunarium cum prunis candentibus: hic vociferari cæpit, indignum eſſe vt hoc ab eo fieri poſtularet: cui altius etiam tollens vocem reſpondit: indignum eſſe promittere, quod non poſſis. ad clamorem cæteri concurrerunt, & quærebant, ecqua de re diſceptarent. Chiutaisò rem retulit, & viſus eſt P. Matthæus non iniqua poſtulaſſe. Inſtaurata denuo diſputatione, cæpit Profanus Myſtes chimeræ ſuæ principium magna circum locutione proponere. quærit viciſſim ex P. Matthæo Mathematicas norit diſciplinas nec ne, ſenſerat enim eum pro inſigni Aſtrologo prædicari: reſpondit noſter, ea de re ſe aliquid aſſecutum. tum ille, cum inquit de ſole ac luna diſſeris, in cælum conſcen-

Litteratorum conſeſſus ad diſputandum.

Diſputationis principium.

conſcendis, an illi ipſi planetæ ad te deſcendunt? neutrum inquit Pater, verum cum quippiam videmus, ſpeciem quandam rei viſæ efformamus in ipſa mente noſtra, & ſi forte de re viſa loqui aut cogitare placet, mentem noſtram introſpicimus, & ab ea receptas imagines ac ſpecies exigimus. hic velut victor gaudio exultans in pedes erigitur. Ecce tu inquit nouum ſolem, nouam lunam creaſti, & eadem ratione quidlibet aliud creari poteſt, quo dicto ſuperciliosus reſedit, velut re iam clariſſimè probata conquieſcens. Pater vero exponere aggreſſus eſt ſpeciem illam non eſſe ſolem ac lunam, ſed ſolis ac lunæ imaginem, atque inter vtrumq;, quantũ ſit inquit diſcrimen, quis non videt? & quidem ſi nullo ſenſu ſolem ac lunam percepiſſem, nec ipſam etiam ſpeciem elicere potuiſſem, ac longe minus ipſum ſolem ac lunam condidiſſem. In ſpeculo probabat intentum, in quo ſolis ac lunę imago ſpectabatur, ſi ex oppoſito ſtatueretur. ecquis porro eſt ita hebes, vt dicat, ſpeculum ſolem ac lunam creare poſſe? hac expoſitione adſtantes viſi ſunt magis, quam Cœnobita, recreari qui deinde cauſæ ſuæ bonitatem in clamore ſtatuens, occultare nitebatur ignorantiam. eò res deuenit, vt tandem inuitator ipſe vereretur, ne quid alteri inurbanè in alteram elaberetur: ergo auctoritate ſua litem diremit, & Cænobitam alio adduxit, eo conſilio, vt è diſceptatione in poſterum ceſſaretur.

P. Matthæus explicat reſponſum ſuum

Interim venerant reliqui ad conuiuium euocati, & ſinguli ſingulis in menſis, quæ erant plurimæ, aſſederunt. primum locum occupare iuſſus eſt, quod externus eſſet P. Matthæus, in medio conuiuio colloquentes inter ſe litterati, diſcutere cœperunt celebrem apud Sinas litteratos quæſtionem de humana natura, quid ſentiendum? ipſa ſeipſa bona ſit an mala? an neutrum. aiunt enim ſi bona eſt, vnde malum quod ex ea naſcitur? ſi mala, vnde bonũ quod ſæpè operatur? ſi neutrum eſt, vnde nunc benè nunc male ſeipſa facit? & quoniam logicæ prę-

Quæſtio proponitur de humana natura.

ex præceptis carent, morale bonum ac naturale confundunt diſtinctione vti neſcientes, item natura ingenitum vel acquiſitum perturbant, de natura verò originis culpa corrupta, deque diuinis auxilijs & gratia, ne per ſomnium quidē audierunt. vnde in hanc vſque diem Philoſophi de hac quæſtione certant, & adhuc ſub iudice lis eſt. de qua eo die integrū horæ ſpatium problematicè diſceptarunt, totum illud tempus ſiluit P. Matthæus, & à plerisq; iudicatus eſt huius quæſtionis ſubtilitatem ne aſſecutus quidem, & tamen pleriq; optabant, quid poſſet in hoc enodando nodo experiri. igitur cum velle ſe loqui modeſtè prætuliſſet, conticuêre omnes, intentiq; ora tenebant. tum P. Matthæus diſputata vtrimq; magna memoriæ fælicitate repetijt. quæ res in ſtuporem egit vniuerſos: tum ait: Nihil dubium eſſe poteſt, quin cæli terræq; Dominus optimus in immenſum vſque debeat iudicari, & ſi natura humana adeò infirma eſt, vt de ea dubitetur, bona ſit an mala, eamq; dixerit Magiſter Sanhoi, non ita multo ante hominem eſſe cum illo numine cæli ac terræ conditore, hinc apertè conficitur, dubitari quoque de Deo poſſe, bonus ſit an malus. aſſidebat P. Matthæo litteratus quidam è Licentiatorum ordine, cui cum argumentum arriſiſſet, ne ab aliquo fortaſſe minus fuiſſet intellectum, idem copioſius & eloquentius retulit: tum ad Cænobitam conuerſus, ſubridens dixit: quid adhæc reſpondes? ille vero riſu ac ſupercilio eludebat. Verùm inſtitit P. Matthæus ac cæteri, vti ratione potius, quàm nutu ſatisfaceret: tum ille neſcio, quod è ſectæ ſuę ſomnijs diluuium narrare cæpit, ſed eum P. Matthæus interturbauit, dicens: inter nos ratione non anctoritate agendum, cum alter ab altero legis profeſſione diſcrepemus, nec alter alterius libros pro veris admittat: potuiſſe ſe quoque è legis ſuæ voluminibus multa proferre, ſed hodie ratione, quæ apud omnes vna eſt, res erat dirimenda: nec ideo tamen ad reſpondendum aggreditur, ſed

P. Matthæus euoluit quæſtionem.

varijs acutisq; ſententijs in idiomatis lepore fundatis tergiuerſabatur, ita vt victus tamen videri nollet, & cum multa garriret, probare intendit eum, qui bonus eſſet, poſſe quoque malum eſſe: vnde Deum nec bonum nec malum eſſe conceſſit. tum P. Matthæus apto ad ingenium ſimili inſtitit, ſolem ita clarum eſſe, vt obſcurus eſſe non poſſit, ex eo quod innata illi claritas eſſet. ea res magnam apud omnes vim habuit, quoniam ſubſtantiam ab accidente non ſeparant. Ad extremum ita multa dicta, probataq;, ſed videri ſibi ſolus ipſe victus noluit, apud reliquos enim etiam conuictus iudicabatur, quibus ita P. Matthæi rationes placuerunt, vt in multos menſes, huius diſceptationis fama, congredientibus inter ſe litteratis, colloquendi materiam daret. Hic error ex idolorũ ſecta depromptus, Deum & reliquas res omnes ex vna eademque eſſe ſubſtantia, non ſine magna Numinis iniuria, ſenſim etiam in litteratorum ſcholas irrepſit, & videntur ſentire, Deum eſſe animam vniuerſi, & velut vnam magni corporis mentem. Ipſius quoque qui inuitauerat diſcipuli frequenter poſtmodum ad P. Matthæum recurrerunt, quibus ita ſatisfactum, vt errorem depoſuiſſe viderentur, quem vt etiam reliqui deponerent, cõmentariolum P. Matthæus ſcripſit, & in Catechiſmi caput vnum inſeruit: eum commentariolum legerat, poſtea ex diſcipulis eius, qui conuiuium inſtruxerat quidam, & ait: qui hæc negauerit hunc quoque ſolem clarum eſſe negaturũ putem. huius diſceptationis fama ad animum Pręſidis peruenit, qui deinde victoriam ipſemet eſt gratulatus, nec ille ſolus, ſed alij plures, quibus iam barbaræ, vt arbitrabantur legis placita non barbara videbantur, & illi quidem Patri gratulabantur, ille vero Deo gratulatus, quod legis ſuæ paulatim in Sinenſi Regia iaceret fundamenta.

Error grauis.

P. Matthæo de victoria fiunt gratulationes.

Ex Hy-

Ex Hybernis Noſtri Nanchinum incolumes appellunt, & ædes commodè comparantur.

CAPVT OCTAVVM.

CORIANO bello exhauſtum Regis ærarium, procurabat idem ipſe Rex inſtaurare. fama eſt in Sinenſium Regno argenti ac auri fodinas eſſe complures; ſed aiunt ſi forte metalla ilia humanæ cupiditatis irritamenta effodiantur, tot ad prædam concurrere prædones, vt antiqui Reges eas clauſerint & vetuerint in poſterum aperiri: eas porro ærarium vacuum non ferens, ſimul effodi iuſſit, & antiquas leges effringi, impoſuit præterea tributum nouum, vt in omnibus Prouincijs, è centum duo, penderent merces omnes diſtrahendæ: id tolerabile fuiſſet, Si Rex ad hoc tributum exigendum Magiſtratus adhibuiſſet, ſed maluit Eunuchis fidere, è quibus duos treſue primarios in ſingulas Prouincias amandauit, quos alij comitati ſunt auctoritate magis, quam cupiditate inferiores, Eunuchis maioribus laxatæ habenæ, & è Magiſtratuum manibus qui eas moderabantur ereptæ. Impotens hominum genus ac barbarum ſine litteris, pudore, miſericordia, quibus cum acceſſit ſuperbia, quæ vitiorum portenta orientur? ergo ſemiuiri quos cupiditas immanes reddiderat, intra paucos menſes Regnum vniuerſum perturbarunt, & triſtiorem faciem quam cum Coriano bello premeretur induxerunt; hoc enim externum erat; illud vero, intrinſecum & maius malum metu. plena erant omnia impoſtoribus, plena falſarijs, plena latronibus, nec aliud vulgo credebatur eſſe Telonium, quam infame latrocinijs nemus; & ærarium ipſum publicum, cui Rex Eunuchorum fide conſulebat, expilabatur. Eunuchi vero fodinis deputati non in montes, ſed in opulentas vrbes ferebantur, & ſicubi vir aliquis copioſus habitare diceretur, ijs in ædibus aiebant

Tributum à Rege impoſitum.

Eunuchorum cupiditas Regnum perturbat.

bant

bant argenti fodinam reperiri, deq; domo euertenda & effodienda cogitabant, ac miſelli ad ædes conſeruandas, magnum argenti pondus Eunucho coacti donabant: nonnullæ ciuitates etiam ac Prouinciæ de certo argenti pondere cum Eunuchis conuenerunt, quod Regi velut è fodinis expreſſum penderent, hac enim ſe ratione ab eorum importunitate liberabant, his populi vexationibus, rerum omnium pretia excreuerunt, & è pretio penuria incruduit.

Rex de importunitate Eunuchorum monetur.

Non defuêre tamen, nec ſibi nec Regi Magiſtratus, frequentibus enim libellis monuerunt, primum quàm indignè populus haberetur, quàm euidens eſſet vbique tumultus periculum; nec periculum ſolum, iam enim quibusdam in locis eruperat: & quia Rex ſilentio ſuo omnia eludebat, liberrimis & acerrimis libellis eum repræhendebant, quin etiam auſi ſunt aliqui, extra vrbes Regias Eunuchorum iniurijs obſiſtere. Verùm Rex ea eſca delinitus, quæ die qualibet in palatiũ ab Eunuchis inferebatur, ſtatuit hoc negotium acriter perſequi, Sindicorum Regiorum libertatem, & eorum qui Eunuchis obſiſtebant audaciam, atrocibus pœnis reprimebat; multi ex ijs dignitatibus exturbati, multi annos plures in vinculis Pechini detenti ſunt, & hoc Regiæ auctoritatis calculo Eunuchi grauius inſoleſcebant, & pronius in latrocinia ferebantur.

Rex Eunuchos defendit.

Metus noſtris & Præſidi inijcitur.

Hæc vbi Nanchini increbuerunt, valde veritus eſt Pater Matthæus, & cum eo primi Tribunalis Præſes amicus noſter, vt Noſtri qui Lincini in hybernis erant, in alicuius ex ijs harpijs vngues inciderent, & iam Præſidi videbatur fieri omnino non poſſe, vt inde Noſtri quorum ſarcinæ magno in pretio habentur, ab Eunuchis intacti auolarent. ſed eum diſſimulato metu P. Matthæus ſolabatur, monebatq;, quantam in imaginibus ſuis conſeruandis, Deus optimus maximus potentiæ ſuæ demonſtrationem eſſet exhibiturus. Ergo cum poſt multos hybernorũ & itineris menſes appuliſſent, obſtupuit amicus

cus Præſes, vbi audijt, eos nihil tuliſſe aduerſi, ſed ne periculum quidem reſciuiſſe. Eam ergo rem inter prodigia referens, fidei noſtræ in poſterum ſuſpicere cæpit vim, & Numinis prouidentiam, deque ea ſæpius audire cum voluptate voluit, & adduci quidem facilè potuit ad eius veritatem cognoſcendam, ſed non ęquè ad eius ſanctitatem amplectendam. nam ab ea domeſtica eum impedimenta, pellicum amores, auertebant.

Socij ex hybernis Nanchinũ incolumes perueniunt

Noſtri porro Nanchini cum exſcendiſſent, & ſtationis noſtræ ibi ſtatuendæ, ſpem ſupra ſpem inaudiſſent, omnium laborum obliti in Domino exultabant, maximè cum viderent P. Matthæum ea in vrbe ex qua pulſus ſemel fuerat, & aliàs delituerat, nunc ab omnibus coli & pro prodigio celebrari. eos excepit inſolito gaudio P. Matthæus in ea domo, in qua conducto habitabat. Iam ædes plures ad coëmendum inſpexerat, nec tamen omnino placuerant; & angebat vehementius, qua ratione à Magiſtratibus diploma figendæ ſtationis, & ædium coëmendarum impetraret. iam enim longo vſu aſſecutus erat, ſe hoc ipſo quod peteret repulſam ex eo paſſuram, quod ex Magiſtratibus nemo ſe libens externorum negotijs implicaret, & hac ratione in controuerſiam vocabat, expediret nec ne Nanchini aduenam commorari.

Verùm vtique incommodo inſignis Dei prouidentia ſubuenit. is enim qui nuper in litteratorum ſodalitio P. Matthæum hactenus ignotum deprædicarat, tandem ad eum viſendum acceſſit, paucis prius diebus quam noſtri appuliſſent, defunctus ſolitis ritibus & humanitatis indicijs, poſt varia quæſijt; vellet nec ne ædes aliquas ad ſtationem firmam comparare, hoc enim inaudiſſe ſe aſſerebat. cum P. Matthæus annuiſſet, id ſubiunxit, quod ſine admiratione legi non poteſt: nuper inquit erexeram Palatium publicis Tribunalis mei ſumptibus ad domicilium Collegarum, ſed ecce tibi extructum

Domiciliũ ſpectris infeſtum Socijs emendum offertur.

pro Collegis Dæmones,& neſcio quæ ſpectra occuparunt,nec in eo cuiquam licet impune commorari. conatus ſum illud vendere inferiore ſane pretio, ſed inuentus eſt nemo, qui vellet cum ijs ſpectris colluctari. Si ergo nihil ſibi à ſpectris timeret, ea enim erat fama ſanctitatis,per ſe licebat vt emeret, nec de pretio laboraret, permittere quippe ſe vt de eo ſuo ſtatuat arbitratu.

Senſit P. Matthæus Diuinam manum, ergo ita reſpondit: Ego ait, Deum cæli ac terræ moderatorem veneror, cui non dæmonia minus, quam cætera omnia ſubduntur:ſperare ſe de illius bonitate fore, vt nihil à dæmonijs eius iniuſſu pateretur: habere ſe quoque ſecum Chriſti Seruatoris effigiem, ad cuius conſpectum dæmones ſolemne erat aufugere, ideo ſi vſibus ſuis Palatium illud arrideret,ſe nihil dæmones veriturum.quo reſponſo accepto, illum Viſitator Leuteu vocabatur, ad viſendum Palatium adducit, & reperit illud P. Matthæus opinione ſua,quam reliquas ædes cōmodius. nam & in eminentiore ſitu ciuitatis fluminis illuuionem eludebat, erat in primario totius vrbis vico,cuius latitudo fere in iactū lapidis extenditur. Regis palatium, Magiſtratuum tribunalia circumcirca conſpiciebat,Cubicula,aulæ,decem fere noſtris ſufficiebant: nouum erat ædificium,& quod in annos plures conſiſtere poſſe iudicabatur: è vico ad alterum vicum longitudine ſua penetrabat, & habebat in vtrumque egrediendi commoditatem. Cum igitur id publicorum operum Tribunal venderet, domus Magiſtratuum auctoritate comparabatur, de quo noſtri non minimū laborabant. ergo nihil à noſtris dubitatum, quin hæc habitatio nobis à Deo fuiſſet comparata.interim appulit P. Cataneus cum Socijs, quorum ſententia iudicatū eſt, eam oportunitatem minimè negligendam, & cum pretium Noſtri,ipſius venditoris arbitratu definiendum reliquiſſent, ipſe qui iam intimè familiaris haberi volebat, exegit eius fere

Domus à Socijs emitur.

pretij

pretij dimidium, quod in extruendo conſumpſerat: & quoniam noſtris pretium omne deerat, libens in annũ integrum ſe dimidiatam partem dilaturum recepit, atque ita non amplius triduo res vniuerſa concluditur, & in eam noſtri ſeſe ſubito contulerunt. Tum miſit venditor publicum venditionis inſtrumentum, & edictum addidit ſupra limen affigendum, quo edicto vetabat, vt ne quis eos ab ædium emptarum poſſeſſione prohiberet, vtrumq; ſui Tribunalis ſigillo communiuit, cuius firmitate noſtri ſtationem ſuam fortiter ac ſuauiter Deo diſponente confirmarunt. Hinc etiam amicitiam Noſtri huius Tribunalis ſibi conciliarunt, cui non ingratum fuit, dimidiam pretij partem recuperare, poſtquam deſperauerant vniuerſam.

Re tota hunc in modum fere confecta, P. Matthæus ad amicum Præſidem inſtrumentum, edictumq; detulit, qui plane obſtupuit, eam rem tanta breuitate ac facilitate cõcluſam: nec indoluit eius interceſſionem ac fauorẽ minime opus fuiſſe, ſed vbi poſtea intellexit, importunos habitatores dæmones inquam, Dei ſeruis ceſſiſſe, longe magis diuinas vires & opportuna præſidia prædicabat. qua enim nocte noſtri in ædes nouas commigrarunt, ad aram in aula erectam preces ad eam rem aptas recitarunt, ac deinde luſtrali aqua vniuerſam domum præeunte Chriſti Seruatoris effigie conſperſerunt, & diuinæ bonitati viſum eſt, ad fidei ſuæ incrementum ſpectra omnia in perpetuum diffugerent. cui enim omnia ſeruiunt, is eos in eam domum immiſerat ad habitationẽ noſtris præparandam, idem quoque poſt conſilij ſui euentum emiſit. Ea res celebris fuit vrbe tota, è qua deinde in regnum peruenit vniuerſum, & ſanctiſſimæ fidei noſtræ magnum nomen dedit. conſtabat enim prope vniuerſis, habitationem in eo Palatio tentaſſe Magiſtratus grauiſſimos. ex operum publicorũ Tribunali, & ad eijciendos habitatione occupata dæmones nihil ab ido-

Spectra noſtrorum ingreſſu, è domo diffugiunt.

ab idolorum miniſtris fuiſſe relictum intentatum, & etiam nunc in muris & columnis vulnerũ cicatrices apparent, quas ritu ſuo furentes Exorciſtæ in dæmones intentabant, nec tamen his omnibus quicquam profeciſſe narrabantur. nemo enim dies paucos etiam à moleſtia liber fuit, ipſis qui paſſi fuerant teſtibus luculentis. cum autem reſcitum eſt, ad Sociorum ingreſſum malignos illos ſpiritus abijſſe, diuini tanta res numinis poteſtati attributa, in cuius ſe tutela noſtri eſſe prædicabant: & quidem ea de re cum venditor ipſe die quadã loqueretur, P. ipſo Matthæo audiente aſſeruit; in ædibus extruendis ritum omnino nullum, ex ijs quos Sinæ ſuperſtitiosè adhibere ſolent prætermiſſum. Verùm nunc demum ſe cauſam aſſequi, cur eas dæmones occupaſſent: P. Matthæi Deus dæmonibus mandauit, vti præter eum neminem ijs in ædibus ſinerent commorari.

Hoc negotio ex animi ſententia perfuncti, alio non parum angebantur: Promiſerat P. Matthæus viris non ſemel grauiſſimis, ſe munera Regi deſtinata monſtraturum, ſed verebatur, ne ob nimium ſpectantium concurſum, anſam præberet alicuius tumultus aut ſiniſtræ ſuſpicionis. Demum poſtquam ſe in partes omnes verterunt, nihil aptius viſum, quam vt aliquorum dierum laborem ſingulis inuicem ſibi ſuccedentibus, dies integros demonſtrare, ac deinde ex euentu conſilium caperent in futurum. Moniti ergo munera Regia tandem appuliſſe, extemplo adfuerunt, ſed longam deſiderantium expectationem rerum nouitas ita ſuperauit, vt multis è ſtupore laudandi facultas eriperetur, neque videndo poſſe expleri viderentur. Hi alios & alij plures euocarũt, tandem cum noſtri iam vltra ferre non poſſent, fores occludebant, ſed vim ſpectaturi parabant, proteſtati primum, eam vim non ab inurbanitate, ſed ab admiratione prouenire, multis importunitatem excuſabant, & labori condolentes veniam poſtulabant,

Concurſus ſpectantium res noſtras Europæas.

miras

miras interim Europæ laudes, & vel artis, vel Religionis encomia congerentes.

P. Lazarus Cataneus Amacaum petit: Nanchini vero primitiæ Neophytorum baptizantur.

CAPVT NONVM.

REBVS in hunc maxime modum conſtitutis, quieſcere Noſtri non poterant, niſi quod Nanchini Deus perfecerat, id denuo Pechini tentarent: id in annum inſequentem deſtinabant: eos ſpreto parum felici ſuperioris expeditionis euentu, hæc fere permouebant: vſu didicerant, qua ratione ſuperioris anni, ſi quæ fuerant errata corrigerent: tempus ex pace diuerſum, Magiſtratuum fauor creuerat, ac denique tandem intelligebant, niſi quiſpiam ab Rege fauoris ventus afflaret, Nanchinenſem ac cæteras ſedes extinguendas; fama Regiorum munerum longe lateque excurrerat, fieri omnino non poſſe videbatur, vt ea res ad regias aures, quopiam Eunucho narratore non aliquando perueniret, è quibus multi eunt ac redeunt Pechinum: hinc vero ſimile videbatur, Regem rerũ nouitate permotum, eas parum vrbane & ſine Sociorũ auctoritate ac deſideriorum vtilitate petiturum. videbatur ergo præueniendus & arctius Rex obligandus. hæ cauſæ perſuaſerunt, vti P. Cataneus Amacaum renauigaret, præſens euentus rei commemoraret, à Socijs conſilium in re tanti momenti poſtularet, & inde neceſſaria in ſumptus aueheret, regium munus re quapiam augeret, & obligatam ædium pretio fidem exolueret. & quoniam nullus videbatur ſpectatorum, de quibus nunc agebatur, finis fore, viſum eſt, vt horariam machinam P. Cataneus Nancianum efferret, imagines vero & trigonum vitrum viſum eſt Nanchini apud vnum è Regijs admonitoribus amicis deponere: is Scioſcelin vocabatur, tergiuerſatus

Pechinũ Socij adſpirant.

P. Cataneus Amacaum renauigat.

Munera apud amicum deponuntur.

latus eſt ille nonnihil ex imaginum veneratione, verum vrgentibus Socijs, id ex eo, quod iam eſſet Regi deſtinatum, ad eum ex officio pertinere, tandem ceſſit. vt ergo conſtaret omnibus, eas res iam domo noſtra exportatas, ſolemni pompa per publicos vrbis vicos omnia decenter in eius palatium deportantur, ille imagines excepit venerabundus, & in loco decenti collocatas perpetuis odoribus è Sinenſi ritu colebat; eas ille quidem amicis paucis ſpectandas dedit, ſed inferiorũ ordinum turma magnatum ædes vix ſuſpicit, ex ea re mox Domi quies, è tumultu ſedato P. Cataneum comitatus eſt Nancianum vſque è fratribus vnus, eius reditum ibi præſtolaturus.

Fama ædium coëmptarum Amacaũ peruenit.

Iam peruenerat Amacaum Nanchienſis domicilij recens erecti fama, quam magna gratulatione Noſtri ac Luſitani celebrarunt, aduentus tamen P. Catanei confirmauit, & auxit gratulationem, cum narrantem audirent, ædes non ſine prodigio coëmptas, magnatum fauorem ſupra ſpem, & etiam ſupra fidem, niſi ab oculato teſte audiretur: vna res eo tempore lætam his nuncijs vrbem angebat, nauim è Iaponia reducem auditum erat ſoluiſſe, nondum audiebatur appuliſſe: ea vehebatur P. Aegidius de Matta eius vice Prouinciæ iterum Procurator; eam nauim auditum eſt, deinde triſti naufragio perijſſe, nec è vectoribus vel vnum enataſſe. ex huius nauis commercio vniuerſæ ciuitatis fortuna pendet: vnde difficile videbatur tria domicilia ſuſtinere, Nanchinenſium ædium perſoluere pretium, itineris Pechinenſis ſumptum facere; verum has rerum anguſtias P. Emanuelis Rectoris magnanimus animus laxauit, qui eo tempore in latitudine cordis vt ita dicam, ambulare minimè dubitauit. Tantum ergo corraſit, quantum ad omnia ſatis eſſet, addidit etiam permulta inter amicos diuidenda, & quidem in Regium munus horologiũ aliud grandius miſit, quod etſi longe minoris eſſet, quam quod habebãt minus,

Munera pro Sinenſibus cõparantur.

minus, habebat tamen aliquam è magnitudine maieſtatem, & augebat apparatum. ſubmiſſa eſt etiam effigies Deiparæ, qualem Diuus Lucas pinxiſſe fertur, grandiuſculam illam Roma transmiſſam, aliquot etiam trigona vitra, ſpecula, vndulatam veſtem, carbaſinos pannos, arenarias capſulas horis metiendis, vaſa vitrea permulta, quæ res initijs maxime neceſſariæ ſunt, & negotiorum rotas, vt mollius fluant, inungunt; organa etiam concinnabantur, ſed quod tardius aduenerunt, Nanchini aſſeruantur. Socium etiam addidit P. Cataneo P. Didacum Pantoia, qui è Prouincia Toletana miſſus in Iaponiam, Amacai nauigationem præſtolabatur; is deſignabatur Nanchini remanſurus, aut P. Matthæo comes Pechinum abiturus. P. etiam Cataneus ſeipſo multa procurauit, calices duos, libros complures, & alia nonnulla.

Interim Nanciani Socij Sinenſium litterarum ſtudijs inſudabant, & tamen P. Suerius etiam initas amicitias fouebat, & nouas contrahebat. adnitente igitur Regulo Chiengàn, de quo multis ſupra, admiſſus eſt ad Eunuchum Principem ab Rege nouis vectigalibus exigendis præfectum, hic obtulit ſe P. Matthæum ad Regi munera ſua deferenda inducturum, & cum ea res ſecura videretur, Regulus ipſe diploma miſit, quo illi ab Eunucho facultas fiebat, Nancianũ ad ſe veniendi: monebatur etiam, vti munera ſua deferret, quibus viſis, ipſe Eunuchus ad Regem libellum ſecuro poſſet deſtinare. noluit Deus hunc nunciũ peruenire, nam ſeruus ex itinere nuſquam apparuit, ac licet alijs litteris deinde fuerat euocatus, tardè tamen & nonniſi poſtquam principium rei aliter dederat, omnia peruenerunt. & ſane iam Noſtris Eunuchi noti eſſe cæperant, nec ab ijs videbatur infidum hominum genus ſimilibus negotijs admouendum. gratijs igitur Regulo actis, & per eum Eunucho ſignificabat P. Matthæus, ſe alia ratione rem non amplius integram inchoaſſe.

Non ita breui tempore ſeſe Amacao P. Cataneus expediebat, & ne illius mora fidem de pretio ædium frangeret, ad diem conſtitutam perſoluendo cambij litteras miſit, id agente Sinenſi quodam mercatore; ſed fictæ litteræ fictum Nanchinenſis negotiatoris nomen, fictus locus iam ſecundo Noſtros admonuit, vti à ſimili contractu ceſſarent, ac licet nunc etiam nummos à falſario receperint, fefellit tamē P. Matthæus fidem, quam ædium venditor expectabat. ea res moleſtiſſima Patri accidit, nam in ſumptus domeſticos facile reperiebat, qui pauciores nummos mutuos daret, ſed in hac ſumma fœneratores in auxilium videbantur adhibendi. Hæc Patris conſilia ſciuit, vnde neſcio, venditor, & moneri iuſſit, vti de pretio nihil laboraret, ſe facile & Collegas in P. Catanei reditum promiſſionem dilaturos. his ergo curis liberatus, intendere cæpit in aliam rem longe ſibi gratiorem.

Iam diu conſtabat P. Matthæum ac Socios Chriſtianæ legis euulgandæ cauſa in hoc regnum nauigaſſe. ergo iam aliqui noſtra ſtatione audaciores facti, non horruerunt peregrinam exquirere veritatem. primus ac præcipuus huius Regiæ Neophytus fuit ſenex quidam ſeptuagenarius, cognomento Cin; nobilis inprimis, & Nanchini natus: habebat enim quandam militarem præfecturam, quales paucæ apud Sinas reperiuntur, quæ à maioribus accepta in filios ac nepotes propagatur: Idem habebat filium egregie pro gradu ſuo eruditum, & qui in militarium Licentiatorū examine, quod tertio quoque anno in qualibet Prouincia inſtituitur, tertiò primum locum obtinuerat, quæ dignitas eſt in eo ordine longe maxima, & iam Nanchini præfecturam gerebat militarem. inſignis fuit huius ſenis conuerſio ad fidem. nam res neceſſarias apprimè edoctus, magno pietatis ſenſu baptizatus eſt, & in baptiſmo Paulus appellatus. filius non ita multo pòſt Parentis auctoritatem ſecutus, Martini nomen habuit: illum vniuerſa deinde

Nobilis quidā ſenex primus Nanchini Baptiſmum ſuſcepit.

Senis

Senis familia, viri ac fœminæ, & alij etiam propinqui ſubſecuti ſunt. Et hæ ſunt Nanchinenſes primitię, quæ in hanc vſque diem Chriſtianæ pietatis frugem ferunt. Imaginem à P. Matthæo acceptam, ſacello primum domeſtico, deinde ſtrijs elegantibus cohoneſtauit. eò ſubinde Noſtri ad Miſſæ ſacrificium peragendum, & familiam inſtruendam ibant. fœminæ quippe ab Sinis arctè aſſeruantur. erexerat ad ſacelli latus Socijs celebraturis cubiculum ſane commodum, in quod ſecedere, & quieſcere, cum vellent, liceret, exhauſti potiſſimum longa collocutione & domeſticorum inſtructione. quo tempore vanis ſimulacris ſeruiebant, id accurate ab ijs factitabatur. ergo imaginem Chriſti Seruatoris cum elegantiſſimis idolis permutarunt, & domum noſtram, ſportam plenam amandarunt: ea P. Matthæus Amacaum prima ſpolia Nanchinenſi Tyranno detracta transmiſit, quæ ſpolia magnam noſtris gratulationem, & Deo grates elicueruut.

Filius Patrem ſecutus cum reliqua familia.

Nolim prætermittere, qua ratione P. Matthæus ſiue Nanchini, ſiue deinde Pachini, ſuauiter res fidei noſtræ ingerebat, & ijs auctoritatem cum audientium voluptate comparabat. quoniam in congreſſu de Europa noſtra, vt fit, nunquam non ſermones ingerebantur, habebat in promptu orbis Chriſtiani conſuetudines, pia eiusdem inſtituta: cõmemorabat Noſocomia, Xenodochia, pupillorum, expoſitorum receptacula, montes pietatis; ſodalitia charitatis, miſericordiæ; à quibus viduæ inopes, in vinculis detenti iuuabãtur: ad hæc variarum varios Religionum cætus inſtitutos ad ſuam & aliorum ſalutem procurandam, dies feſtos venerando, Deo, pijſque rebus audiendis, deputatos, ne fortaſſe in Religionis cura Chriſtiani ſilueſcerent, eorundem eleemoſynæ nomine largitiones aureorum ſæpè in pauperes, & alios vſus plurimorũ addebat, his in ſingulis vrbibus & oppidis Antiſtites, Parochos, vt puram putamq; Religionem ſine errore conſeruarent libros, qui

P. Matthæi ratio ingerendi res fidei, mores Europęorum docendo.

prodeunt in lucem reuideri, ne quid inutile, ne quid bonis moribus aduerſum euulgaretur; reſtitutiones rerum inuentarum, aut etiam cuiquam per iniuriam ereptarum: Et quod à pleriſq; in immenſum prædicabatur, ſed paucis imitatoribus, nemini ab ipſis Regibus, ad infimum quemque licere vagam in domeſticas pellices libidinem exercere, ſed vna ſingulos vxore contentos eſſe, nec eam repudiari poſſe vnquam, tametſi filijs careat: Connubia etiam non à pueris, ſed in ætate ſufficienti contrahi. Maximè porro illis placebat, vnum ſupra Reges etiam Religionis caput reperiri, è cuius nutu res omnes ſacræ dependebant; non naſci, ſed è virorum doctorum, prudentium, piorum, ſenum cætu deligi, qui omnes à prima ætate Deo dicati, caſtitatis voto obligati ſanctimoniam profitebantur. Ab eo deinde magna integritate prudentiaq; Catholicæ Eccleſiæ cætum gubernari. Pontificiam hic noſtri dignitatem tuto inculcant, neq; enim ſuſpicionis eſt periculum, quod eſſet in Regia dignitate. Et ſenſim animos præparant futuræ aliquando legationi, quam ſi rex Sinarum prior aliquando mitteret, maximum inde Sinenſis Eccleſia caperet incrementum. Et quidem libris ſcriptis, & quotidianis congreſſibus, id apud Neophytos, & etiam Ethnicos complures, effecerunt, vt iam Romanum Pontificem, Chriſti Vicarium, Eccleſiæ caput, demiſſiſſimè venerentur, & altiſſimè ſuſpiciāt eum, qui ex vnuerſo Prælatorum cætu ad ſummam illam euectus eſt dignitatem. Hæc maximè leguntur in Coſmographicis tabulis, in quibus ad vrbem factæ annotationes, hæc omnia monendi commodam occaſionē præbuerunt. Eam quoque de orbe Chriſtiano opinionem auxerunt noſtri, adſcriptis Ethicis perſæpè ſententijs, noſtro etiam charactere ac ſermone, ſed quem Sinenſis expoſitio mox ſequeretur. eas vel in flabellis ex more, vel in folijs deſcribebant, vt deinde ad ædium parietes affixæ legerentur.

Pontificē Romanum complures venerantur.

Expedi-

Expeditionem Pequinenſem Noſtri denuo aggrediuntur.

Capvt Decimvm.

Nanchinvm tandem aduenit cum Socijs P. Cataneus, & inſtructus, vt ſupra: qua ex re nihil dubitauit P. Matthæus, alterum in vrbem Regiam, impetũ facere, & inſignem, qui aduenerat, non negligere apparatum. primum igitur Magiſtratuum quorundam animos recens aduectis munuſculis deliniuit, vt ab ijs diplomata & commendatrices litteras acciperet: conſilium quoque ſuum cum Chiutaisò, qui Nanchino quidem abierat pridem, ſed ad certa negotia reuerſus, domi noſtræ tunc commorabatur, & cum eo, cui dictum eſt, ab eodem velut æmulo P. Matthæum commendatum; vtriſq; viſum eſt, hoc negotium nulla ratione abſque alicuius Magiſtratus è ſummis facultate tentandũ. Tres igitur conſilium petituri ad Regium admonitorem Sciocelìn, conſilij cauſa perrexerunt, huic omnino neceſſarium videbatur Regi munera deferenda: quoniam de ijs longe lateq; ſparſus rumor increbuerat; ac de facultate quidem publico diplomate conceſſa nihil opus eſſe, vt anxiè conquirant, ſe libenter, & ex officio daturum, vbi Pechinenſe flumen diſſoluta glacie ſeſe aperuiſſet, nihil optatius præſenti negotio accidere poterat, id enim ex eo tribunali procedebat, ad quod ea res omnino pertineret. optabat quidem P. Matthæus, ſed non ſatis audebat petere, ne amico moleſtiam, ſibi repulſam accerſeret. ergo ea promiſſione læti, cæperunt noſtri munera ſua concinnare, & Regio ornatu cohoneſtare: maximè verò neceſſarium videbatur, horariam machinam capſula includere; illam inquam grandiorem, quæ nuper aduecta erat: minor enim iam Nanciani Thecam inuenerat perelegantem è ligno cælato ac deinde inaurato: ſed neque Nanchinenſes voluerunt ſuperari: intra columnas

Munera regia concinnantur & cohoneſtantur.

nas quatuor ſtatuebatur machina: vtrimq; ad componendum horologium elegantes valuæ aperiebantur, indicem horarum cubitalibus litteris Sinicè inſcripſerunt, Aquila roſtro ſuo horas indicabat, & capſulam tegebat: cælatum in fornicem tectum, ſtrijs & periſtilijs, alijsq; foliorũ ac florum, imo & Draconum cælaturis inſigne. Draconem enim Reges pro ſymbolo elegerunt, & ab alio adhiberi, niſi à Rege & Regia familia non poteſt: cuius domus & ſupellex vniuerſa, aut ſculptos, aut cælatos, aut pictos acu, aut colore oſtendit. opus illud viſendum etiam in Europa fuiſſet. nam acceſſerant è Sinica Sandaracha & auro ſplendores, prout operis ratio exigebat.

Machinæ horariæ.

Draco Symbolum Regis.

Aberat tum amicus Præſes: abdicato enim ex Regis facultate Magiſtratu, in Patriam remigrarat, ex eo, quod ab æmulis prohiberetur per ſolitos honorum gradus aſcendere: ſub diſceſſum tamen litteras reliquerat, ad amicos in Regiam, quibus noſtrorum negotia commendabat, & iam aperiente ſe vere, promiſſis ſtetit Regius admonitor; diploma enim ſcripſit omnino è Noſtrorum voluntate, & addidit ipſe alijque plures, vel in ſumptus itineris munera, vel in negotij euentum litteras ad grauiſſimum quemq; Pechini Magiſtratuum. P. Cataneus interim iuſſus eſt Nanchini remanere, iam amicis notus, aptusq; ad eam ſedem promouendam: Socium accepit P. Didacum, & alios è fratribus duos; Sebaſtianum atque Emanuelem: Nanciano euocauit etiam P. Ioannem, P. Soërij Socium. res enim Nanchinenſis non facile ſine comite poterat promoueri. interim P. Soërius ſolus remanſit, dum nouus Amacao comes mitteretur.

Auxilium Præſidis.

P. Cataneus cũ Socijs Nanchini remanet

Eo tempore Pechinum nauigabat Eunuchus quidam, qui bombicinos paños ſex ferè nauigijs (quæ à celeritate, equi vocantur) deuehebat; ex ijs nauigijs vno vecti ſunt Noſtri, electis cameris duabus, quę Noſtros non incommodè caperent vna cum ſarcinis ſuis, & omni prope ſupellectile, ad nouam ſedem inſtruen-

Socij Pechinũ cum ſupellectile neceſſaria nauigant.

inſtruendam: quin etiam ſacrum omnem apparatum, & ſacelli ornatum deferebant. Hæc nauigia ab Admonitore Regio, qui diploma dederat, mittebantur. Eunucho igitur ille ipſe Socios commendauit, & Pechini iuſſit eidem, vt Eunuchis maioribus commendaret: recepit ille ſe facturum, & plus etiam fecit quàm promiſerat. toto quippe itinere Noſtros humaniſſime habuit, nec adduci vnquā potuit, vt naulum reciperet, & gratis in admonitoris Regij gratiam noſtros deuexit, ſed non tamen ſine fructu: interceſſore quippe P. Matthæo, Sciocelìn humanitatis præmium ei conceſſit quiddam, quod pluris erat, & ſtudiose ambierat. Hos omnes Regij admonitoris fauores Noſtri munuſculis ipſi gratiſſimis cōpenſarunt: ſed nihil æquè æſtimauit, vt triangulare vitrum, quod apud eum noſtri depoſuerant. in eo enim ſe pretioſiſſimam gemmam habere arbitratus eſt. ipſe quoque abeuntibus Noſtris non ſpernenda munera remiſit: ſed ſupra omnes ſe Paulus & Martinus Neophyti alijq; nuper additi extulerunt.

Soluerunt Noſtri Nanchino anno ſæculari ſexcenteſimo, decimo quinto Kalendas Iunias, & hac quidem nauigatione liberrime ſe geſſerunt, & varios vbiq; Magiſtratus viſitarunt, qui viſitationis officium admiſerunt. Id Eunucho fiebat adnitente, qui obuios quosque amicos ſuos ad viſendos noſtros & munerum nouitatem alliciebat; nec nulli etiam ſeipſis excitati fama veniebant, imo ne celarunt quidem, quo maxime fine Regi munera & Pechini confidere cuperent. nam de fidei noſtræ capitibus, multa quotidie cum varijs philoſophabantur. Eunuchus etiam quotidie humanitate creſcebat, non Nanchinenſi ſolum beneficio obligatus, ſed præſenti quoque recreatus. Noſtrorum enim fauore cataractas in primis transmittebat, ad quas huiusmodi nauigijs longæ nectuntur moræ, ex multitudine nauigiorum impeditis. nam commeatum naues ac Magiſtratuum præire ſolent, quarum ſæpè tanta eſt

Socij Nanchino ſoluunt anno ſæculari.

multitudo, vt quatriduum & ſæpè amplius tranſitus expectetur: id Eunuchus præeundi ius ſeipſo procurabat. nauigioru͂ enim nauarchos ad regia munera viſenda inuitatos rogabat etiam, vt eorum voluntate nauigium ſuum facilè transmitteret, quod illi in gratiam Noſtrorum facilè concedebant. Ea res Eunuchum ſemper hilarem intra vrbanitatis limites continebat.

In vrbe quadam Prouinciæ Sciantùm Prorex eſt, qui nauigijs omnibus præeſt, ſiue commeatum in Regiam ferant, ſiue aliud quidlibet: huic ſubſunt Magiſtratus quamplurimi, qui ex officio curant, ne vrbi Regiæ deſit cõmeatus. Eo tempore Prorex erat è Prouincia Sciansi, in idolorum ſectam & res futuræ vitæ ſatis propenſus: is de fidei noſtræ rebus iam è filio ſuo inaudierat, qui cum P. Matthæo Nanchini familiariter congreſſus fuerat, adnitente amico quodam ſuo, qui Liciù vocabatur, & tum forte ille ipſe Liciù in ea vrbe cum Prorege morabatur. Vrbi nomen eſt Zinìn. P. Matthæus igitur pro amicitia cum eo appuliſſet, miſit ad eum, qui ſignificaret, cupere ſe cum ipſo loqui, & de Pechinenſibus negotijs conferre. Vir enim prudens publice habebatur, & negotiorum aulicorum peritus. habitabat porro in ædibus Proregi Palatio contiguis, & Proregi erat ita familiaris, vt ad quotidianos cõgreſſus aperta in pariete porta communes ædes cum palatio ſuo Prorex fecerit. Is ergo audito Patris aduentu, extemplo Proregem admonuit, qui nuncio lætus geſtatoriam ſellam, & baiulos miſit, qui Patrem officioſe inuitatum in Palatium deportarent: nec P. Matthæus id renuit: quo cum perueniſſet, Proregem cum Liciù familiariſſimè inter ſe congredientes inuenit, à quibus exceptus eſt perhumanè, & auditus per otium: multa de Europa noſtra, de alterius vitæ rebus, quas audire cupierat commemorans: inde in nauigium redeunti dixit Prorex: Matthæe (eum Sinenſi pronomine honorifico

P. Matthæus cum Prorege in vrbe Sciantùm rem pertractat.

Proregis dictu͂

rifico Sithai compellans) ego etiam in Paradyſum ire cupio: innuens ſe non vniuerſam fælicitatẽ in honoribus ac opibus, ſed in æterna ſalute collocare, cuius cauſa intelligebat, hos ab eo labores omnes ſuſtineri. vix bene in nauim redierat, cum ecce tibi magnus in vrbe tumultus auditur (is erat è Satellitio Proregis, qui maxima pompa, longioris moræ impatiens, ad Noſtrorum nauigium veniebat) obſtupuit Eunuchus, nauigiorum Præfectus, & alij, quotquot in portu rem adeo nouam conſpiciebant. Nullũ omiſit Prorex vrbanitatis ritum, munus ipſe obtulit, & cæteros ritus obſeruauit: inde omnia vidit ipſe, & eius Aulici cum ingenti ſtupore, nec auelli à ſpectando poterat, ſed & eum ſubſecuti ſunt alij ex vrbe Primores. P. verò Matthæus die inſequenti ad eum ſolemnius inuiſendum redijt, munus Proregium Europæis reculis remuneratus eſt, quibus nouitas pretium auxit, vt non impares viderentur. Totum illum diem domi retentus eſt & familiari epulo cum filijs & amico Liciù exceptus, tanta beneuolẽtiæ ſignificatione, vt P. Matthæus ſibi non in extremo orbe apud Ethnicos, ſed in Europa inter familiares ordini noſtro addictiſſimos degere videretur: libellum, qui vt Regi offerretur iam Nanchini ſcriptus fuerat, videre voluit, & cum nonnulla diſplicuiſſent, ipſe accuratè alium concinnauit, & à domeſticis librarijs eleganter deſcribi curauit: addidit etiam litteras Pechinum plures, quæ plus aliquanto quam Nanchinenſes profuerunt.

Mira Ethnicorum humanitas erga P. Matthæum.

Proregis vxor in ſomnis per eos dies viderat Numen quoddam cum duobus è latere pueris, & Prorex viderat in nauigio noſtro Deiparam effigiem cum puellulo IESV, quem D. Præcurſor venerabatur: arbitrata eſt igitur eam rem ſuo ſomnio ſignificari, & à marito impetrauit, vti pictorem in nauim mitteret ad eam effigiem, quàm genuine poſſet efformandam: Sed quoniam in ea re Sinæ pictores ſunt admodum infelices,

Somnium vxoris Proregis.

veritus eſt P. Matthæus, ne ad deformandam veniſſet, & fortè habebant eiuſdem imaginis exemplar ab adoleſcente quodam domi noſtræ non infeliciter expreſſum: illud exemplar ad Proregem mittitur, à quo excipitur magnificè, & promiſſio additur, ſe cum vniuerſa familia Dei Matrem ac Filium veneraturum. Abeunti comitem addidit è ſibi ſubditis Magiſtratuum, qui Proregis nomine quibusdam in locis anguſtioribus, per Leucas complures Noſtrorum nauigium prę cęteris promoueret: quæ res iter Noſtrorum ſanè breuius effecit. E quidem cum redijt P. Matthæus, nauigium reperit procul à portu, quo ſe Eunucho iubente contulerat, poſtquam concurrentium multitudo, & prope tumultuantium inſolentia præ videndi cupiditate vltra tolerari non poſſe videretur. Optauerant & iam deſignauerant noſtri, hanc in ſe Proregis humanitatem primo quoq; tempore remunerari, vtrumq; in fidei noſtræ rebus inſtruere cupientes. nam per temporis anguſtias & nauigantis Eunuchi celeritatem, id impetrari nūc non potuerat; nam fere vterque intra triennium exceſſit è vita: Prorex quidem nondum abdicato Magiſtratu; Liciù vero Pechini ſeipſum adacto in fauces ferro iugulauit. nam cum in eum eiusque libros, Magiſtratus neſcio quis, peracrem Regi libellum obtuliſſet, reſcripſit Rex, vti compingeretur in vincula, & opera quotquot ſcripſerat cremarentur. Ille igitur aduerſariorum fabula factus, publice plecti refugit: aut quod profeſſus erat diſcipulis ſuis raro apud Sinēſes exemplo oſtendere voluit, ſe nullo mortis metu perturbari: atque ita aduerſarios ſuos de ignominioſa morte ſollicitos ea cura liberauit.

Effigies Deiparæ Virginis ad Proregem mittitur.

Liciù ſeipsū interimit.

Quæ Noſtris in Arce Thienſin contigerint.

Caput Vndecimum.

Ex ijs Eunuchis vnus, quos ad emungēda vectigalia potius, quam

quam exigenda, Rex miſerat. is Mathan vocabatur, & Linci- ni emporio celeberrimo habitabat, in eum populus & militaris ordo impetu facto, iniurias repetierat, incendio Palatij, & morte domeſticorum: nec ipſe meliorem fortunam ſortitus fuiſſet, ſi non in ementito habitu furentes fefelliſſet, & tamen nondum in eo plus poterat metus, quam cupiditas. nihilo enim mitior euaſiſſe ferebatur.

Eunuchus crudelis exactor vectigalium.

Cum igitur Eunuchus nauigiorum Pręfectus, eò appuliſſet, ad exactorem Mathan ſe contulit, armatis manibus non ferro ſed donis: iterum ac tertiò admiſſus non eſt, ex eo quod munera infra recipientis cupiditatem iudicaſſet. vrgebat deſignatum in Regiam perueniendi tempus, in quo ſi moram traheret fortunarum detrimentum, ac etiam vitæ periculum fortaſſis erat aditurus. ergo ſolita Eunuchorũ fide, amicitiam cum Noſtris initam nihil moratus, ſtatuit eos in exactoris vngues immittere, vt ſeipſum expediret, atque ita inſcijs Noſtris cum Eunuchis quibuſdam exactoris Curialibus rem confecit: ſignificauit ijs vno, è ſuis nauigijs, aduenas quoſdam vehi, qui qui precioſa rerum planè nouarum ad Regem munera deportabant: poſſe ſi voluerit Mathan Eunuchum ex hoc negotio ab Rege gratiam inire, & vt fidem faceret, nihil opinantibus noſtris, Eunuchis imagines & horarias machinas magna diſſimulatione monſtrauit. hic ad herum ſuum læti nuncij recurrerunt, & præter illa quæ viderant, alia etiam nihil dubium eſſe, quin ferrent pretioſiora: nihil neceſſe fuit incitatum cupiditate animum multis verbis inflammare. miſit igitur ſubito, qui renunciaret, velle ſe regia munera ſpectare.

Socij ab Eunucho Nauarcho produntur.

Senſit P. Matthæus imminere periculum. ergo ſubito confert ſe ad Cantonienſem quendam ſibi olim notum Sciauchini: & deinde amicitia renouata Nanchini: is in ea vrbe Magiſtratum gerebat, cuius erat in vicinas omnes vrbes poteſtas perampla. ab eo igitur conſilium & auxilium petit. Dudum

P. Matthæus periculum conatur auertere

ille P. Matthæum præſtolabatur, & iam dies non paucos in portu famulum habebat, qui eius aduentum renunciaret. ergo cum ad Palatij ianuam perueniſſet, eius famulus ad Herum excurrit, aſſerens eum, quem expectabat aduenam aduenisſe. induxit igitur illum in intimum Palatium velut hoſpitio excepturus: vbi vero audiuit Eunuchum Mathan, ſuis è negotijs ac muneribus immiſcere, indoluit multum, & ait; ne ſperes te ex eius manibus intactum euadere. nam hoc tempore Eunuchi regnant, & eos Rex prope ſolos in conſilium adhibet, nec maximi Magiſtratus eorum iniurijs reſiſtere valent, nedum aduena intentatam poterit iniuriam propulſare, auctor tamen fuit, vt libens Eunucho cuncta monſtraret, gratias ageret ex fauore; ſic enim minus malum fore ſperari poterat. procurare quippe ab eo ſe alicuius auxilio eripere, ſine fructu tentari poterat, ſed non ſine periculo perfici. & re vera conſilium fuit hominis amici & prudentis.

Nondum egreſſus erat Palatio, cum ad eum aduenit citato curſu ab Eunucho ipſo nuncius, ire ſe in nauigium Noſtrorum, vti quamprimum eo ſe referret: amicus ad hæc ita reſpondit: Hero, inquit, tuo renuncia, te P. Matthæum hîc reperiſſe, nec niſi eius iuſſu me illum dimiſſurum. qua in re voluit oſtendere, non omni illum auxilio deſtitutum, qui talium Magiſtratuum beneuolentia fulciretur. & ſane Diuinum fuit inuentum, intelligi ab Eunucho, P. Matthæum in huius eſſe tutela. nam ex omnibus vrbanis Magiſtratibus, hunc vnum verebatur, quod ſępè tranſeuntes è ſuis manibus rapuiſſet ea prudentia, vt integritatem redderet minus odioſam. vnde fiebat, vt in omnium eſſet ore illius integritas, cui vt gratam ſe præberet ciuitas, poſtea templũ erexit, in templo ſtatuam, & honorificam inſcriptionem appoſuit.

P. Matthæus in tutela eſſe Magiſtratus noſcitur.

Eunuchus iſte præter Palatia ac templa à ſe erecta, nauigium extruxerat maximum, in quo Regem ipſum nihil piguiſſet

Nauigium Eunuchi magnificum.

guiſſet nauigare, tot cellas, cameras, aulas, & alia commodiſſima extruxerat, Ex immortali ligno cælatæ erant varijs meandris feneſtræ, ac porticus, & ſuis locis omnia ſplendenti ſandaraca illita, vel auro ſplendebant. eo nauigio vehi per hoc flumen ſolebat, & in eodem ad nauigium noſtrum aduectus eſt. hîc ei P. Matthæus occurrit, & ab eo exceptus eſt inſigni vrbanitate ac beneuolentia: primum multis verbis ſe obtulit, vti ſuo fauore ad Regem munera penetrarent: deinde vt commodius omnia ſpectaret, ſingulatim omnia in nauigium ſuum deferri iuſſit, omnia illi mirum in modum arriſerunt, aſſerenti, Rege dignum & Sinenſi Rege munus eſſe, imagines venerabundus ſalutauit, & in genua prouolutus, ibique promiſit Virgini, ſe illi in Regio Palatio locum inuenturum, & Patribus ſe libellum quamprimum Pechinum miſſurum. Nimis multum ſpondebat, vt ex animo loqui videri poſſet, ijs maxime, qui Eunuchos nouerant, & hunc præ cæteris, teſte fama, impudentem. Reſpondit P. Matthæus ingentes agere ſe gratias, pro fauore delato, ſed eius labori parcere, maximè quod Pechini multi & grauiſſimi Magiſtratus, eam rem perficiendam ſuſceperant. verùm ille ſubriſit, iactans è Magiſtratibus eſſe neminem, qui æquè gratia valeret apud Regem. libelli inquit, mei à Rege die inſequenti, quo traditi ſunt, reſcribuntur, cæteris Rex aut nihil, aut tardè reſpondet. hîc iteratis gratijs promiſit P. Matthæus, eius nomine, cuius imaginem fuerat veneratus, fortunæ melioris fauores, ſi hoc ſuum negotium promoueret. His ita confectis dimiſſus eſt Eunuchus Sociorum nauarchus, & ita dimiſſus, vt nullo pretio perſoluto facile patuerit eum proditionis præmium, imunitatem accepiſſe. Poſt menſem Eunuchus Mathàn in arcem Thienſìn nauigaturus erat, vt inde ſex menſium vectigal Regi tranſmitteret. ergo quoniam volebat eo ſecum noſtros abducere, ſarcinas omnes in prægrande nauigium è ſuis transferri imperauit. in

Munera petũtur ab Eunucho ad Regem deferenda.

P. Matthęus recuſat munera committi Eunucho.

Eunuchus Mathan munera Sociorum in ſuum nauigium petit tranſferri.

quo

Puer Sinenſi pretio emptus Socijs donat°.

quo Noſtri præſtolari iubebantur, dum menſis laberetur. Eunuchus qui Patres aduexerat lætus diſceſſit, & Noſtris pro munere puerum dedit, quem Nanchini pretio comparat, eum ideo ſe dare aiebat, quod politiſſimè loqueretur, & P. Didaco Nanchinenſis linguæ puritatem poterat inſtillare.

Volebat Eunuchus Mathan regia munera in palatium ſuum deferre: ſed hîc noſtri modeſte reſtiterunt, aſſerentes horarias illas machinas facilè corrumpi, niſi quis eas perpetuo concinnaret; ſacras vero imagines apud ſe retinere velle, vt eas venerarentur, & coram illis res ſuas cæli Domino cõmendarent. Eunuchus ad hæc nihil admodum inſtitit, ſed potius Noſtris munus eduliorum & commeatus ad iter transmiſit. Amicus quoque Magiſtratus ille, ſæpè ad noſtros in nauigium veniebat, & amicos ſuos euntes ac redeuntes ſecum adducebat; qua re & alijs, quaſi in omni ſermone commemorabat, de maximorum Magiſtratuum in Noſtros fauore, frænum ſane iniecit Eunuchi cupiditati, ne dicam, crudelitati, ab eo enim timeri poterat, vt noſtri vitam ſimul cum ſarcinis amitterent. Ad Noſtros igitur cohoneſtandos potius adiecit animũ. nam die quadam P. Matthæum in ſuum palatium, intra vrbem ad ſuum conuiuium euocauit. aderant Eunuchi plures è maximis. & ſane ſi ſplendorem ſpectes, dignus fuit quolibet vbiq; magnate, inter epulandum exhibitæ comędiæ, inducti funambuli, præſultores, geſticulatores, & huiusmodi farinæ fæx, qua ipſe domum oppleuerat, & eos ad alacritatem procurandam alebat, ac ducebat denique in bonis dies ſuos, nihil attentus, quid in puncto futurum. & quidem huius generis ludos, nec in Europa, nec in India, vbi ſane ſunt admirabiles, quicquam ſimile videre ſe meminerat. Ex ijs vnus tres cultros grandiores, duobus palmis longos, in aërem proijciebat, alterum poſt alterum, ac diutiſſimè illos capulo recipiebat nullo vſquam errore. alius in ſolo iacens, ſupra humeros pedes erexit, &

P. Matthæ° ab Eunucho Mathan inuitatur ad epulum & ſpectacula.

Mimi ac geſticulatores.

xit, & cum ijs vas prægrande fictile arripuit, & in aërem proiecit, & deinde hinc & hinc reuoluit, quod manibus ipſis facere perdifficile videbatur, idem cum tympano fecit ac menſa quatuor pedum alta & grandi, exhibita quoque eſt comædia nutibus ſolis laruatorum gigantum, ſplendidiſſimo habitu, nec ex ijs quiſquam loquebatur, ſed alius quidam è theatro ea omnia pronunciabat, quæ ab vnoquoque dici res poſtulabat. Verum nihil admirabilius fuerit puero, qui poſtquam politiſſimè ſaltaſſet, velut in terram lapſus, in ea poſuit manus, & inter eius pedes, exilijt alius è gypſo puellulus affabre concinnatus, qui manibus pro pedibus vtens, eosdem ſaltus, quos vnus fecerat, admirabili arte imitabatur, inde in terram quoque lapſus, ipſe cum viuo puero colluctari cæpit admirabili artificio, quo vtrumq; viuum iudicares.

Comædia ex ſolis nutibus.

Admirandum pueri ſaltantis ſpectaculum.

Cum iam diſcedendi tempus adueniſſet, Mathan Eunuchus libellum ſcripſit, & Patri legendum dedit. is erat in hanc fere ſententiam ſcriptus. Inter nauigia quæ Lincino tranſibant, vno vectum aduenam quendam, Matthæum Ricium nomine, quem addebant Maieſtati ſuæ munera quædam deferre, eum quod vir bonus videretur, iuuare voluiſſe, ac ne forte quippiam illi infortunij in tanta nauigiorum multitudine eueniret, nauigium illi vnum è ſuis dediſſe, & bene ſtipatum in arcem Thienſin amandaſſe, ibiq; reſponſum præſtolari, quod rogabat vti quamprimum mitteretur. hunc libellum Eunuchus ijsdem ritibus miſit, qui à Magiſtratibus mitti ſolet, de quibus libro primo ſcribitur. ergo cum hoc & alijs libellis famulum ſuum dimiſit, & ipſi ſimul cum eo Patres nauigabāt in arcem vſque Thienſium. cum Noſtris quatuor milites nauigabant, qui eos noctu denique obſeruarent. hoc ſolemne eſt, quoties libellus mittitur, ne, qui defert, fugere poſſit, aut cuius cauſa defertur, ſi milites additi non fuerint. Nuncius Regius in vinculis nauigat fide præſtita, ſe minimè fugiturum.

Eunuchus libellum P. Matthæo ad Regē ſcribit.

Non ita multo poſt in eam arcem Eunuchus aduenit. interim libelli reſponſum moram faciebat. volebat enim Rex id negotij rituum Tribunali de more demandare, ſed quia gratiam ab Rege nullã hac ratione Eunuchus iniuiſſet, eius intra palatium fautores adnitebantur, vti Eunucho ipſi ea res committeretur, quod tandem ita factum eſt.

Reſponſum regis magna cũ pompa legitur

Vbi ergo reſponſum aduenit, Arcis illius omnes Magiſtratus ab Eunucho ſunt euocati, & ij ad audiendum Regis reſponſum in Damaſcena veſte purpurea, cum reliquis dignitatum inſignibus adfuerunt: ille vero pro tribunali magna pompa Regis libellum ac reſponſum legi iuſſit, eo pręcipiebat Rex, vti ſecundo libello indicaret, quæ munera externus ille deferebat. primo enim libello ita ſe geſſerat, ac ſi ignoraſſet, ne ſine Regis auctoritate in Regia munera inquiſiſſe videretur. P. igitur Matthæum in tribunal, quo habitu rei ſolent, euocauit in Goſippina veſte, & populari pileo, qui rotundus eſt: tum ex more eum flexis genibus audire regia mandata imperauit, tum coram omnibus iuſſit, vti ſua manu ſcriberet, quæ ad Regem munera detuliſſet, quorum ipſe dominium accipiens, ea in ſuum palatium transportauit. vrgebat etiam vti aliud, ſi quid haberet adiungeret. ergo ad ſacras effigies, & machinas horarias, Trigona vitra, & breuiarium Romanum elegantiſſime compactum, addidit clauicordium, & orbis Theatrum Ortelij. Miſit ergò libellum alterum, ſed reſponſum non quale volebat accepit. tunc formidare cæpit, ne quid ſibi hac ratione mali creaſſet, ac pœnitere, quod huic ſe negotio intricaſſet. & quanquam initio P. Matthæus ad eum vel ibat, vel ab eo vocabatur, poſtea tamen eum à congreſſu ſuo excluſit. Appetente hyeme, ne concreto flumine arceretur, reditum parabat, ſed primum Noſtros omnes intra arcem in Idolorum Cænobium tranſtulit, & eo ſarcinas omnes, quæ ſuperfuerant deferri iubebat, excubias addidit militares nocturnas

nas ac diurnas, non intra domum ſolum, ſed etiam in ambitu. Hîc degebant Noſtri. cum ecce tibi ex improuiſo venit ipſe, magiſtratu maximo comitatus, è militari ſenatu, quem Pinpithau Sinæ vocant, qui cum P. Matthæus iam neceſſitudinem arcte contraxerat. Eunuchus vero ſecum fere bis centum totidem latrones adduxerat, & Patri vultu ad iram compoſito dixit: Pechino ad ſe ſcriptum, eum gemmas habere pretioſas complures, quas ne Regi daret, occultabat; Addidit etiam ſe monitum, quod domi Sociorum multitudinem abſconderet. Negauit omnia P. Matthæus, & eius ipſius oculos teſtes appellans. is vero ſarcinas omnes in atrium educi iubet, & quotquot aderant prodire, tum arcas & ſcrinia ſingula reſerans, omnia per otium luſtrabat, & eam iniuriam furore, & rerum perturbatione atrociorem faciebat, ita vt qui aderat Magiſtratus condolentiam ſignificaret. ad ſingula, quæ nondum viderat furens Eunuchus querebatur, hæc omnia ſibi ſubducta, quidquid placebat arripiebat, & in altera parte reſeruabat. ſed tandem vbi vidit nihil earum rerum reperiri, quas ipſe ſibi finxerat, ſupra furorem pudore accenſus, vnde mitigari debuerat, auxit iniuriam; ſed ex omnibus nulla re magis, quam Chriſti in Cruce pẽdentis effigie viſa excanduit: criminabatur id ſpectrum ad Regem carminibus tollendum, procul dubio conſtructum, cui enim videri poſſit, eam rem vſum aliquem habere alium, quam veneficiorum impoſturam? Interim P. Matthæus indignũ putabat homini furenti, hoc admirabile myſterium ingerere: nullo enim fructu id facturus apud eum, qui etiam clara innocentiæ teſtimonia criminabatur, ac longe minus incredibilia admiſiſſet: dixit tamen vrgenti, hanc eſſe effigiem hominis in lege noſtra ſanctiſſimi, qui hoc atrox mortis genus ad multorum ſalutẽ elegiſſet, in cuius beneficij memoriam, cum à nobis pingi & ſculpi ſolere. Pinpithau tamen dixit, neque id ſibi videri decens, hominis in hoc miſerabili

Eunuchus iniurioſè P. Matthæum tractat

Eunuchus ſarcinas Sociorũ perluſtrat.

Eunuchus effigiem Chriſti in Cruce pendentem criminabatur.

P. Matthæus tuetur honorẽ imaginis Chriſti.

ſtatu memoriam conſeruare. Eunuchus omnino nihil admittebat, ſed plectendos plane vociferabatur impoſtores. Vbi tamen alias huiusmodi depictas effigies inuenerunt, minus alieni eſſe cæperunt, vt crederēt id Religionis cauſa, non veneficij aſſeruari. luſtratis iam omnibus, vterq; conſedit: & vtrumque Socium etiam iuſſerunt aſſidere. Acceperat Eunuchus inter reliqua, thecas ſacrarum reliquiarum duas; alteram in crucis modum, alteram in libri figuram, vtramque ex ebano confectam: acceperat etiam argenteũ calicem, quo auguſtiſſimum ſacrificium noſtri peregerant, ac primum reuiſens ea, quæ ſepoſuerat, reſtituit. Eunuchus argenteorum nummorum ſacculum, quo ſacculo aurei fere ducenti ad itineris ſumptus aſſeruabantur, & id ea verborum ſignificatione fecit, ac ſi donaſſet. latronum hoc eſt beneficium, qui dare ſe putant, quæ non rapuerunt, & tamen Noſtri, quia nihil æque deſperauerunt, pro reſtitutis nummis gratiam reddiderunt. ſacrarum etiam reliquiarum thecas P. Matthæus, ſed fruſtra repetijt: in Calice vero multum inſtiterunt aſſerentes, in eo ſe cæli ac terræ Domino ſacrificium offerre; rem apud nos ita ſacram eſſe, vt ne tangi quidem ab ijs poſſit, qui non ad eam rem fuerint peculiari ritu conſecrati: quo audito ſacrilegus eum manibus contrectans, ait; quid ais; tangi non poſſe, cum me tangentem intuearis. apud impios enim eſt poſſe quod licere. Non tulit P. Matthæus impudentiam, ſed accenſo perſimilis, nummorum loculos accepit, & eos ad Eunuchi pedes abijciens, dixit: propè cum lacrymis; accipe ſodes æquale argenti pondus, aut quantum voles, & ſacrum mihi vas reſtitue. qua re commotus Pinpithau dixit, Hinc videas licet, eum non pretium, ſed ſacrum vas exigere, cum duplum offerat argenti pondus, ego illi reſtituendum arbitrarer. Ad hæc Eunuchus mollior factus, calicem loculosq; reſtituit. His ita confectis, ad priorum munerum ſeriem addidit, quæcunque ſepoſuerat, quæ non

Latronum beneficium.

P. Matthæus Calicem cum lachrymis repetit ab Eunucho.

non minus quadraginta titulis exſcripta ſunt. nam ſepoſuerat vndulatam veſtem, Goſippinum ex India pannũ, vaſa vitrea, ſcioterioos & arenarios horarum indices, & huiuſmodi nonnulla, ea omnia in ærarium arcis recludi iuſſit, pręter horariam machinam grandiorem, & Deiparæ effigiem, quam venerarentur. eam effigiem Noſtri in ara, in qua quotidie litabant, collocarunt. Deinde Lincinum reuerſus eſt Socijs in arce relictis, & cuſtodibus attributis, à quibus tamen quo vellent ire minime prohibebantur. Inuenta ſunt à Noſtris deinde nonnulla deeſſe. è loculis ſubduxerant paucos nummos furunculi, furum maximus Eunuchus etiam ſibi nonnulla ſelegerat, & amico Magiſtratui palam dederat, ſed tamen omnia illa fuerunt opinione ac metu pauciora.

Eunuchus Sociorum munera in ærarium arcis recludi iuſſit.

Hoc rerum euentu ſatis ancipiti Noſtri, non ſolum veriti ſunt, vt quod Pechini ſperabant, minimè impetrarent, ſed etiam valde metuerunt, ne quidquid hactenus perfectum fuerat vnius diei ruina laberetur. ergo humanis auxilijs deſtituti, Diuina inſpexerunt. ſacrificijs quotidianis, orationibus prope continuis, corporis afflictationibus nunquam intermiſſis, Diuinam clementiam implorabant, vt tot animorũ ſalutem, in hac vt videbatur expeditione ſita, minime negligeret. Iam annus ad exitum inclinabatur: nec vlla Pechino ſpes affulgebat. Scripſit igitur P. Matthæus litteras Lincinum binas: vnas ad Eunuchum, ad Pinpithau alteras. famulum domeſticum itinere terreſtri miſit, flumen enim coaluerat, qui reſponſum referret. ijs litteris ab vtroque petebatur: vti nouis libellis reſponſum regium educeretur, iam ſe multum temporis loci incommoditate & frigore fatigatos, reſponſum præſtolari. Hæc ad Eunuchum. ab amico vero ad hæc impetranda fauorem, vel ad noua tentanda, conſilium litteræ poſtulabant. famulus noſter Eunucho pro Tribunali ſedenti, litteras reddidit, ſed exceptus eſt iniurioſis ab eo verbis, etiam in Noſtros coniectis.

Socij ad diuinam opem cõfugiunt.

P. Matthæus ſcribit litteras ad Eunuchum & amicũ Pimpithau.

Nuncius ab Eunucho indignè mactatur.

ctis. impotentiſſime ergo abſque reſponſo pugnis & calcibus è tribunali extruditur. amicus vero noſter litteras pro Tribunali palam accipere ac remittere dubitauit, clam tamen in Palatium ſuum reuocato nuncio dixit: Res noſtrorum nullum poſſe peiorem ſtatum formidare. Eunuchus enim libellum in eos meditabatur, Socios delaturum, quod veneficijs Regi interitum fuiſſent machinati, eum tumores hos tota vrbe ſparſiſſe, multa in Socios ſæpè debacchãtem, dixerat etiam ſe omnes ad ſuos compedibus & catenis onuſtos remiſſurum. hæc ſeruo dixit, & ſcripſit etiam, vti ſe auctore de vita in tuto collocanda diſpicerent, fuga Cantonienſem Prouinciam repeterent, & Sarcinarum iacturam in lucro reputarent, quotquot haberent in Cruce affixi hominis effigies, in puluerem, & ſi fieri poſſet in nihilum redigerent, ſi hoc forte minus arrideret, libellum Regi per amicos Pechini Magiſtratus darent, & ab eo in Patriam redeundi facultatem poſtularent.

Conſiliũ Pimpithei.

Hoc reſponſo, præter opinionem atroci, intellexerunt Noſtri, ſe maius opinione diſcrimen incurriſſe, & è duobus amici conſilijs poſtremum eligentes, Sebaſtianum fratrem noſtrum Pechinum amandarunt, inſcijs cuſtodibus noſtris, qui non admodum ſeuerè munus ſuum exercebant. deferebat is litteras vel P. Matthæi, vel Nanchinenſium amicorum, & litteras donis armauerant, ſed omnia hæc humana præſidia fruſtra tentabantur. ſtatuerat enim Dominus rem tantam ſeipſo perficere. omnes igitur ab irritando Eunucho refugiebant, Noſtris auctores erant, ne libellum dare tentarent Regi, nihil eum eo tempore niſi Eunuchis auctoribus moderari; optimum factu putabant, ſi Eunuchum ipſum placare aggrederentur, etiam ipſarum quas iam ſpe deuorarat, ſarcinarum iactura. Pechinum detulerat frater noſter litteras, de rei totius euentu ad Socios, vt eas inde, nam ex arce non poterant, deſtinaret, quod fecit, & hac ratione vbique Noſtri re audita,

Humana præſidia fruſtra tẽtantur.

Diuinam

Diuinam opem acrius implorabant. Ex fratris Noſtri reditu, intellectum eſt à noſtris, nullam in humanis præſidijs, nullam in induſtria propria ſpem ſupereſſe. ergo nihil vltra tentare, certi vnam in Diuina ope fiduciam reponentes, cogitatum ſuum in Domino iactauerunt, & ad euentum omnem, mortem etiam ipſam in hac cauſa tolerandam, ſeſe accuratiſſimè, magnoq; gaudio compararunt.

Noſtri ex improuiſo Pechinum ab Rege cum ſuis donis euocantur.

CAPVT DVODECIMVM.

VIx noſtri auxilia humana damnarant, ac ſe totos Diuino patrocinio commendarant, cum ecce tibi Dominus, qui hoc vnum præſtolari videbatur, ex improuiſo ſubuenit, & tot ſeruorum ſuorum, qui vbique hanc expeditionem Deo commendabant, orationes exaudiuit, effecitq;, vt Rex plane ex inopinatò reſcriberet, vti Pechinũ ſtatim cum donis ſuis properarent, Magiſtratus illis è rituum tribunali ad ſecuritatem adderetur, & excuſſo ab eodem tribunali negotio, ſcripto libello Rex ex integro moneretur. Repentinũ illud poſt ſex menſes totos, nullo dato nouo libello reſcriptum, vnde prodierit, Noſtris nondum plane conſtitit, ſed credendum eſt Deum, qui Regum corda manu tenet, hanc ad animorum ſalutem ſuo nutu promouendam, per ſeipſum nouitatem procuraſſe. narratur enim, Regem die quadam ſe ſolo ſuperioris libelli recordatum, ſubito exclamaſſe, vbi eſt inquam, vbi eſt illa campana, quam ſeipſa pulſari fecerunt, & ab aduenis ad me allatam, neſcio quo libello ſignificatum. huic Eunuchus ille reſpondit, qui perpetuus eſt Regis comes, Si nondũ tuo reſcripto libellus Eunuchi Mathàn expeditus eſt, quî fieri poterit vt aduenæ abſque tua facultate in vrbem Regiam ingrediantur? quo dicto, Rex allatum libellum, vt ſupra ſubſcripſit.

Socij à Rege Pechinum euocantur.

id

id reſcriptum, citatis equis Lincinum Eunucho transmittitur, is tametſi inuitus extemplo in arcem miſit, qui noſtris Regia munera, quæ in ærario adſeruabantur, cum fide reſtitueret. & quoniam flumine concreto nauigari nondum poterat, iuſſi ſunt arcis Magiſtratus equos & baiulos publico ſumptu dare ad ſarcinas Pechinum vſque deportandas. lætiſſimis his nuncijs Noſtri poſt tot labores reſpirare cæperunt, & gratijs Deo actis, omnium immemores incōmodorum, quæ hic narrari non facilè omnia potuiſſent, nouis animis ſeſe ad iter accinxerunt, receptis igitur ſarcinis ſuis, è ſacris thecis ſacra fragmenta noctu ſubduxerunt, & in eorum locum è terra ſancta, lapillorum fragmentis vacuas cellulas oppleuerunt, ne qua fortaſſe facta mutatio conijci poſſet: & hæc aliquando ad Chriſtianorum manus reuerſa, fraudem parerent, inſcriptiones enim tolli non placuit, rei geſtæ ſeriem ſcripto in eaſdem Thecas recluſerunt.

Socij poſt ærumnas & labores reſpirant.

Socij recuperant ſuas Sarcinas.

Sed in hac rerum noſtrarum reſtitutione, omitti nō debet inſigne Diuinæ prouidentiæ argumentum. nam calumniam ab Eunucho in Noſtrorum extremam forte perniciem conflatam, Deus optimus maximus in vtilitatem conuertit. inter alia quæ ſecunda rerum noſtrarum luſtratione Eunuchus ſepoſuerat, Mathematici libri omnes numerabantur, quos vndique P. Matthæus corraſerat, vſui futuros, ſi forte Rex eum ad recudendos Sinenſium faſtorum errores adhiberet. Regni legibus antiquiſſimis, quarum tamen hodie vſus exoleuit, capitalis pœna proponitur ijs, qui præter Matthematicos Regios, huiuſmodi diſciplinas didicerint, aut docuerint. id ex eo factum eſt, quod arbitrentur eum, qui Siderum motus norit, facile poſſe proſperioris fortunæ coniunctione cognita, Regnum occupare. Hos igitur libros Eunuchus exactor inter munera regia noluit aſſeruari, ſed in arca ſeparata recluſit, cū hac inſcriptione: Hos libros Eunuchus Mathàn vectigalium

Mathematici libri P. Matthæi etiam recuperantur.

Regiorum

Regiorum exactor reperit inter ſarcinas aduenæ cuiusdam Matthæi Riccij nomine, & quoniam huiusmodi libri, regni legibus interdicuntur, hic eos aſſeruari curauit, donec Rex peculiari libello monitus ſtatuat, quid ijs fieri velit. ea de re nihil Noſtri reſcierant, ſed in ſarcinarum reſtitutione cum libri deeſſent, eos ab arcis magiſtratibus repetierunt, qui hac de re Eunuchi conſilium neſcientes, eos quoque reddi voluerunt: & miſſus eſt Deo ita volente Miniſter, qui quod legere neſciret, nihil admodũ de arcæ inſcriptione laborauit. Cum deinde Eunuchus ſexto de more menſe ad vectigalia transmittenda in arcem redijſſet, noſtros vna Pechinum dimiſit, arbitratus libros illos minime reſtitutos, ſed vbi poſt diſceſſum, libros illos minimè reperit, grauiter arcis Magiſtratus incuſauit, & commentus eos à Rege priuatim poſtulari, remiſit eum ipſum ſeruum, qui tradiderat, vt quam celerrimè noſtros aſſequeretur, librosq; repeteret, ſed is Eunuchi metu pœnas à ſe repetendas veritus, ex itinere aufugit, neque de noſtris aſſequendis laborauit. Eunuchus poſtea rebus in meliorem ſtatum reuocatis, male metuebat, ne ab ijs dato libello accuſaretur, quod ſi feciſſent Noſtri, & querelas de eo depoſuiſſent, facillimè futurum fuiſſet, vt Regis gratia excideret. itaq; in poſterum de libris mirum ſilentium, Noſtriq; eo metu liberati, etiam habuerunt, vnde Magiſtratibus harum rerum cupidis ſatisfacerent, & non pauca deinde Sinenſi ſermone donarent.

Arcis Magiſtratus in iter equos octo, & baiulos triginta aſſignarunt, quotidie quaqua tranſirent, equi & baiuli permutabantur, & Noſtri Magiſtratuum Palatijs excipiebantur, & ſplendide nullo ſumptu veſcebantur, quin potius maxima veneratione ab omnibus colebantur, quod eos hac ratione viderent ab Rege accerſitos: Pechinum igitur peruenerunt Sinenſi anno exeunte, Ianuarij quarto ac vigeſimo, anno poſt ſæcularem primo, quo die appulerunt in quodam Eunucho- *Socij Pechinũ perueniunt.*

rum palatio, ſub vrbem excepti ſunt, vbi ſua munera concinnantes, & omnium ſeriem texentes, ea in diem inſequentem præpararunt, quo die magno apparatu ac tumultu, per vrbem omnia in Palatium inferuntur, vna cnm reliquis, quæ Mathàn Eunuchus transmiſerat. Vbi Rex imagines conſpexit, obſtupefactus, exclamauit; Deus viuus eſt iſte: ac tametſi modus eſt loquendi apud Sinas vſitatus, verum tamē neſcius profitebatur, & id nomen in hanc vſque diem, ijs imaginibus adnexum perſeuerat. Noſtros vero appellant, qui Regi Deum viuum obtulerunt. verum Rex à ſtupore etiam in pauorem tranſijt. miſit enim earum conſpectum non ferens, effigiem Deiparæ ad Parentem ſuam, quæ Dijs mortuis nimis affecta, ipſa quoque Deum viuum ſuſtinere non valuit. ea enim viuacitate territa, iuſſit eas in theſauro ſuo hactenus aſſeruari, & nonnulli etiam Eunuchorum fauore, Magiſtratus ad eas ſpectandas admittuntur: retulerunt Patribus Eunuchi, Regem ipſum imagines ſingulas veneratum, thus etiam & alios odores incendiſſe. reddat illi Deus pro honore gratiam, ſuæ tandem aliquando fidei luce perfuſo. Minimam Chriſti Seruatoris imaginem, opus plane rarum, à Præpoſito Generali transmiſſam, ipſe ſibi reſeruauit, & in aula ſua primaria collocauit. Hæc ab Eunuchis accepimus, nec fidem exigimus aliam, niſi quam Euuuchis dare cuilibet placuerit. Cum ad ſpectandam horariam machinam grandiorē Rex perueniſſet, quod nondum eſſet concinnata, horas nec pulſabat, nec indicabat, ergo iuſſit, vt quam citiſſimè Patres noſtros euocarent, quod citatis equis factum eſt, & Noſtri quoque perpetuo equorum curſu eò contenderunt: quatuor murorum ambitu Palatium cingitur vniuerſum: in priores duos diurnis horis liber cuique patet ingreſſus, ſoli excluduntur idolorum ſacrificuli, qui Cæſariem radunt, & mulieres omnes: in reliquos duos intimos præter Palatinos Eunuchos, ingreditur nemo, & nocturnis quidem

Munera Patrū à Rege viſuntur.

Rex aſpectu ſacrarum imaginum in ſtuporem verſus.

Rex veneratur imagines.

Patres ad Regem vocantur.

quidem horis ſoli Eunuchi & milites recluduntur. Noſtri in ſecundum ambitum, nec vlterius penetrarunt. ibi in atrio quodam à conferta multitudine, quæ ad ſpectaculum concurrerat horaria machina ſpectabatur, eò Rex Eunuchum è maximis, qui perpetuò Regi aſſiſtunt, & magnam prudentiæ opinionem habet, miſſus eſt ad noſtros excipiendos: is Licìn vocabatur, qui benigniſſimè Noſtros & humaniſſimè Regis nomine excepit. is è Socijs quæſijt, quo fine hæc Regi munera detuliſſent, à quibus ita reſponſum eſt: eſſe ſe aduenas è magno Occidente (ſic enim Europam noſtram Sinæ vocant) viros Religioſos cæli ac terræ moderatoris veneratores, qui nihil è terrenis rebus vellent, nullum munus, nullam compenſationem peterė nec ſperare: quam rem admiratus Eunuchus, excepit perlubenter: ad horarias vero machinas quod attinet, inuentum eſſe magnorum artificum, ad horas ſiue nocturnas ſiue diurnas nullo cuiusquam labore cognoſcendum; eas enim ſeipſis æra campana numerabant, & indice quoque omnia horarum ſpatia demonſtrari: verum opus eſſe vnum aliquem deſignare, qui machinam moderaretur, quæ res ita facilis erat, vt biduo aut ſummum triduo doceri poſſe ſperarēt. Hæc Eunuchus ipſe ad Regem mox detulit, qui extemplo deſignauit Eunuchos quatuor è Palatino Mathematicorum Collegio (nam intra ipſum palatium Eunuchorum Ordines, vt foris Magiſtratuum, numero tamē minore diuiſi dicuntur) quibus etiam iniunxit, vti intra triduum in aulam ad ſe inſtrumenta deferrent, & eorum ex officio curam gererent. hinc factum eſt, vt Noſtri toto illo triduo intra Mathematicorum ſtationem recepti, diu noctuq; hebetiores Eunuchos edocerent: ab ijs habiti ſunt Noſtri honorificè & ſplendidè, & in ſumptus omnia liberaliſſimè ſuppeditabant, Eunuchi Mathàn exactoris protectores: ideo forte ne quid ab ijs profectum in exactorem querelarum ad Regem perueniret.

Socij in Palatio Regis nomine excipiuntur ab vno ex Eunuchis.

Eunuchi Regis nomine docentur a Patre Matthæo moderari horologium.

nam cõſtanti rumore credebatur, Noſtros violentis ab eo largitionibus fuiſſe vexatos, quod tamen reuera falſum erat, atque ita miſero exactori nihil artes ſuæ valuerunt, ſed potius ingens argenti pondus expendit, vt huius negotij vanum rumorem ſuffocaret. quatuor horariarum machinarum præfecti continuo exercitio, quantum ſatis erat, didicerunt, & ne quid accideret, omnia in commentariolos retulerunt. nam in aliquo coram Rege hallucinari, nihil erat minus, quam ſe in præſens vitæ diſcrimen conijcere. aiunt enim Regem in Eunuchos ita ſæuire, vt ſæpe leuibus ex cauſis eius iuſſu ſpiritum inter verbera expirent. Itaque primum omnium Sinicis litteris omnia rotarum, clauorum, ferramentorum nomina exegerunt, quæ omnia Sinicè P. Matthæus nouauit, nam ſicubi res deſunt, verba quoque deeſſe conſueuerunt.

Regis Seueritas in Eunuchos.

His tribus ac permultis deinde diebus, varios Eunuchos Rex ad Noſtros mittebat, qui de Europa noſtra varia, prout ipſi occurrebant, ſciſcitarentur; de moribus, de feracitate, de architectura, de veſtitu, de gemmis, de connubijs, ac funere, deque Regibus noſtris, & ipſis etiam Socijs multa querebantur, imo iam ad Regem ridicula etiam minutaq; referebantur, quę Eunuchi ex Noſtrorum contubernio notauerant, quoties biberent, quoties veſcerentur, quantum cibi abſumerent, & alia huiusmodi, quæ otioſo ab otioſis referebantur: impetrarunt etiam ab Eunuchis Noſtri, vt Rex intelligeret, Pechini ſe viuere ac mori cupere, nec aliud ab Rege quicquam expectare, quod opportuniſſimum fuit ad hanc rem ex animi ſententia conficiendam, eo maxime tempore, quo magiſtratus, vt mox dicetur, eos amandare ſtatuerant.

Socij Regis nomine de Europa interrogantur.

Nondum finitum erat triduum, cum Rex de horarijs machinis quærit, eas extemplo ad eum detulerunt, & ita placuerunt omnia, vt mox Eunuchis honorẽ ſtipendiumq; auxerit, quo vtroq; læti ad Noſtros redierunt, ideo maxime, quod ex

Eunuchi Sociorum nomine à Rege munerantur.

ijs

ijs duo in hanc vſque diem quotidie ad Regem ingrediuntur ad horariam minorem machinam temperandam, quam nullo vnquam tempore patitur à conſpectu ſuo remoueri, & in eo ſpectando audiendoq; inſignem præſefert voluptatē. hinc illi Eunuchi magni eſſe cæperunt, apud omnes quippe nationes à Palatinis Regi aſſiſtere magni fit, & ſtudioſè ambitur, quod apud Sinas etiam ſupra reliquas nationes optari ſolet. nam cæteri eos verentur, qui cum voluerint, poſſunt bene vel male; vno verbulo, amicis vel hoſtibus, prodeſſe vel nocere. Machina grandior in Palatio locum nullum reperit, in quo deſcendentia pondera, commodè rotas voluerent: hinc anno inſequenti illam ad operum publicorum Tribunal remiſit, ac turrim extrui iuſſit è ligno perelegantem, ad exemplar à noſtris delineatum, & quidem opus erat ſane Regium, nam materiam ſuperabat opus, varijs cælaturis, porticibus, ſandaraca oblitis, & auro ſanè affabrè, in quo Sinæ nihil cedunt Europæis, & in eam turrim nec non maximam, aureos trecentos ſupra mille, Tribunal illud expendit, quæ ſumma ex operum vilitate aliquanto maior eſt, quàm videatur Europæis: eam Turrim ligneam ſtatui iuſſit, extra ſecundum murum in horto quodam peramæno, vbi aliæ quoque res magni pretij viſuntur, & eo non infrequenter animi cauſa Rex ipſe ſe conferre narratur, eò etiam viri perſæpe graues penetrant, & magna ſua voluptate, hoc cum alijs rebus ſane viſendis, ſpectant Europæ monumentum.

Turris pro machina horaria ſumptuoſa extruitur.

His à Rege ſpectatis, tantam ex nouitate cæperat voluptatem, vt non munera ſolum, ſed ipſos quoq; præſentatores videre ſummopere cuperet: nec ſatiebatur ijs, quæ à narratoribus Eunuchis referebātur: verum ne cæptam annis iam pluribus conſuetudinem ſeſe ab omnium conſpectu, præter Eunuchos ac pellices ſubducendi, interrumperet, nec pluris aduenas, quam Magiſtratus ſuos facere videretur, cupiditatem

Regis cupiditas Patres videndi.

ineptæ ſolitudinis pertinacia refrenauit: miſit tamen ad eorum ſtationem, quos habebat pictores excellentiſſimos, intra Sinenſis tamen picturæ limites, & vtrumq; è noſtris integro ad ſe corpore depictum, quam maxime genuinè fieri poſſet, afferri iuſſit, & ſane id fecerunt non admodum infeliciter, eorumq; effigies extemplo ad Regem introductæ, quibus viſis dixit: hoei hoei plane iſti ſunt Saraceni. nam qui è Perſide in regnum adueniunt, de quibus infra pluribus, Noſtris tota oris compoſitione & barbæ denſitate ſunt Europæis ſimiliores plane, quam Sinis: verum qui aſtabat negauit Eunuchus eſſe Saracenos: ſuilla enim veſcuntur. tum Rex ſcire voluit, quibus Reges noſtri veſtibus vterentur, & num aliquem Regij palatij typum attuliſſent: prius verbis non facile poterat explicari, & ſuggeſſit, neſcio quis è domeſticis in ſanctiſſimi Iesv nominis effigie, quam angeli, homines, & infernis pœnis addicti venerantur, Regum ibi noſtrorum effigiem videri, nec Regum ſed Pontificis, Imperatoris, Ducum vultus veſteſque ſpectari, & ea res etiam anſam dabat Patrib⁹ explicandi, cuius hoc eſſet nomen, quod Chriſtiani Principes omnes ita venerarentur, eius nempe qui cælum, terram, Tartarum ipſum nutu moderatur, quod etiam ille ipſe venerari ne refugeret. Hæc breui expoſitione à P. Matthæo concinnata, ſimul cum imagine ad Regem delata ſunt: & quoniam non ſatis aſſecutus eſt imaginis exiguæ, ac ſubtilioris lineamenta, maximè ſuis vmbris, quas ignorant Sinæ, diſtincta, iuſſit, vti à Regijs pictoribus alia maior & additis coloribus pingeretur, quod factum eſt extemplo, & Noſtri fere triduum intra Palatium hac ex cauſa detenti, atque ita Regi demonſtrata ſunt & expoſita, quæ à Noſtris coram non poterant explicari. De Palatio quod quærebat etiam traditum. habebant enim Noſtri forte tunc Hiſpanici Palatij, cui à D. Laurentio excuriali nomen eſt, expreſſum elegantibus typis & tabulis pluribus exemplar: Verum

Effigies Patrũ depictæ ad Regem mittũtur.

Nomen Iesv explicatur.

Typus Palatij offertur Regi petenti.

rum reſcitum eſt à Noſtris deinde, Eunuchum quod explicare ſe poſſe diffideret, eas tabulas ſibi reſeruaſſe; ſolum obtulit aliam effigiem Palatij ædis D. Marco ſacræ, & totius illius areæ apud Venetos, vna cum Reipublicę illius inſignibus, & retulerunt Eunuchi Regem ſubriſiſſe, cum audijt, Europæos Principes in ſupremis contignationibus habitare, viſum eſt enim hoc illi deſcenſu aſcenſuq; perincommodum, nec ſine periculo, ita ſuum cuiq; pulchrum facit inolita conſuetudo.

His per aliquot dies ita confectis, Noſtri iuxta palatium in conductis ædibus habitabant, & aderant perpetui comites Eunuchi Mathàn familiares, maxime duo, qui eius omnia negotia procurabant, & Regis nomine libellos ſcribebant, Regis reſcriptum circa Noſtrorum negotium expetentes, verum paulo poſt ad noſtros venerunt Regis nomine Eunuchi quatuor, ex eorum numero, qui muſica inſtrumenta, quæ fidibus pulſantur, coram Rege perſonant. Hi ſunt Mathematicis longe ſuperiores. nam huius generis inſtrumenta pulſare, eſt apud Sinas in primis honorificum, quorum intra palatium Collegium eſt ſatis opulentum: hi Regis nomine petebant, vt clauicordium pulſare docerentur, quod Noſtri cum reliquis Regi obtulerant: ergo P. Didacus ad eos ibat quotidie, è diſcipulo tumultuario factus Magiſter. nam iubente P. Matthæo in eum finem à P. Cataneo bene perito didicit, quantum ſatis eſſet. nam in hac arte Sinæ nihil habent admodum abſolutum ſuis numeris: nec ſolum pulſare, ſed etiam diſcordium fidium concordiam didicerat temperare. & priusquam ad docendũ veniretur, ſolitis ritibus Noſtros licet renitentes, in Magiſtros elegerunt. obteſtati, vt in docendo cum diligentia patientiam adhiberent, neq; moleſte ferrent, ſi rem hactenus inauditam tardius arriperent, quos ritus Magiſtris exhibuerant, eoſdem ineptè ſane clauicordio præſtiterunt, vt eo ac ſi res viua eſſet propitio vterentur. Noſtri quotidie apud illos ſplẽdido epulo exci-

Muſici Reglj docentur à P. Cataneo Regis nomine.

excipiebantur, & ab Eunuchis in poſterum grauiſſimis viſitabantur. vnde paulatim vniuerſo Palatio noti eſſe cæperunt, quæ Eunuchorum familiaritas & beneuolentia in hanc vſque diem conſtantiſſime perſeuerat.

Socij conãtur ſe liberare ab Eunucho Mathàn vectigalium exactore.

Cupiebat P. Matthæus ex importunis Eunuchi Mathàn vnguibus iam diu ſeipſum expedire. nam deſignauerat homo cupidiſſimus, ſi fortaſſe Rex, ſe adnitente, ingentem aliquam ſummam noſtris in muneris remunerationem obtuliſſet, in partem per fas ac nefas venire, ac Noſtros in Auſtrales Regni Regiones remittere: quare Noſtrorum vota in vanum cadebant. ergo voluit ſummum rituum Præſidem, cui Rex id negotij poſtremo reſcripta commiſerat, viſitare, ſed id ab Eunuchis prope cuſtodibus impetrari non potuit: quin etiam à viſendis cæteris amicis prohibebant, & è domeſticis ſuis habebant vnum perpetuo qui excubaret & comitaretur. Verum artificio fefellit cuſtodem: miſit enim in poſterũ P. Didacum in Palatium, ad edocendos clauicordijs diſcipulos, addiditq; illi comitem è fratribus noſtris vnum, ipſe P. Matthæus domi remanebat, donec cum P. Didaco Eunuchorum famulus diſceſſiſſet, in cuius abſentia, prout inter eos conuenerat, amicos viſitabat; litteras Nanchino allatas tradebat; & nouas amicitias procurabat: quæ res oportuniſſimè cecidit ad remedium infortunij, in quod Noſtri paulo poſt inciderunt. ex omnibus nemo ita iuuit vt Magiſtratus è ſummo Tribunali grauiſſimus,

Socij iuuantur à ſummo Tribunali Magiſtratu.

is quod ſumma integritate vrbem non maximam gubernaſſet, ſaltu, non gradibus, in hunc prope apicem dignitatis euaſit, & quidem nihil honoribus immutati mores, priſtinam integritatem reſeruabat: & quoniam eius dignitas in Magiſtratibus, vel reijciendis, vel eligendis verſabatur, omnibus erat ex metu venerationi. Non ſatis conſtat, quo auctore reſcierit ille P. Matthæum adueniſſe, reſcijt tamen, & prior ad eum viſitandũ vrbaniſſimè acceſſit, ſatis admiratus eſt P. Matthæus

hanc

hanc viri tanti humanitatem, ergo ſub diſceſſum ex eo quærit, qua ex cauſa prior ad eum viſendum, qui ignotus erat, veniſſet. Reſpondit ille, ex eo, quod certis auctoribus audieram, eſſe te virum eximium, à quo vera quædam bene viuendi inſtitutio propagatur. repenſa vrbanitate, creuit & mutuo deinde congreſſu magis magisq; confirmata eſt amicitia. idem cum alijs fecit. & eſt res notatu digniſſima, quod ex ijs ad quos Nanchino litteras attulerat, repertus eſt plane nemo, qui vel tantillum fauerit, ac plerisque etiam eum in congreſſum minime admiſerunt, veriti, ne quod ex aduenarum commercio ſibi malum parerent. voluit hîc Deus Opt: Max: Socios docere, quàm fragiles ſint hominum induſtriæ. nam ſi in Exactorem Eunuchum minimè incidiſſent, ſi ab eo libellus Regi datus non fuiſſet, non ſolum vero ſimile, ſed certum eſt, ab alio nullo Regi libellum offerendum, ne cum aduenis commercij ſuſpicionem ingereret: quod ſi eueniſſet, plane Noſtris, vt prius, erat re infecta redeundum. Hæc cum Noſtri rei euentu didiciſſent; gratijs actis, vt par erat, didicerunt, etiam è diuina manu pendere.

Clauicordij pulſatores Eunuchi, vnica cantilena contenti erant, & ex ijs duo iam iuniores, quod erat ſatis, didicerant, ſed alij alios præſtolabantur, vnde plus impenſum temporis, & ſupra menſem ea res prorogabatur, inſtiterunt admodum, vt in Sinenſem ſermonem eas cantilenas verterent, quæ clauicordio pulſabantur. hac igitur occaſione P. Matthæus octo ſcriptiones edidit, de materijs Ethicis, ad virtutem & bonos mores inuitantibus, eas aptis ſententijs è noſtris auctoribus illuſtrauit, & clauicordij cantilenas appellauit. ita deinde placuerunt, vt à plurimis litteratis expeterentur, & exſciberentur magna ſententiarum approbatione. Vt autem omnibus fieret ſatis, (aſſerebant enim Regem hac occaſione moneri, vt Regnum ſuum è virtutis prǽſcripto moderaretur) Europæo

P. Matthæus ſententijs cantilenas illuſtrat.

& Sinenſi charactere hoc opuſculum Carminum deſcriptum, vna cum alijs rebus typis mandarunt.

Noſtri à rituum Magiſtratibus comprehenſi, in Arcem Legatorum retruſi ſunt.

Capvt Decimvm tertivm.

Officium Magiſtratus rituũ Tribunalis.

Inter plurimos, Tribunalis rituum, Collegas, in diuerſa munera diſtributos, vnus eſt Magiſtratus, qui Legatis ab externis Regnis aduenientibus præeſt; ſiue ille obſequiũ clientelare, ſiue tributum, ſiue quidlibet aliud muneris afferant: præeſt idem palatijs, aut potius caſtellis duobus, quibus aduenæ, ex quo Regiam ingreſſi ſunt, excipiuntur. Magiſtratus hic, habet quoque plurimos Collegas, quorũ Præſes eo tempore è Fuchiana prouincia oriundus erat. Is vbi reſciſſet, noſtros ab Eunucho Mathàn introductos, ſua Regi munera obtuliſſe, nec quicquam ad Tribunal ſuum de more retuliſſe, tulit id pergrauatè, & furorẽ quem in Eunuchum exercere non poterat, in noſtros, tametſi innocentes, retorſit. Ergo quatuor Satellitum Præfectis iubet, vti iam diligentiſſimè conquiſitos in tribunal ſuum adducant, ac tametſi non neſciebat munera iam ad Regem penetraſſe, edicto tamen ſuo, quo Noſtros comprehendi imperarat, fingebat ea ſe omnia ignorare, quaſi vero poſt datum libellum, ſeſe Noſtri fuga ſubduxiſſent, id faciebat, vt atrocior Noſtrorum culpa videretur. Noſtri interim nihil opinantes, reſcriptum Regium ſuſpenſi præſtolabantur, quod ſperabãt fore, poſtquam fidicines Regios, quod ſatis erat docuiſſent; cum ecce tibi die quadam, decem & plures in domum lictores irrumpunt, iubentes, vti quamprimum ad Præfecti ſui domum properarent, habere eum, quæ cum ijs agat: arbitrati ſunt initio Noſtri, commentum eſſe aliquod nebulonum, qui ab externis quippiã emungere

Socij iubẽtur comprehendi.

Lictores in domum irrumpant Sociorũ.

gere ſperarent, vnde tergiuerſabantur: verum illi extemplo funes in fratrum Noſtrorum collum iniecerunt, vnde intellectum eſt à noſtris, id reuera publicum eſſe mandatum, atq; ita ſatellitij Præfectum conuenerunt. Is mandata Legatorum Magiſtratus expoſuit. neque Noſtri repugnarunt. nam datis iam ſuis muneribus, Magiſtratuum opera ſperabant, ſe poſſe Eunuchorum importunitatem excutere. ergo Præfectus in craſtinum eos proprijs in ædibus comprehendit, clauibus fores exterius occludens, adhibitisq; contra fugam excubijs. reſcijt hoc Eunuchi Mathàn procurator, & extemplo aduolans ſeras effregit, & minis excubias in fugam coniecit, hoc maxime commento, quod vim illatam aduenis, multaq; furto ſublata criminaretur, inde in tutiorem locum Noſtros deducere, & legatorum Præſidem negligere volebat. Verum Pater Matthæus repugnauit, tametſi diceret Eunuchus, eos auctoritate Regia detineri, & in Palatium quotidie euocari aſſerebat, effecit igitur, vti vterq; in Præſidis tribunal, die inſequenti pergerent. Ingreſſus eſt igitur Eunuchus Tribunal prior, & Regis nomine monuit, vti ne hoc negotium attingerent, quod Eunucho Mathàn erat commendatum, minatus eſt etiam, dato ſe libello delaturum Satellites, eorumq; Præfectum, quod aduenis multa per vim rapuiſſent. Ad hæc Præſes audita Collegarum ſententia, reſpondit: ſe noſtros, vt vt eſſet, minimè dimiſſurum, ſed ſecundum leges in aduenarum arcem eos omnino eſſe recludendos: & cum nihil proficeret Eunuchus, abijt, & Noſtros in Magiſtratuum manibus dimiſit. Hi pro tribunali ſedentes, coram omnibus, qui aderant plurimi, etiam quorundam Regnorum aduenæ, iuſſerũt Noſtros in examen prodire. Inſtituit Pręſes vnius horæ non breuius examen, & Noſtri genibus flexis reſpondebant. Examinis ſcopus eo tendebat, vt de P. Matthæo grauiter quereretur, quod contra leges, ſuo tribunali neglecto, Eunuchos ad Regi offerenda mu-

Socij coram Tribunali examinantur.

nera adhibuiſſet: Noſter iam egregie comparatus, ita reſpondit, vt ne ipſi quidem haberent, quod vlterius criminarentur: narrabat etiam vim ſibi ab Eunucho factam, quam quotidie, ne maximi quidem Magiſtratus, nedum aduenæ, poterant effugere: hactenus porro ſe in palatio Regio perpetuo ab ipſo Rege occupatum, noluiſſe tamen in hoc tribunal venire, ſed ab Eunuchis cuſtodibus prohibitum, nullatenus potuiſſe; Ad hæc hominem, qui multos iam annos varijs in Prouincijs intra Regnum, nullo prohibente vixiſſet, & alias etiã in Regiam aduenіſſet, non videri pro aduena, ſed indigena tractandum, ac ſe videri poſſe ab ijs legibus immunem.

P. Matthæus reſpondet.

His rationibus conuictus Præſes, molliorem ſe deinceps præbuit: iuſſit Noſtros bono animo eſſe, ac nihil vereri, ſeipſum Regio libello, breui reſponſurũ & Regiam voluntatem ſignificaturum: ſolum dixit, quod noſtros pupugit, nolle ſe, vti Pechini reſiderent, interim tamen ſe in aduenarum arcem conferrent, curaturum ſe, nihil vt illis ibi deeſſet. Palatium hoc vtrumque vaſtum, muris cingitur, & portis multis occluditur, nec niſi peculiari fauore, Sinis ingreſſus permittitur, aduenis vero egredi, nonniſi negotijs confectis, cum ad ſuos remittuntur, licet: niſi forte cum in præſidis ſui Tribunal, aut in Regium palatium euocantur. cellulæ ſunt in eo palatio multæ. nam ſæpè contingit, è vicinis regnis Sinarum Regi vectigalibus, aduenas ſupra mille numerari, ſed has cellas verius dicas ouium caulas, quam humanis vſibus coaptatas. porta, ſedes, ſcamna, lectus, ſupellex denique nulla eſt. Hinc oritur, quod reliqui populi, præter Sinas, Oriente toto in ipſo ſolo ſedent, veſcuntur, pernoctant, & non legatorum apparatu, ſed lucri ſpe huc trahuntur, vt muneribus ſuis, Regiam remunerationem, quæ pro tanti Principis dignitate, longe ſuperior eſſe conſueuit, eliciant: tum hac ſumma Sinicas merces coëmunt, & in patriam redeuntes, magna lucra reportãt, ideo

Præſes mitior factus ex reſpõſo P. Matthæi.

Palatij aduenarum deſcriptio

ideo quod ex quo in Sinarum Regnum pedem inferunt,ſumptus omnes ex ærario publico, in eorum vſus depromantur. & nihil aliud in his legationibus, aut potius negotiationibus, Sinæ ſpectare videntur, quàm vt vicinas nationes, in officio contineant, atque ita nihil admodum curant, quid muneris Regi ferant. nam viderunt Noſtri inter Regia munera enſem dari, aut potius ferri fragmentum, in incude malè cuſum, cui etiam ligneum capulum in ipſo caſtello, ſecuri concinnarant, & huius generis erant malè materiati thoraces, è filis ſtuppeis inter ſe colligati,equi etiam qui cum Pechini aduenirent, macie interibant; & cum ſimiles nugas hi barbari ferant, ſumptus tamen in tanto itinere faciunt im̃odicos. nam Regius ſplendor magis, quam Legatorum obſcuritas attenditur.

In id Palatium Noſtri à Magiſtratibus commendati, lautius omninò cæteris habiti ſunt: nam in eam Palatij ſtationem abducti ſunt, qua Sinæ Magiſtratus, cum eò veniunt, excipi ſolent. in ea lecticæ, culcitræ,& ſtragula veſtis è ſericis vtrumque pannis, ſedes & reliqua ſupellex in hunc modum. famuli quoque ſemper Noſtros præ cæteris venerabantur, iſque fauor quotidianis creuit incrementis. Vbi auditum eſt, Noſtros in eam arcem dimiſſos, amici Magiſtratus atque Primores, impetrata facultate, ſubinde noſtros viſebant: ipſe quoq; Præſes, vbi Noſtros noſſe, amicis narratoribus cæpit, præ cæteris eos aduenis ita coluit, vt reliqui obſtupeſcerent. ipſi enim Præſidem non niſi flexis genibus alloquebantur. Noſtri etiam in cõſeſſum & conuictum admittebantur. cupijt etiam vti Mathematicas ſibi machinas ſtruerent, qua re eum ad nouos fauores obligarunt, in eo loco Noſtri ſacellulum concinnarant, & quotidianis ſacrificijs, ſua Domino negotia commendabant.

Socij in cuſtodia aduenarũ lautius cæteris habiti.

Interim dum Noſtri huius Palatij finibus continentur, ab occaſu venêre Saraceni quidam, quibus Europa, India, Perſia,

Saraceni cum muneri b' adueniunt.

Mogores, Armuſia, imo etiam Hiſpani ac Veneti ex nomine noti erant, hi ad Regem adferebant, marmoris pellucidi fragmenta, quæ ab Sinis ſupra quam dici poteſt, æſtimantur, ipſi Fuſcè vocāt, & inter Noſtros certatur hodieq; ſitne Iaſpis an Saphyrus, aut fortaſſe neutrum? Præterea adamantis fragmenta, & cæruleum colorem, afferebant etiam ex ipſis regni terminis Reubarbarum intra ipſos muros coëmptum, ideo quod Regijs ſumptibus ad id deferendum plauſtra præberentur, illud Pechini diſtrahebant obolis duobus libram pendentes, quales apud Italos baiocchi vocantur. Ab his quoque Saracenis iterum Noſtri confirmati ſunt, Sinenſe Regnum ab ijs Cataium appellari, & Regiam vrbem Cambalù, nec in vniuerſo terrarum orbe, quod quidem ipſi ſcirent, Cataium aliud reperiri. vnde primis litteris noſtros in India & Europa monuerunt, vti Geographicas tabulas emendandas curarent, quæ extra Boreales Sinarum muros Catai Regnū ſtatuebant; & ſi forte Marcus Paulus Venetus opponitur, quod in vrbe Cambalù innumeri pontes reperirentur, fortaſſe vrbs illa nūc contractior eſt, nec tamen ita paucos numerat, quin hodieq; decem millia poſſint recenſeri, è quibus nonnulli permagni & elegantes ſupra flumina; riuos, lacus, & lacunas, quæ ſuper ſtratis vicis occultantur. Omnibus his aduenis, commeatus è publico copioſè præbetur, isque ſplendidior eſſet, niſi miniſtri plurima furto interuerterēt. ſub diſceſſum varia illis conuiuia inſtruuntur, & ſemper aliquis è primoribus regni, ea cohoneſtat, pro Regnorum à quibus mittuntur dignitate. in his Legati ad latus aſſident ei, qui Regis nomine illos excipit, qui ritus apud Sinas inter obſequia clientelaria numeratur. His adduntur comædiæ, cantus, inſtrumenta muſica, & præter epulas carnes varij generis crudæ, quas legati ad ſuas cellulas remittunt, ſed eas arcis famuli, velut harpaſti, ludo rapiunt, vnde legati per eos dies ad res ſuas tuendas armati incedunt:

Reubarbarum Pechini diſtrahitur.

Sinenſe regnū Cataium appellari confirmatur.

Pechinū vrbs regia ſiue Cambalù.

Aduenæ & Legati quomodo tractentur in arce.

conui-

conuiuia hæc noſtris minimè exhibuerunt, ex eo quod huius tribunalis ordinem ſeruare neglexiſſent: verum amici nonnulli procurare cæperunt, vti quoque Noſtris inſtruerentur, & cum nihil admodum repugnarent. ſi P. Matthæus largitione conuiuiorum curatores delinire voluiſſet; verum reſpondit ſe largitionem non malè collocatam putare, vt ſimilibus conuiuijs abſtinerent.

Poſt quam in hanc arcem Noſtri iam triduo retruſi fuerant, in Regium Palatium euocati ſunt, vti Regio tribunali eoſdem ritus exhiberent, ac ſi Rex in eo conſideret. id fit in Atrio lato quidem, ſed haud paulo longiore, in quo ad triginta millia virorũ contineri poſſe videntur. & ſane ſplendidum eſt opus ac Regium: in eius extremo camera eſt altiſſima, ſub qua ianuis quinque prægrandibus, in ipſam Regum ſtationem penetratur: in ea Camera ſolium eſt Regium, vbi quotidie ferè ad audiendos ſubditos, & Regni negotia expedienda, excipiendas etiam legationes, vel magiſtratuum ob dignitates acceptas Regem venerantium ritus conſidebat. Verum ex quo Rex iſte ſolitarius ſe ab omnium conſpectu ſubduxit, ad eius thronum vacuum inanes ritus exhibentur. Et quoniam hoc regnum vaſtiſſimum eſt, nullo non die, multi aliqua ex cauſa Regi gratulabantur. In hoc Atrio ſuperbis vndique molibus cincto, ad portarum excubias, milites ad ter mille pernoctant, præter cæteros, qui foris in circuitu excubant, in ſpeculis iactu lapidis inter ſe diſtinctis: in ſingulis etiam portis ſinguli ſunt elephantes, ad quinque portarum cuſtodiam, qui ad hoc Regium tribunal euocantur, ad palatij portas ante lucem pręſtolantur, & mox vbi illuceſcit, elephantes ac milites emittuntur. admittuntur vero qui ad Regiam gratulationem adueniunt, ij in habitu peculiari rubei coloris, manu eburneam tabulam geſtantes, palmos duos longam, digitos quatuor latam, ad os tegendum prodeunt, & inde ſuos ritus regio throno ex-

Socij è cuſtodia Palatij ad Regium euocantur.

Regium palatium.

Ritus ad thronum Regis vacuum exhibentur.

Milites & Elephantes excubant.

no exhibent: hi ſunt inclinationes & ſolitæ genuflexiones, ſed ita per otium factæ, vt non exiguo ſpatio temporis perdurẽt, & ne quis error fortè irrepat, à rituum præfectis primum exercentur, qui noſtris deſignati ſunt Sinæ quidam Saraceni origine velut habiti pro noſtrorum ciuibus. Hi etiam Noſtros comitati ſunt, velut aſſeſſores, nec vnquã deſunt rituum obſeruatores, qui minutiorum etiam errorum pœnam exigunt. è rituum magiſtratibus, quotidie præeſt vnus aliquis, qui elata voce proclamat, quando flectendum, quando erigendum, quando cætera facienda. Eo ipſo die ſupremum Tribunalis totius Præſidem P. Matthæus viſitauit, ac libello ſuo monuit, eſſe ſe apud ſuos litteratum, & ideo litteratorum habitu aduenisse, vnde ipſe quoque Præſes & Collegæ eum, quo ritu litterati ſolent, exceperunt. promiſit etiam ſummus Præſes, ſe intra breue tempus Regi libellum de ſuis negotiis peramice miſſurum. In Palatium reuerſi, ad eius Præfectum deducti ſunt, ſuos illi quoque ritus exhibituri, quibus aſſurgens inclinatione profundiſſima reſpondit, adiunxitq; ſe hũc nemini ritum ex aduenis exhibere, tametſi legatus fuerit apud ſuos è regni primoribus, toto eo die varij ad Noſtros Notarij veniebant, alij alia interrogantes. quidã etiam quid aduentu ſuo ſpectaſſent, ſciſcitabantur ipſius Præſidis nomine. viſa eſt Noſtris hæc interrogatio, vt erat, iuridica. ergo ſtatuerunt clarè ac dilucidè quid ſpectarent, aperire. dixerunt igitur ac ſcripſerunt, veniſſe ſe miſſos à Superioribus ſuis, vti vnius Dei cæli terræq; moderatoris legem prædicarent; munera vero Regi detuliſſe, obſeruantiam, quam illi tot annis huius Regni habitatores debent, proteſtaturi; nihil porro ſe quicquam ſpectare aut ſperare, nec publicum munus, nec munerum compenſationem, vnum dumtaxat ſe cupere, vti Pechini vel alibi pro Regis arbitratu, quod iam tot annis fecerant, liceret commorari. Hoc accepto reſponſo, Præfectus doctrinam ſibi quam prædi-

Rituum obſeruatores.

Socij cauſas ſui aduentus aperiunt.

prædicarent, oſtendi petijt. ad eum igitur miſerunt Eccleſiaſticarum precum breuiarium perelegans, & quidquid de fidei noſtræ rebus hactenus editum Sinice loquebatur, ea omnia præter volumen noſtrum, ſibi retinuit.

His ita confectis, ab eo libellus Regi datus eſt de rebus noſtris, & quoniam iam intellexerat, Noſtros Magiſtratuum beneuolentia niti, & Sinica negotia loogo vſu penetrare, grauiter inhibuit, propoſitis etiam minis, ne quis Notariorum, libelli exemplar noſtris daret, & tamen noſtri omnia illius capita reſciuerunt. primum querebatur acriter de Eunucho Mathàn, quod contra leges externorum negotia, rituum tribunali peculiaria tractaſſet, hinc de noſtris etiam, quod Eunuchorum opera contra easdem leges Regi munera detuliſſent. oportebat enim aduenas non ſine Proregis illius Prouinciæ, qua patet ingreſſus, diplomate in Regiam penetrare: videri tamen ſibi aduenis rerum Sinenſium imperitis condonandũ, ac munus etiam compenſandum. P. Matthæo permittendum iudicabat, honoris cauſa Magiſtratuum inſignia, addendos etiam vtrique Socio pannos bombicinos neſcio quot, & ſupra hæc omnia munus vniuerſum Regiè perſoluendum; deinde in Cantonienſem Prouinciam remiſſi, magiſtratibus tradendi videbantur, vt ibi ſedem figerent, aut ad ſuos renauigarent. Ita Palatij Præfectus Noſtrorum impenſis in Eunuchum Mathàn Magiſtratibus odioſiſſimum, accuſationem dicebatur adornaſſe.

Libellus Regi offertur de rebus Sociorum.

Libelli oblati ſententia.

Ex Eunuchis reſcitum eſt, Regem indigniſſimè tuliſſe, cum audijt Noſtros à rituum tribunali comprehenſos, ac dixiſſe: quorſum hos homines oportuit comprehendi, an fortaſſis latrones habentur? Verum ſine videamus, quid ijs facturus ſit aduenarum Præfectus: atque ita libellũ hunc vbi redditus eſt, ſepoſuit, quod idem eſt ac ſi reſcriptum negaret, & tamen in re ſimili ſolemne eſt Regi extemplo reſcribere, & omnia

Regis fauor erga Socios.

nia Præfecto committere, vti faciat prout ex legibus & antiquo ritu faciendum iudicarit. Credi vix poteſt, quantum ea res pupugerit huius Tribunalis Magiſtratus: &, quod erat, iudicatum eſt ab omnibus, id in Noſtrorum gratiam ab Rege factum: imo nihil dubitatum; quin id agentibus Noſtris per Eunuchos familiares ideo procuratum: quod Præfectus eo libello de Noſtris quereretur, & quod eos in aduenarũ arcem compegiſſet, & ignominioſum P. Matthæo fuiſſe, qui tot iam annos in hoc Regno cum Primoribus verſatus, nemo non videbat. In poſterũ igitur Noſtri à Præfecto lautius habiti ſunt, qui etiam illis poteſtatem fecit, contra leges Palatij, eundi ad amicos viſendos, quos maximè vellent. hac igitur facultate impetrata, amicos adijt P. Matthæus conſilium auxiliumq́; petiturus, & id multi pro virili præſtiterunt, ſed extulit ſe ſupra cæteros is, è primo tribunali vir grauiſſimus, qui P. Matthæum viſitatorem habuerat, volebat etiã habere conuiuam, eum horas ternas quaternasue colloquendo detinebat, quæ res Præfectum Palatij in ſtuporem rapiebat. Menſis interim labitur, neque libelli reſcriptum apparet. Secundum igitur libellum concinnat à priore longe diuerſum, in quo de Eunuchis nihil, de Noſtris non modo non malè, ſed etiam perhonorificè loquebatur: aiebat eos inuſitata vrbanitate Regem proſecutos; ſeipſis, nulla Regum ſuorum auctoritate in Regiam perueniſſe, munera pretioſa nouaq; detuliſſe, augebat etiã prioris libelli compenſationem, cuius Noſtri exemplar habuerunt. Nec ſanè diſplicuit: vnum ſolum creditum eſt Regi diſplicuiſſe, quod Pechino ſemper Noſtros excludebant, nolebat enim Rex eos abire, ſed neque contra leges detinere, niſi à Magiſtratibus rogaretur. Eunuchi etiam horariæ machinæ præfecti adnitebantur, vti noſtros retinerẽt, infortunium quippe veriti, ſi ea machina nullo moderatore aberraſſet. Lepidum eſt, quod eum feciſſe narrant, ne eo priuaretur. Regis

Lepidum Regis factum.

Parens

Parens Regina, audierat ad Regem tintinnabulum eſſe delatum, quod ſeipſum pulſaret, Ita enim eam machinam vocant Sinæ. Id à Rege petijt per Eunuchos ad ſe mitti ſpectandi gratia. Rex veritus ne illius cupiditate capta parens illud expeteret, & negare eſſet inurbanum, Machinæ illius Præfectis mandat, vti ſilentium illi laxatis rotis imperarent, atque ita muta machina ſpreta eſt à Regina, & ad filium remiſſa.

Sed ad rem redeo. Non defuerunt ſibi noſtri, quin Rituum Magiſtratus monerent, vti libello ſuo ſtationem noſtris in Regia permitterent, id vnum ſuo iudicio Regium reſcriptum impedire. Verum illi obſtinatè renuerunt, aſſerentes, id admodum Regni ſui legibus aduerſari. Vnde cum tertium libellum ac alios plures deinde ſcripſiſſent, ſingulos noſtris magis magisq; beneuolos, nullum ab Rege vnquam reſcriptum extorſerunt, quod hi libelli ſemper ea clauſula caruiſſent. Vnde re iam deſperata, circumſpicere P. Matthæus cępit, poſſe amicorum opera nunc ſe ac ſuos ex his incommodis & ignominia etiã quali quali educere. Eam rem cum rituũ Magiſtratib᷒ multi tentarunt, ſed vnus tandem euicit ille, de quo modo è primo Tribunali Magiſtratus. Quippe cum ad Palatij Præfectum die quadam perrexiſſet, eum grauiter increpuit, quod nondum noſtros ex hoc ergaſtulo in vrbem eduxiſſet. Et cum ille reſpondiſſet, P. Matthæum Eunuchos in rem rituum Tribunali propriam adhibuiſſe, accenſus ira reſpondit amicus Noſter: Quis neſcit, exactorem illum aperta latrocinia cædesque perpetrare, quis tamen eſt ex vniuerſo Magiſtratuum ordine, cui ſatis animi ac virium ſit ad eius vim reprimendam? Et tu quereris, aduenam vnum illi minime reſtitiſſe? Quibus dictis abijt, iram ſecum efferens in eum, cui Magiſtratum contulerat, & eripere ſi vellet, poterat. Quod Palatij Præfectus male metuens, in inferiori poſt multos ſub eo gradu conſtitutus, ſubito ad P. Matthæum miſit, qui moneret, vti quam-

Socij ſtationẽ per rituum Magiſtratus vrget

primum libello dato peteret, ſibi fieri in vrbe cum ſuis commorandi facultatem, cauſareturq; morbum, & pharmacorum medicorumq; ea in arce ad cætera incommoda penuriam. Libellum reſcripſit ille, amplam faciens in vrbe, vbi maxime vellet, in conductis ædibus commorandi poteſtatem. Quatuor etiam famulos aſſignauit, qui domum ſuam quinto quoque die eundem illũ, quo prius fruebantur, ferrent commeatum: Orizam ſcilicet, carnes, ſalem, vinum, olera ligna: Et famulum addidit, qui in limine ſemper paratus eſſet ad quidlibet aliud procurandum. Eo euentu læti noſtri ex his anguſtijs erepti, grates potenti Deo retulerunt. Et ſi quam famæ fecerant iacturam, in hanc arcem retruſi, recuperata iam contra leges ipſas libertate ſarcierunt.

Poteſtas in vrbe cõmorandi Socijs conceditur.

Noſtrorum ſtatio in Vrbe tandem poſt libellum à noſtris Regi datum confirmatur.

Capvt Decimvm qvartvm.

Egressi Noſtri nihil antiquius habuerunt, quam vt efficerent, ne quo vnquam tempore redire cogerentur, ſed quam liberrime poſſent, in vrbe rem diuinam procurare aggrederentur, id auxilio rituum Magiſtratuum impetrare nitebantur. hi enim nunc toties repulſa fatigati, volebant, vt vt eſſet, huic negotio finem dare. adhibuerunt etiam in eam rem regiorum libellorum reuiſorem P. Matthæo peramicum: huic Noſtri libellum dederunt accurate ſane conſcriptum, quo commemorabant, ſe Sinenſis Regni nobilitate ac fama excitos, huc ante annos plures nauigaſſe, & in eo ita vixiſſe. vt omnium ſibi etiam primorum amicitiam conciliauerint, anno porro ſuperiore, in Regiam eo conſilio penetraſſe, vt è reculis ſuis concinnata munuſcula Regi darent, inter quæ primas obtinebat Chriſti Seruatoris effigies, ad pacem toto Re-

Socij libellum dant Regi.

gno

gno conſeruandam, & proſperam Regiæ familiæ fortunam euocandam, idque cupiebant eſſe amoris ſui in Regem & obſeruantiæ munimentum, ſe nihil emolumenti ſpectare, ex eo quod viri eſſent Deo dicati, cælibes, ſine filijs ac nepotibus, quibus alendis rei familiaris anguſtiæ laxari ſolent, poſtulare ſe tantum, vti locum vel in ipſa Regia, vel alibi deſignatum Rex ipſe nominaret. Libellus hic eodē euentu datus eſt, nec redditus, ideo procul dubio, quod eam rem per leges ad tribunal rituum remitti oportebat, cuius iam ſententiam Rex nouerat; nolle ſcilicet noſtros in Regia retinere: verum reſcripti vicem ſubierunt priuata Regis reſponſa, ad Noſtros ab Eunuchis principibus delata: degerent ſecuri Regia in vrbe, neque in poſterum de Auſtralibus prouincijs, aut patria repetenda ſermonem ingererent, id ipſi Regi minus gratum fore. Hæc reſponſa Noſtri pro reſcripto habuerunt. ergo Diuino auxilio de omnibus victores in Domino exultabant, nec habitare Noſtri permiſſi ſunt ſolum, ſed ex ærario etiam publico ſtipendium quarto quoque menſe pendebatur, quod in ſingulos menſes aureos octo ſuperabat, qui prouentus in ijs regionibus non ita exiguus eſt, vt Europæis apparet.

Reſponſum Regis.

Verè dixit ille; Cum fueris fælix, multos numerabis amicos. nam quotquot prius ſeſe à noſtrorum amicitia ſubduxerant, tanto ſe vrbis applauſu, & frequentia prodiderunt, vti dubitari minime poſſit, quin etiam amplitudinem Diuina bonitas laxatis anguſtijs in Euangelij campum aperiret. Præfectus tandem aduenarum ipſe quoque accerſito P. Matthæo in Tribunal dixit, & dixit vrbanius omnino quam ſolebat: licere ſibi ipſius tribunalis auctoritate, quamdiu, & vbi vellet, in Regia vrbe commorari: Pechinum vrbem vaſtam eſſe, quæ aduenam vnum ſupra cæteros habitatores poſſet admittere. In dies igitur, maximè facultate hac euulgata cōcurſus ad Noſtros creſcebant, & amici augebantur, paucos è multis attingam,

Concurſus ad Socios obtenta cōmorandi poteſtate augetur.

gam, ne ſeries longa ſimilitudine faſtidium pariat. Primo loco nominari debet is, qui ſupremum dignitatis apicem ex vniuerſa Magiſtratuum maieſtate conſcendit: id genus officij Sinæ Cholaos vocant, & eo tempore vnicus eam gerebat dignitatem. ad hunc P. Matthæus viſendum aſpirauit, & vt ingreſſum faceret molliorem; Europæa munuſcula tulit, è quibus nihil æquè ſtupuit, vt ſciotericum concauum ex ebeno affabrè concinnatum. exceptus eſt non congreſſu & conſeſſu ſolum, ſed etiam conuiuio, multa de rebus noſtris, ſed maxime de orbis Chriſtiani moribus, cum voluptate audiebat: & cum illato ſermone dixiſſet P. Matthæus, connubia inter duos dumtaxat etiam è Regibus ipſis contrahi: ad grauiſſimos, qui aderant, Magiſtratus conuerſus, ita dixit: Nihil vltra quærendum arbitror de eo Regno, in quo ea eſt nuptiarum ſanctitas, ex hoc vno ſciri poteſt, quam rectè cætera gubernentur. Remiſit ille ad Noſtros munus, in quo noſtrum longe ſuperauit, aureorum fuit amplius quadraginta, è bombicinis pannis ac pellibus pretioſis. filio deinde Noſtri munus ſuum rependerunt, & is arcta deinde cum Noſtris neceſſitudine Parentem ſuum ſemper beneuolum octo & amplius annos in eadem muneris maieſtate conſeruauit; quæ res incredibilem noſtris auctoritatem peperit, & in quolibet caſu ſtationis noſtræ confirmauit firmitatem. Ad hanc rem pertinet, quod P. Matthæus ſi non prædixiſſe, ſaltem ante annos plures coniectaſſe narratur. cum enim Sebaſtianus ille Frater noſter, qui hæc Patris comes ſpectabat, olim in Cantonienſibus moleſtijs quereretur, nihil admodum ſe frugis facere, nec ſperare melius ſibi videri, vti in Iaponiam, vel alio quo ſpes vocabat, nauigarent. Cui P. Matthæus ita reſpondit: Sile, inquit, non ſatis intelligis, quid dicas: ego certè, ſi perruptas difficultates, & principiorum impedimenta ſpectarem, aliò ad denſum nemus perfugiendum aſpirarem, & quidem de ſpe quod ais, non

Familiaritas cum ſummo Magiſtratu Cholao, contrahitur.

P. Matthæi pia prædictio.

non ita deſperata eſt: quin tu ſis viſurus ipſe, nos cum Cholais confidentes, & id frater noſter illè, qui hodieq; viuit, narrat, ſæpè magna ſua, vel cæterorum voluptate.

Per eos dies Nanchino aduenit, ad negotia priuata criminũ Tribunalis aſſeſſor, idem P. Matthæi familiaris, & qui mathematicus haberi vellet. eius opera P. Matthæus cum eiusdem Tribunalis ſumo Præſide, qui poſtea euectus eſt ad idem munus in ſenatu militari, familiaritatem contraxit. idem etiam Noſtris amicum fecit aſſeſſorē primi Tribunalis, cuius eſt magiſtratus toto regno nominare. (Hic Fon cognominabatur) vbi euectus eſt in ſummum Præſidem rituum Tribunalis, cui Noſtri ſubſunt Noſtrorum in vrbe ſtationem confirmauit, omnium maleuolorũ etiam ſpes euertit; iuſſit etiam, vti Noſtris in numerata pecunia, & oriza Regium ſtipendium ſolueretur: nam ſæpè miniſtrorum culpa è commeatu multa ſubducebantur; & ſæpè alieno tempore transmittebantur, quo factum eſt, vt ea ſumma in ſingulos menſes, aureis non minus ſex pluris eſſet, quo ſubſidio Noſtri tanto interuallo à ſuis disiuncti, familiam non incōmode ſuſtinebant, præter hanc Regij commeatus vtilitatem, conſtabat etiam omnibus, Noſtros Regis voluntate in Regia commorari, quos videbant ex ærario publico ſuſtentari. Ea fama toto regno ſparſa eſt, addito etiam, vt ſolet, ſupra veritatem officioſe famæ mentientis incremento.

Familiaritas cōtrahitur cũ primo tribunalis Præſide, & alijs.

Poſt Cholaum ſequitur proximus primi tribunalis Præſes, à quo Tribunali Magiſtratus omnes, vt ſæpè dixi, nominantur. is iam ætate prouectus erat, eo tempore è Prouincia Honan: qui etiam vltro P. Matthæum nec ſemel euocauit, delectabatur in primis rebus ijs, quas in altera vita formidamus, aut ſperamus, ſed officij ratio, hominem à diuturnioribus colloquijs, & ſalute procuranda diuertebat. De his quæ P. Matthæus cum hoc Præſide ratiocinabatur, poſt annos aliquot

capita

capita duo in librum inſeruit, quem deinde commentat⁹ eſt, vnde reb⁹ ipſis è colloquentis dignitate, dignitas accreſcebat. cum alijs etiam duobus rituum tribunalis aſſeſſoribus euentu non abſimili neceſſitudo conuenit: ex ijs alter P. Matthæo narrare ſolebat, ſe habuiſſe in Prouincia Cantonienſi fratrem, quem aſſerebat fuiſſe Chriſtianum, nec adduci potuiſſe, vti certis diebus carne veſceretur. hac ex cauſa is Chriſtianis rebus libens fauebat, ſed nondum fratris exemplum ſequebatur. Idem reſcijt fortaſſe litteratum quendam celebrem, nonnulla in legem Chriſtianam, & P. Matthæi Catechiſmum, libro cuidam ſuo inſeruiſſe, auctoritate ſua effecit, vt expungeret, aliaque ſubſtituit, quibus contrarium dicebatur. quam rem noſtri ex eo nunquam, ſed ex alijs reſcire potuerunt. Alij duo Nanchinenſium Tribunalium Præſides, quoties in Regiam veniebant, cum noſtris Pechini familiariter verſabantur, & Nanchinum reuerſi, cum Socijs beneuolentiam familiaritatemq; conſeruabant. Ex his Sinenſis Reipublicæ luminibus, facile videas, quot alij, primi ordinis viri, in amicitiam Noſtrorum venerint.

Regis beneuolentia ſingularis erga Socios

Eo ipſo tempore, horaria machina aliquantùm aberrauerat, fortè in Eunuchis non ſatis erat ingenij, aut etiam animi ad eam moderandam: ergo de voluntate Regis, illud in domum noſtram ad reparandum detulerunt. Biduo igitur triduóue, vbi hoc innotuit, magni ad nos facti concurſus, id forte Rex reſcijt, & in poſterum illam machinam efferri vetuit, ſed cum opus eſſet, noſtros in Palatium venire voluit, quæ res, magnam beneuolentiæ Regis erga noſtros conceptæ opinionem opud omnes concitauit. Ne autem toties Eunuchi ab Rege Noſtros admittendi peterent facultatem, ſtatuit; vti quotannis quater in eam rem, ſine alia facultate, poſſent euocari, qua occaſione non quater ſolum, ſed quoties volunt admittuntur, Socios deducunt, qui recens adueniunt, magna

liber-

libertate. Eunuchorum enim familiaritas ac beneuolentia, mutuis viſitationibus & congreſſibus in dies augebatur. Cum Noſtris etiam amicè agebant Regum propinqui, aut Reginarum plures, qui tametſi magno apparatu in publicum prodeunt, ex eo tamen quod nullam Reipublicæ partem attingunt, cum Europæis in eodem gradu comparati, longo poſt eos interuallo relinquuntur: Alij quoq; complures militum Præfecti, vrbisq; Primores, ita vt ex omni dignitatum ordine nullus ordo defuiſſe videretur. Et quidem his initijs vulgus tametſi non infimum, Domus noſtræ limen aſpicere vix audebat, donec Noſtri primo nouitatis ſtrepitu compreſſo, rem Chriſtianam aggreſſi ſunt, maiori libertate, tum enim conſtare cæpit, nulli ne infimo cuiq; domum noſtram claudi, vt ex ijs plures Chriſto denique aggregati. Et quidem priuatim P. Matthæus notatus eſt à Noſtris, hoc ſuum inſtitutum ſemper retinuiſſe, vt inter tot occupationes, nunquam plebeium aliquem reijceret, ſed cum eo velut data opera diutius vrbaniusque confabularetur. Ex hoc vno intelligi poteſt, quantũ Noſtri fuerint frequentati. Nullo anno P. Matthæus frequentius ad conuiuia vocabatur, quã iſthoc, quæ ſine offenſione grauiſſima negare non potuit. nemini hoc diſplicebit, niſi qui Europæa conuiuia cum Sinenſibus eadem eſſe crediderit: ſed ſæpè dictum eſt, conuiuia hæc ad res ſerias etiam tractandas inſtitui, nec in ijs epulas niſi forte leuiſſime contingi, & non niſi à pranſis frequentari, & tamen Noſtri paulatim eam conuiuiorum frequentiam temperarunt, vt iam nonniſi grauiſſimis ex cauſis, & perrarrò euocentur. Principia omnia hanc inferunt libertatem, maximè ijs in Miſſionibus, in quibus totus operæ fructus conſiſtit in demerendis ijs, à quibus oportebat ita dubiam ſtationem confirmari.

Conuiuiorum frequẽtiam noſtri temperarunt.

Amicitia Noſtrorum cum viris duobus grauiſſimis arctiſſimè, & fructu contracta.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Vir litteratus Fumochàn.

EX eorum numero, qui magnam rei Chriſtianæ priuatimq; Noſtris auctoritatem conciliarunt, duo fuêre. alter eorum Fumochàn vocabatur, celeberrimus eo tempore in litteratorum ordine, & Nanchinenſis Prouinciæ in vrbe Fumiàm natus: is à puero Idolorum ſectam perſequebatur, & iam primum litterarum gradum aſſecutus, librum ſcripſerat, in quem antiquorum teſtimonia coniecerat, quæ de vno Numine cæli ac terræ Moderatore quippiam cōmemorabant, & hæc ipſa teſtimonia nouis notis illuſtrauit: In Doctorum deinde numerum adſcitus, poſt varia in Regia Pechinenſi publica munera, demum in prouincia Vquàm officium gerere iuſſus eſt, quod Iauli appellatur, quo in munere ea integritate ſe geſſit, vt non ab auaritia ſolum alienus, ſed boni quoq; publici, & iuſtitiæ tenax haberetur, maxime vbi de viduis ac tenuibus cauſæ tractarentur. Eo ipſo tempore Eunuchi è Regio palatio velut ſtygiæ quædam furiæ eruperant, ad exigenda vectigalia; effodiendas auri argentiq; fodinas, aut verius ad plebem diuexandam comparati, præ cæteris vero ferox habebatur ille, cui Prouincia Vquàm obtigerat, & ad ferociam Nobilitas & gratia periculoſa contentione acceſſerant. & Magiſtratus quidem, cui honores ac nummi communi bono potiores erant, Eunuchis blandiebantur, & ad omne malorum genus fræna laxabant: non defuere tamen, qui hunc torrētem ſiſtere, vel ſuis viribus, vel libellis, quibus Regem liberrimè obiurgabant, fideliſſime conati ſunt. Hos inter, ea quidem Prouincia primas tenuiſſe viſus eſt is, de quo nunc agimus. Is enim vbi vidit, non ſatis virium ſibi eſſe ad Eunuchi vim comprimendam, tribus libellis accuratiſſimè ſcriptis, Eunuchum accuſauit.

Eunuchorum rapacitas & ferocitas.

cuſauit. ſed neque ille ſibi defuit, & vnico libello, quo perduellionis accuſatorem criminabatur, & Regiorum mandatorum perturbatorem appellabat, effecit, vti Rex Magiſtratu exutum, vinculiſq; conſtrictum in Regiam euocaret, vbi Regis iuſſu vir tantus aſperrime vapulauit, & in arctiſſimam cuſtodiam retruſus ab amicorum conſpectu & congreſſu arcebatur.

Fumochàn faiſò accuſatur & in vincula conijcitur.

Hunc Regis furorem tulit ille ſanè moderatè, & ea re celebritatem auxit nominiſq; ſanctitatem: nec dubitauit ipſa Prouincia eo ipſo tempore propugnatorem ſuum miris modis cohoneſtare. Primum enim libris multis commemorauit omnia eius in Rempublicam bene facta; imaginem quoque, quod fieri poterat, genuinam exprimi ac diſtrahi iuſſit per Prouinciam vniuerſam, vti priuatim à ſingulis pro Diuo coleretur: publica etiam templa erexere aliquot, & ad ſtatuam in ara collocatam cereos odoreſq; perpetuos incendebat, magno omnia applauſu & beneuolentiæ ſignificatione.

Prouincia ſuũ Propugnatorẽ Fumochan cohoneſtat.

Inaudierat ipſe in ea Prouincia P. Matthæum Nanciani & Nanchini fama eſſe celebrem; opes ſuas in publica commoda profundere; cogitarat etiam vnum è ſuis diſcipulis P. Matthæo in diſciplinam tradere. quoniam autem id temporis Pechinenſis expeditio vrgebatur, re infecta diſcipulus ad Magiſtrum retulit, aduenam illum litteratum Pechinum nauigaſſe. ergo cum in vincula traheretur, nondum depoſito Reipublicæ commodorum conſilio, diſcipulum ipſe ad P. Matthæum adducebat. vix aduenerat ille, & vix Noſtri ex aduenarum arce diſceſſerant, ſua iam libertate donati, cum diſcipulus ille aduenit, conſilij ſui rationem exponit, & P. Matthæum ſolitis ritibus ac donis in Magiſtrum deligit. ad Fumochàn igitur P. Matthæus ſubito contendit, priuſquam in cuſtodiam traderetur: vnam horam fere congreſſi, tanta ſubito neceſſitudine coaluerunt, vt à plerisq; crederetur plurium

P. Matthæus intimam cum Fumochan familiaritatem contrahit.

 anno-

annorum contubernium interceſſiſſe, triennium tenuit hæc amicitia, quamdiu in vinculis detentus eſt, quam litteris mutuisq; officijs vtrimque fouebant. inſcijs Noſtris de amicitia commentariolum P. Matthæi recudit viri tanti proëmio illuſtriorem, tabulas deinde Typographicas, poſtquam quot exemplaria volebat expreſſa fuerunt, ad Noſtros miſit: neque hunc ſolum, ſed quotquot habere potuit, Noſtrorum tractatus, in quibus neque ſumptui parcebat, neque à Noſtris immoderatè fortaſſe commendandis abſtinebat. Ipſe quoq; primus P. Matthæo claſſici Doctoris titulum, quem ad auctoritatem legi diuinæ conciliandam repudiare fas non erat, aſſignabat; eiusdem Catechiſmum auctiorem & illuſtriorem recudebat, in eoque legis Chriſtianæ inſtitutum euehebat, tantum idolorum cõmenta deprimebat. & quoniam ipſe in his anguſtijs iam fidei Chriſtianæ præceptis imbutus, baptiſmum ſuſcipere non poterat, domeſticos omnes præmiſit, quotquot ſua libertate fruebantur: & interim quotidie Chriſti Seruatoris imaginem, quam à Noſtris accepit venerabatur.

P. Matthæus titulum claſſici Doctoris aſſequitur.

Nec omittendum videtur illuſtre per eos dies, de Chriſtiana lege eiusdem teſtimonium. Miſerat, vt dictum eſt, P. Matthæus ad eum Catechiſmi ſui quaterniones reuidendos, ſed eo conſilio, vt eius animum potius quam ſtilum mutare intenderet: reſpondit ille; placere ſibi omnia, ac etiam petere, fieri ſibi facultatem eius excudendi: verum nondum P. Matthæus vltimam manum ſibi videbatur addidiſſe: ergo reſcripſit, fœtum hunc adhuc pręcocem, à lucerna maturitatem expectare: Verum ille inſtitit acute ſanè, & ad legis Chriſtianæ cõmendationem appoſitè, Apologum fingens in hunc modum. Aegrum quendam morbus pertinax ad extrema deduxerat: venit forte neſcio quis, qui ſe cum pharmaco vitam dare poſſe ſponderet, agedum aiunt amici, fac quod facis, præſens enim periculum, non promiſſa, ſed facta exigit: ille vero: ibo inquit

Illuſtre Chriſtianæ legis teſtimonium.

Apologum ad legis Chriſtianæ cõmendationem accommodatur.

inquit domum,& polito ſermone & charactere eleganti pharmacum conſcribam: Nos, aiunt illi, pharmacum, non characterem ſermonē tuum volumus. Hactenus Apologus: quem ille deinde ita exponebat. Aeger ille Sinenſe regnū eſt, quod harum rerum ignorantia per tot ſæcula perditè laborauit: tu vitæ pharmacum habes, & præſenti periculo ſermonis elegantiam præponis: vide quàm id facias ad publica commoda accommodatè: Hæc ille, & plura in hanc fere ſententiam. Triennium igitur totum, vbi carceris anguſtias animi ſui amplitudine laxaſſet, demum innumeris libellis ad eum liberandū Rex ipſe fatigatus, priuatum in patriam remiſit. E vinculis ereptus, triduum totum Pechini licebat nec amplius commorari. eo tempore tanti fuerunt gratulantis Regiæ concurſus, vt ad eum ſacris aquis eluendum, temporis nihil ſuperfuerit. ne tamen P. Matthæus hanc prædam ſibi elabi pateretur, conuentum erat inter vtrumq; vt alibi in ædibus ſuburbanis ea res conficeretur: verum litteratus quidem vinculorum libertatiſq; Socius monuit, omnino periculoſum videri, cauſas in eos quærenti Regi dare: Nanchini ſocios degere, à quibus elui poſſet. nec diſplicuit in firma ætate & valetudine conſiliū. & tamen P. Matthæus, cui tempus in vrbe Viſitatores eripuerant, abeuntem diu proſecutus, de fidei noſtræ rebus inſtruxit ac dimiſit, infortunium, quod deinde contigit nihil plane metuentem. moniti ſunt tamen Nanchinenſes Socij, vti ad eum Chriſto aggregandum primo quoque tempore properarent, ſed mors velociori curſu præcurrit, & paucis diebus correptum ægritudine abripuit. faxit Deus, vti de vitæ præteritæ culpis indolenti, votum pro Baptiſmo cenſeatur.

Fumochàn è carcere dimittitur.

Mors baptiſmum præcurrit.

Alter, vt ſupra dixi, litteratus Lingosòn appellabatur: ſed eum in poſterum Leonem nominabo, ideo quod poſt annos aliquot, id nomen ſacris vndis ablutus ſortitus fuerit. Leo igitur è Prouincia Cechina Hanceù Metropoli natus fuit: & quo

Alter litteratus Leo, familiaritatem cū P. Matthæo contrahit.

tempore noſtri Pechinum appulerunt, in operum publicorum tribunali graui munere fungebatur,& magna ingenij laude in paucis numerabatur. Annis iuuenilibus,ſuperiorem auſus fuerat totius regni Sinenſis deſcriptionem, & quindecim prouinciarum tabulas exactè ſanè in lucem edere, & arbitrabatur,ijs propè finibus vniuerſum orbem contineri. Cum deinde in Geographicam totius terræ ſuperficiem à P. Matthæo editam incidiſſet,miratus eſt,quam ſua exigua eſſent,cum vniuerſo comparata: & vt erat acri ingenio, ex ipſa compoſitione, ſi nondum rei veritatem, veritatis tamen ſimilitudinem iam conuictus agnoſcebat. Ergo arctiſſimum neceſſitudinis vinculum cum Noſtris eo fine nexuit, vti Coſmographiæ præcepta, quantum per publica negotia liceret, aſſequeretur. Primum eius in hoc genere opus fuit, hanc vniuerſæ terræ faciem, quam maximis poſſet finibus explicare. nam eum ita excudit, vti in quadrũ viri altitudinem ſuperaret: Eam Sinenſi, vt alibi dictum eſt, more eleganter complicant, & cum volũt explicant, valuis quibusdam ligneis affabre concinnatam. recudendũ opus auxit P. Matthæus Regnis,locis,notis, ad margines de ſole, ſtellis,alijsq; in quibus orbis Chriſtiani fides ac mores coaptata locorum occaſione ſcribebantur. Huic operi varia litteratorũ proëmata ſplendorẽ addiderunt, Hæ tabulę cum ab artificibus ſculperentur, clam inſcijs noſtris duplices tabulas exararunt, atq; ita bis, vno tempore prodijt opus gratiſſimum: quod etiam nondum ſatis fuit ad emptorum vota explenda: vnde alius quoq; Neophytus tabulis octo maiorib⁹ vniuerſi amplitudinẽ coarctauit. atq; ita iam tertio in hac Regia ſpectare cæpit. Nec alias Mathematicarum diſciplinarum partes Leo reliquit intactas, quin potius ſtruendis machinis curiales ſuos omnes occupabat: ipſe vero magnam Gnomonicæ P. Clauij partem deuorauit: de Aſtrolabio tractatũ didicit: ac etiam ipſe vnà ſibi ſane accuratũ confecit,& vtramq; artem in

Opuſcula varia Mathematica a Leone litterato induſtria P. Matthæi edita.

in commentarios retulit, eleganti ac dilucido ſermone: & in ducendis quidem lineis mathematicis ac figuris nihil omnino noſtris cedebat Europæis. Aſtrolabium duobus tomis ediderat, quorum exemplaria Romam ad Præpoſitum Generalem, Patremq; Clauium Magiſtrum quondam ſuum P. Matthæus gentis primitias miſit: in Arithmetica Practica Sinice vertenda, quam Latinè P. Clauius ediderat, Magiſtrum ſuum feliciter adiuuit, nulla quidem re omiſſa, quam in eo opuſculo legimus. Alia opuſcula complura idem Sinis legenda dedit. Ex his mirùm, quàm de Noſtris litterarum opinionem conceperit, quàm famam in omni ſermone ſparſerit, quàm varios in Noſtrorum amicitiam pellexerit. ſed non in his rebus ſtetit P. Matthæi induſtria. Hæc potius eſca fuit, ad eum piſcem in ſagena includendũ. ergo ipſe accuratiſſimè fidei noſtræ rebus inſtructus, ſacrum baptiſmi fontem ſitiebat, ſed Noſtri accuratius hominẽ diſpicientes, demum intellexerunt, eum poligamiæ nexibus implicari, & cũ pellices haberet procul in patria domo, de ea re nullus ſermo, ſed neq; ſuſpicio noſtris irrepſerat. Ergo plus habuit lucis ad cognoſcendam, quam animi ad amplectendã veritatẽ. interim tamen Religionẽ Chriſtianam pro vera agnoſcit & prædicat, & pleroſq; hortatur, vti eã amplectantur, nihilo minus quam ſi inter Neophytos cenſeretur: nec pauci ex eius familia Chriſtianã hactenus fidem ſunt amplexati, & inter Neophytos ardentiores numerantur. In Patriam deinde reuerſus eſt, quod Magiſtratus magnitudine in inferiorẽ aliquãto gradũ excidiſſet, vitæ liberioris & intemperantioris aliquando notatus, quod Magiſtratuum dignitatem dedecere iudicetur. ibi litteris frequentibus Noſtros conueniebat, P. Matthæi Catechiſmum excudit ſuo ſumptu, & diſtraxit inter amicos, populoq; emendum permiſit; nondum tamen fidem, quam ita promouebat, profitebatur. illũ enim Dominus extremo P. Matthæi fœtui, vt infra dicetur, reſeruauit.

Leo fidẽ Chriſtianam agnoſcit.

Inſigni dedecore per eos dies notata ſimulacrorum ſecta Noſtros imminenti periculo liberauit.

Capvt Decimvm sextvm.

Fama euulgatur Patres idola inſectari.

Hac tantorum Magiſtratuum, tamque frequenti neceſſitudine paulatim euulgari cœpit, veniſſe noſtros ad legem nouam euulgandam, quæ veritati ſimilis vna videri vellet, nullius ſectæ commixtione fædata, ſed præ cæteris idolorum ſectam inſectari, non verbis ſolum, ſed efficacius & latius ſcriptis cum magna veritatis ſpecie voluminibus. & tametſi litteratorum ſecta nihil cum idolis commune habet, prout in antiquorum libris habetur, non pauci tamē litterati ſectæ ſuæ in multis deficientis pertæſi, ſimulacra etiam his temporibus colere cœperant. Ex ijs quidam è Regio Collegio Hanlìn celeberrimus litteratus, in hac ſecta ſectanda ita delirauit, vt vxore dimiſſa, legis huius in cælibatu perfectionem profiteretur, & ſecum exemplo pernicioſo multos trahebat in ruinam, allectus nimirum, vt pleriq; illa ſecta, quæ de altera vita fabulatur. is inquam non facile vulgi ſermonibus credens, voluit ex libris, quos P. Matthæus Sinice loquentes prodiderat, doctrinæ noſtræ placita non ſolum legere, & excutere firmitatem. habuit enim illos libros à Palatij aduenarum Præfecto, ſed etiam cum P. Matthæo congredi, cuius firmiſſimas rationes ſupercilio, modicoq; riſu eludebat: commentarios etiam P. Matthæi ipſe adhibito alio doctore & magiſtratu, ex Senatu militari refutationibus notauit, marginesq; oppleuit omnes: & alter quidem atramento, alter vero rubeo colore, ad vtriusq; notarum diſcrimen, ſuas adnotationes diſtinxerunt: ac licet multis in locis comprobarent ea, quæ de labilis æui contemptu, de voluptatum vanitate, ac cæteris dicebantur, nihil tamen minus, quoties in ſectam idolorum impingebatur, acriter ſanè P. Matthæum cæterosque Europæos litteratos

Celebris quidā litteratus cum P. Matthæo congreditur.

culpa-

culpabant; quibus id maximopere diſplicebat, quod diuinum Numen aſſereret ab anima noſtra quippiam eſſe diuerſum, in quo primarius blaſphemorum error verſatur, qui naturæ auctorem cum ipſa natura confundunt. & hæc ille quidem non culpauit ſolum, ſed ſcommatis etiam excepit, ſolem hunc eſſe hac orbis vniuerſitate maiorem: ita ille ex Collegio Regio atratus notator atramento pingebat. alter euocatus ad cenſuram, rubeo colore minus triſtis vrbanius ſcribebat, pleraq; comprobabat, coniectis etiam in auctorem encomijs; ſed vt amico faceret ſatis, noſtram opinionem cum ſimulacrorum commentis conciliare fruſtra nitebatur. His etiã acceſſit alius è ſupremis Aulæ luminibus, idem quoq; litteratæ ſectæ gentilitijs ſordibus fœdatus: qui cum audiſſet Noſtros in ſimulacra iniurios multa dicere ac probare, elabi ſibi paſſus eſt minas quaſdam in ſupremum Numen iniurias. dixit enim, ſi quidem cæli Dominus in cælo potens eſt, idola quoque noſtra in terris poſſunt multa, notans ſcilicet idolorum propugnatores.

Verum imminentibus his grauibus ſane procellis, Deus Optimus Maximus, aduerſus quem non eſt conſilium, vultus ſui ſerenitate ſubuenit: ſuos enim noſtroſq; hoſtes momento repreſſit. id ita accidit: è Regio Collegio notator ille abdicato Magiſtratu crinem raſit, & in ſacrificulorum ordinem ſe recepit, dumq; totus in famam fertur, diſcipulos conſcribens, libros edens, litteratæ ſectę principes confutans, ſimulacrorum præcones prædicans, ſubita Dei manu ſiſtitur: cum enim Pechino inſtaret iam vicinus, vbi à multis rei nouitate permotis expectabatur, vnus è Regijs admonitoribus ac ſyndicis libellum ſcripſit acerrimum, quo deſertorem illum grauiter ſane accuſabat, ſed maxime peruerſam eius doctrinam notans, petebat; vti & libros exuri palam, & ipſum plecti pro meritis imperaret. Rex ita reſcripſit: In Regiam vinctus adduceretur, & typographicæ illi omnes tabulæ eriperentur. venit igitur

Vindicta diuina in idolorũ ſectatorem.

tur non timidè ſolum, ſed & ignominioſè: cuius ſenſum augebat annorum ſupra ſeptuaginta grauis ætas. ergo in ipſis vinculis ſeipſum cultello iugulauit, doctrinam infamem infami morte claudens: nec enim, vt ait ille, poterat fato nobiliore mori.

Litteratorum ſecta defenditur.

Occaſionem Regij reſcripti, ad Litteratorum ſectam tuendam, minimè neglexere Magiſtratus, ſed ſupremi Tribunalis Præſes, alio libello Magiſtratus ac litteratos accuſauit, qui repudiato Confutio Principe ſuo ac Magiſtro, alienam hæreſim, magno totius Regni malo, ſequerentur. permiſit Deus in huius Regni bonum, vt hunc libellū ita remiſerit reſcriptum, quaſi Chriſtianus aliquis reſponſa dictaſſet, tametſi idolorum ſectatores ſparſerant, Regem ad idola tranſiiſſe, & propria manu doctrinam quandam, vt ipſi vocāt, deſcripſiſſe: quod ſi falſum eſt, conſtat tamen eius Parentem, Reginas omnes, Eunuchos etiam, ac Regis propinquos in hanc ſectam coniuraſſe. reſcripſit igitur in hunc modum: Si Magiſtratibus placet, ſimulacrorū eſſe mancipia, pudere illos debere, cum inſignia Magiſtratuum induunt: abirent ſi vellent in deſerta, vbi Cænobitas Idolorum cultores viuere oportebat. Hoc Regis reſcripto, audacior factus Præſes accuſator, ſtatuit vtiliſſima toti regno ea de re Senatus conſulta; maxime præſcripſit ludis litterarijs & examinibus, vbi litterarij gradus conferuntur, his enim ille præeſt, vt ſi quis in ſcriptionibus ſuis, de idolis quicquam, niſi forte ad ea confutanda ſcripſiſſet, hoc ipſo excluderetur ab omni gradu litterarum. His renouari cæpit aula, & regnum vniuerſum. Idolorum enim propugnatores triſtitiam vultu ac pudore loquebantur: nec defuêre, qui non ferentes ignominiam, ſua ſpōte priuati ſe in ſuas ędes receperunt, quos inter numerari debent tres illi, qui de Noſtris accuſandis conſpirarant. neque hic Diuina manus ſtetit: nam id temporis in Regia, quam plurimi prophani Cænobitæ magna

gna nominis celebritate verſabantur, non plebem ſolum, ſed & primores multos, imo & Reginas in Palatio adhibitis internuncijs, in errorem inducebant, ab Eunuchis ditioribus largitiones multas corradebant, templa extruebant, idola fundebant, & diſcipulorum multitudinem poſt ſe trahebant.

Nullus hoc tempore celebrior erat Sene quodã, qui Thacon vocabatur, alius verò illi ferè par: vtrumq; Reginæ quædam in Magiſtros elegerant, & ſumma quidem Regina ipſius Thacon veſtem quotidie venerabatur: quoniam neque illa egredi Palatio, neque idolorum miniſter ingredi per leges poterat. idem etiam ſperare dicebatur, ſe ab ipſo Rege in Magiſtrum eligendum. Vir erat non eruditus minus, quam aſtutus & vafer, qui vt de ſectis omnibus nouerat, ita ſe ſingularum defenſorem pro tempore gerebat; cupiebat ille quidem P. Matthæum conuenire, ſed volebat vt prior viſitaret, & quod nonnulli Magiſtratus faciebant, ſibi flexis genibus loqueretur: hæc renunciari P. Matthæo iuſſit, cuius hoc fuit reſponſum: nihil ſe ab illo diſcere velle, quod ſi à ſe quicquam vellet, venire ipſe ne grauaretur. oportet enim noſtros omnẽ cum hoc infami gente neceſſitudinem vitare. Incredibilis erat impoſtoris huius ſuperbia (quid enim aliud in dæmonum lũdo didiciſſet) nec eam vlterius viri cordati tolerabant, ſed acerrimo in eum odio concepto, ad eum perdendum anhelabant. ergo in eum è Syndicis Regijs neſcio quis libellũ ſcripſit, ſed huic Rex reſponſum nullum dedit. creuit ex eo hominis arrogantia, vt iam ſibi perſuaderet, eſſe ſe Palatinis ita carum, vti hoſtium ſuorum maleuolentia, iam ſibi ſuperior eſſe videretur.

Cænobitę cuiusdam aſtutia & ſuperbia.

Non ita multo poſt libellus infamis in Regem Reginas, & alios quoſdam incerto auctore prodijt: eo perſtringebantur, quod Principi iam inaugurato Regnum eripere, & in alterum Regis filium transferre ſtatuiſſent, quem conſtat Regi eſſe

Libellus infamis in Regẽ & Reginas.

longe cariorem. prodijt ille velut libellus à Syndico ſine nomine ad Regem miſſus, & excuſus fuit, ſparſusq; tam ſecreto, vt ad hanc diem nihil de auctore certi conſtiterit. Rex eam rem indigne ferens, prope in furorem actus eſt: inquiri iuſſit acerrime, & ea res facta eſt ex Regis voluntate, præter ius fasq; exquiſitè multi tormentis veritatem exprimere iubebantur; & quodlibet, vt tenue eſſet indicium, nullò prope delectu, pro re comperta vrgebatur: cum necdum prodiret auctor, de Regijs Magiſtratibus Rex quotidie querebatur; remiſſos nimis in hac re compellabat, & ſane miſera per eos dies erat huius vrbis facies. nullo enim non die permulti in vincula deducebantur innocentes, neque quiſquam è domo exire audebat, neq; ea de re miſcere ſermonem, vbiq; enim exploratores Regia promiſſa collocarant. In ſuſpicionē facti profani maxime Sacerdotes vocabantur, atq; ita præcipui quique in vincula retruſi ſunt. Eos inter Thacòn compræhendi iuſſus eſt. quorum cum ſcripta explorarentur, & ſcrinia euoluerentur, certi nihil hac de re compertum eſt, alia tamen immania ſcelera feruntur deprehenſa. nam ex ijs vnus repertus eſt ſupra duodecim pellices alere, inſignis profeſſor impuriſſimi cælibatus: multi conuicti ſunt, quod ſecretis largitionibus publica munera ſuis ſectatoribus impetraſſent, id exturbatis dignitate Magiſtratibus regno conſtitit vniuerſo. Thacòn vero quibuſdam litteris, de hoc ipſo Rege indigna ſcripſiſſe, compertus eſt; ijs in litteris Regem incuſabat modeſtè parum, quod idola nollet venerari: imò & Parentem ſuam minus obſequioſè tractaret, quod crimen apud Sinas infame eſſe ſolet in paucis. De his admonitus Rex, reſcripto iuſſit, vti ex legum præſcripto plecteretur. Senatus autem qui pœnas ſcelerum exigit, hac facultate, maleuolentiæ in eum cōmunis fræna laxauit: ergo ita vapulauit, vt in vincula elatus prius emiſerit ſpiritum, quam vincula induerit. Poſt obitum omnibus ex eo fabula fuit,

Cęnobita Thacon idolorum ſectator dat pænas, & alij ſacrificuli.

fuit, quod vanus oſtentator corporis ſui neglector videri vellet, & tamen inter verbera dictorum immemor contra corporis dolores, non abſimili cæteris mortalibus eiulatu certauerat. Iuſſu deinde Magiſtratuum, iuſſus eſt exhumari, ne quis fortaſſe dolus ſimulata morte, irrepſiſſet: vix enim credebatur, eum prima verberatione perire potuiſſe. Reliqui etiam ſacrificuli cæterorum criminum pœnas, pro rei atrocitate luerunt: omnes tamen Regia eiecti, ſectæ ſuæ ignominiam partim ſecum eduxerunt, partim in vrbe reliquerunt. Alter vero ſacrificulorum Corypheus, Hancian nomine, in Cantonienſem Prouinciam ab Regia remotiſſimam relegatus eſt, & quod in Xauceanis oppidis magnam ſibi veneratione͂ comparaſſet, in extremos illius Prouinciæ fines poſtea retruſus eſt. Ille vero qui in Deum contumelioſus, ei ſolam in cælis tribuerat poteſtatem, didicit etiam experimento proprio, in terris eum quoque dominari. Nam maximo quem gerebat Magiſtratu, inſignibus, & litterario gradu in perpetuum exturbatus eſt, quod in libelli diſquiſitione contra Regem editi, ex eius propinquis neſcio quis incuſatus fuiſſet, quanquam conuinci nulla ratione potuiſſet.

Sacrificulorũ Coryphæus relegatur.

Alius Magiſtratu exturbatus.

Libelli autem infamis confeſſionem, tormenta litterato cuidam homini nefario expreſſerunt, qui iam diu, repudiatis ſtudijs, & Magiſtratus, quem geſſerat cum integritate, varijs ſe criminibus laxarat, & nouis artibus opes, & quæ mortales ambiunt, ſibi per fas nefasq; comparabat. In eum igitur atrox ſtatuitur & exercetur ſententia. Ad palum alligati corpus mille ſexcentis fruſtulis ita laceratur, vt tamen oſſibus & capiti inclementer parceretur, vti proprijs oculis fædam lacerationem conſpicere ſupra doloris ſenſum cogeretur: tum denique per otium laceratus ceruicibus amputatis vitam laborantem excuſſit. Quod apud Sinas ignominioſum habetur in primis, ex eo quod à membrorum diuiſione magnopere abhorreant.

Author infamis libelli plectitur.

 horreant.

horreant. Eius caput ex aſtantibus, neſcio quis arripuit, & ſparſis in fuga obolis Apparitores inſequentes eluſit. Credibile eſt, illi præmium à propinquis propoſitum, qui caput in ſepulturæ Societatem cadaueri vniendum efferret, & ignominiæ quæ parata erat, eriperet. nam alibi ad ſpectaculum erigendum ferebatur.

Idolorum veneratio clanguit.

Sed ad ſimulacrorum cauſam redeo. ea tot præiudicijs damnata, tot ignominijs affecta, tot protectoribus orbata, ita elanguit vt vmbram, legi Chriſtianæ, quod ſperabat facere non potuerit, ſed detractis honorum frondibus, quibus tot iam annis in Regia luxuriabatur, lucem aperuerit, & creſcenti locum ceſſerit vel inuita. Eam rem non pauci vel Neophyti vel Ethnici, præter noſtros varijs in locis ab eo factam Numine prædicabant, cuius placita ſanctiſſima in Regia tum primum cæperant euulgari, ne nondum patiens Euangelij planta primis perſecutionum turbinibus tolleretur.

In Xauceana Sede quid hactenus geſtum ſit.

Capvt Decimvm septimvm.

E Longa tandem aliquando, cum Socijs peregrinatione, recreati, ad auſtrales Socios interuiſendos occaſionē conuertamus, ac primum Cantonienſis prouinciæ in Xauceana Sede ſtatum intueamur. In ea Sede P. Nicolaum Longobardum Siculum vna cum Fratre noſtro Franciſco Martinez reliquimus: ibi ſolus Sacerdos annos aliquot ſubſtitit, cum ad eum nemo per id tempus poſſet, aut deberet penetrare, & tamen nouus & ſolus, magnam rei Chriſtianæ meſſem in Eccleſiæ horrea congeſſit: quam ad rem adiuuit non parum, earum rerum fama, quas in vtraque Regia geſtas eſſe narrauimus nam ea vt fieri ſolet in rebus ſecundis, omnium Magiſtratuum

Status Xauceanæ Sedis.

tuum tribunalia noſtris aperiebat, & fauorem conciliabat, in quo vno ſecundum Deum Euangelij euulgandi commoditas ſecuritasq; conſiſtit: atque ita ſeſe Neophytis adiunxerunt. Viri aliquot Principes, ac Matronæ, quod ea in vrbe ad hanc diem fuerat inauditum. P. Nicolaus igitur cum aduertiſſet, à Noſtris tot iam annos, cum vrbanis vix quicquam eſſe perfectum; excurrere ſtatuit ad ſuburbanos, vti experiretur, an is qui non multos ſapientes, non multos nobiles elegit, ſeſe tenuioribus maiore cum fructu aperiret. ea res cæpit anno ante ſecularem vltimo, poſt eam feſtiuitatem, quæ Apoſtolis orbis peragratoribus Petro ac Paulo ſacra eſt, & pagus primus non procul ab vrbe, Michia vocabatur, ex hac etiam in adiacentes excurſum, euius excurſionis per annos cõtinenter aliquot hæc fuit fere ratio.

Mittebat prius è Neophytis aliquem in locum, qui ſuum populo aduentum denunciaret, moneretq; vt præparatis animis concionatorem ex occidente remotiſſimo expectarẽt. Primum igitur vbi aduenit aduentus ſui cauſas explicuit, ad menſam ante ſe poſitam, vti vnum Numen cæli terræq; moderatorem venerandum perſuaderet, extra quam Religionis veritatem ſalus nulla reperiebatur: tum decem Diuinæ legis capita pronunciabat, & breuiſſime exponebat. His peractis, dicebat, habere ſe effigiem illius, qui hanc legem hominibus dederat primùm; deinde eam imaginem in menſa vel alio loco ad venerationem accommodo, cum cereis & odoribus ſtatuebat, hortabaturq; omnes, vti eum venerarentur, quem hæc imago referebat, & promitterent, ſe idola Deorum ſimulacra, non Deos, in poſterum repudiaturos: quam ad rem non admodum reluctabantur, inducti vel legis noſtræ ſanctiſſimæ fama, vel inſita gentis facilitate Numen quodlibet venerandi. His ita peractis Chriſtianæ doctrinæ compendium in quosdam diuidebatur; neque enim ſatisfieri poterat omnibus.

Excurſio in adiacentes vrbi pagos, & ratio docendi res fidei.

Hæc cum exponerentur ad confertam multitudinem, ignis adeò incæpit ardere vehementer, vt in ipſam vrbem eruperit, & quamplurimos ad amorem legis Euangelicæ accenderit. Primus quidem actus ſolemnis Chriſtianæ legis ineundæ fiebat, cum in catechumenos recenſebantur: in hunc modum fiebat. Super aram collocatur legis Chriſtianæ compendium, qui ad eam ediſcendam admiſſus eſt, coram ara ſolitis venerationis ritibus Chriſtum Seruatorem ac Magiſtrum veneratur, & compendium ex ara capiens, domum redit, & interim dum eluitur ſacris aquis, ad eam ſacrificij partem admittitur, ad quam Catechumenos admitti mos eſt: inde dies permultos catechiſticis prælectionibus imbuuntur, donec baptiſmo deputatus dies aduenіat, quo rite peracto, precarios globulos, imagunculas ex ære penſiles, ſacræ ceræ particulas, velut ſpiritualis militiæ arma ſuſcipiunt: eam rem permulti ſumma celebritate palam celebrabant. nam è baptiſmo domum redeuntes tympanorum ac tubarum feſto ſonitu deducebantur à Neophytis, imo & à propinquis Ethnicis eo ritu, quo fieri ſolet cum quis à Magiſtratibus accepta noua aliqua dignitate reuertitur: & quidem eam rem paulatim Dominus ita promouit, vti intra primum triennium ſupra trecentos Chriſto ſint aggregati: qui numerus in his vel initijs, vel difficultatibus pro maximo haberi debet. De his peculiaria quædam ſeligam, neque enim in hiſtoriam omnia referenda.

Actus Chriſtianæ legis ineundæ.

Non ſilentio prætereundus, qui primus vocanti Deo manus dedit, vir annorum ſeptuaginta, aliàs ſæpè fruſtra ad ſalutem inuitatus, ob imperitiã legendi ac memoriæ imbecillitatem, quibus paulatim improbo ſtudio tandem ſuperatis, Saluator vocatus eſt, alijsq; ætate conſimilibus author fuit, vt eandem Religionem profiterentur. hanc ab idolis defectionem reliqui, maximè quod ſodalitij capita fuiſſe conſtaret, indignè tulerunt. ergo magno numero & impetu in eorum domos irruerunt,

Conuerſio cuiusdam Senis ad fidem Chriſtianam.

fuerunt, propè minaciter ſciſcitati, quæ eſſet hæc nouitas, quæ de ijs ferebatur: ab his reſponſum, ſe iam vnum cæli ac terræ Dominum venerari, nec quicquam poſthac habere velle commercij cum infernis monſtris, quæ ſectatores ſuos in cruciatus ſempiternos pertrahunt: inſtiterunt acriter, vti meminiſſent, nomina ſua in Sodalitij tabulas relata, neque prodigerent tot obſequia Dijs ſuis delata: ſed hi conſtitêre ſibi, & per eos licere dixerunt, nomina ſua & obſequia, ſi vellent, è tabularum memoria eradere: ſibi iam certum eſſe, vnum Deum venerari, cæterarum ſectarũ cultus repudiare minabantur illi Deos ſuos breui vindices adfuturos. Atque ita victores Neophyti monitores importunos ab ſe ablegarunt. Interrogatus eſt ex illis vnus, num quid ex iniurijs odij remanſiſſet: miſerationis inquit ille aliquid, ex eo quod errare illos conſtet, ac neſcire quid faciant.

Hi conſtantia ſua, ſe in officio continuerunt: alter etiam euentu præter ordinem à Domino adiutus, Iuuenem ſtrenuum idolorum veneratorem ab ea mente deduxit: neque ille rationibus conſilijsúe cedebat: vrget Neophytus, vti ſaltem legis Chriſtianæ commentarium euoluat, ac poſtmodum ſtatuat de illa, prout vellet. nec renuit iuuenis: verum humani generis hoſtis eum initio ſtatim terrere ſtatuit, ne vlterius rem vrgeret: ergo accepto libello manibus ita ſubito contremuit, vt concuſſum legere minimè poſſet: caſu territus Neophyto librum reſtituit, & manus tremere ceſſarunt: id cum vrgente Neophyto iterum ac tertio feciſſet, coram alijs aliquot, & nominatim Parente ſua, eodem ſemper euentu factum eſt, vt tremerent accipientis manus, reſtituentis tremere ceſſarent: vnde Parens prodigio territa, ne quid filio peius accideret, Neophytum rogauit, vti filium ad concionatorem magni occidentis deduceret, contra importunum hoſtem remedium aliquod petiturus: tum Neophytus offerri ſibi cõmoditatem

Alterius conuerſio.

Filius rogatu Parentis ad Patrem noſtrum deducitur.

ratus, ad Parentem etiam Chriſto adiungendam; à qua licet multum renuente, impetrauit, vt omnia idola, etiam vnico paruo, quod ob amorem filij retinere volebat, eijceret è domo, & Neophyto domum deferenda traderet. tum Neophytus propria illi manu Chriſtianæ legis commentarium tradit, nec vnquam in poſterum vel manus tremere, vel quicquam aliud extra ordinem euenire ſenſit. Filius igitur vna cum Parente in Catechumenos recenſiti, poſtquam per otium Chriſtianæ legis myſteria didicerunt, denique Chriſto ſunt aggregati.

Alterius mira conuerſio.

Nihilo mihi videtur inferior diuinæ electionis effectus, quem modo ſubiungam. Neophytus alius amicum ſuum eo iam deduxerat, vti ſacræ Doctrinæ compendium acciperet, verum vbi de tradendis idolis actum eſt, adduci non potuit, vt ea tam inurbane tractaret: redijt igitur ad amicum, & doctrinæ ſacræ compendium dolenti Neophyto reſtituit, & iam redibat domum mœſtus cum in Ethnicum incidit familiarem ſuum, cui triſtitiæ ſuæ partem communicans, rei totius narrauit euentum: ille vero ſecretis iudicijs Dei permotus, qui nouit qui ſunt eius, doctrinæ compendium legit, & cæleſti luce illuſtratus, aſſenſit extemplo, & nihil differens, quod bene cæperat, Neophytũ in ædes ſuas deduxit; & videbis nunc, inquit, quam ſerio id agam, quod ſtatui: exturbatis igitur è maieſtatis ſolio ſimulacris, pro ara ſportam dedit, & omnia in ædes noſtras amandauit, ſignificans hæc pro fidei ſuæ pignore præmittere, donec confecto negotio quodam, in quo more erat periculum, ipſe ad eam ediſcendã aduenireт. Aberat porro ab ædibus noſtris quinque amplius leucas.

Mulier cum vniuerſa familia conuerſa.

Neophytus alius ad Patrem noſtrum acceſſit die quadam queſtus de vxore ſua etiam tum Ethnica, quod vnum ex idolis communi incendio deſtinatis ſubtraxiſſet, à quo in partu pariendi facilitatẽ ſperârat. Iuſſit Pater ſubtracto idolo Choimæ,

mæ, Deiparæ effigiem ſubſtitui, & vxorem recitare ſepties quotidie orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam in memoriam ſeptem eiusdem feſtiuitatum. vxor tandem mariti authoritati ceſſit: adueniente partu, filium enixa eſt inſolita facilitate, & ne dubitari poſſet, cuius id præſidio euenerat, partus ipſe in diem incidit Virgini in Templo præſentatæ ſacrum, quo euentu nihil dubitauit Chriſti fidem vniuerſa familia amplecti, & peculiari cultu virginem venerari, & quidem is erat, vt vnus ſaltem ſingulis ſabbathis è familia veniret ad ſacrificium in Virginis honorem celebrari ſolitum, & ad id cohoneſtandum ſemper aut odores, aut cereos, aut quippiam aliud, qui venerat, afferebat.

Ex ijs omnibus, attingo pauciſſima, ne ſimilitudo tædium pariat. nunc de pueris pauca. Puellulus annorum nondum ſex in puerili iurgio ab Ethnicis coëtaneis alapam acceperat, is memor eorum quæ audiuerat, cum oratio Dominica exponeretur, dixit: ego vobis dimitto, ſicut mihi Dominus dimiſit: poſt aliquot dies eum etiam iunior eiusdem ſororcula ſuperauit. nam cum ſimiliter à fratre patientiæ ſuę iam immemore alapam accepiſſet, illa ijsdem verbis plane reſpondit: qua re puer miro rubore ſuffuſus eſt, vbi vidit ſe à ſorore iuniore ſuperari. Alia puella Agnes nomine nondũ bene quinquennis ſupra ætatem Chriſtianæ pietatis officia coluit: Die quadam Ethnici explicata ſupplicantium pompa, ſimulacrum quoddam deferebant, cui nomen Yncon, quod propriæ tenebrarum Principem ſonat: hoc illi monſtrũ ad auertendam cæli inclemẽtiam circumferebant, & cum ad eam Regionem perueniſſent, in qua Pater Agnetis habitabat, ad eum honorandum, quod eſſet vir primarius, in eius domum idolum immittere procurabant: verùm puellula cæteris minimè aduertentibus, ad ianuam accurrit, atque in hunc modum proteſtata dixiſſe fertur: Nos Chriſtiani ſumus tenebrarum Prin-

Condonandæ iniuriæ exemplum in puero & puella.

Puella quædã publicè idolorum eiurat venerationem.

cipe non indigemus, vbi Deus habitat, ibi malignos ſpiritus habitare vel cæli inclementiam eſſe non oportet: atque ita diſceſſerunt. Aliâs etiam cum vrgerent Ethnici parentem, uti in ſupplicationis alterius ſumptum, quæ idolo Vici protectori parabatur, aliquid conferret, ipſe primum illis Decalogi præceptum legendum dedit, quo id facere prohiberetur: ſed nihil admittentes vim parabant: accurrit ad tumultum Agnes, & vociferantibus ſe ingerens dixit; eos qui cæli dominum adorarent, nihil in obſequium ſimulacrorum conferre poſſe, & veritas ex infantis ore profecta, vim habuit, ad importunos idolorum procuratores comprimendos. dixerunt enim, nunc demum ſibi conſtare, id Chriſtiana lege illicitum, quod puella in ea ætate, quæ fraudis capax non eſt, id ita conſtanter affirmaret: Ex his fidei ætatisque præludiis facilè conſtat, quam ad fidem noſtram ſuſcipiendam finæ ſint comparati, cum in hoc naſcentis Eccleſiæ vere his floſculis fructum deinde portendant.

Agnes puella tumultum ſedat.

Hoc etiam tempore fæminarum ſalus quæ pro deſperata habebatur, à noſtris primum cœpta eſt aperiri, hoc vero de illis dici poteſt, etiam viros ſæpè in pietate ſuperaſſe. ea res conſtare poterat exemplis pluribus, niſi mox illuſtre teſtimonium daturæ eſſent duæ treſuúe matronæ nobiles, de quibus mox alia occaſione agendum.

Nec in pagis ſolum Euangelii lux diffundebatur, ſed in vrbem etiam tot iam annos prope deſperatam, eiuſdem radii penetrarunt: ubi è plebe non ſolum multi oculos aperuerunt, ſed è prima nobilitate; ſiue litterarium gradum ſpectes, geſtosque magiſtratus, ſiue opes & familiæ dignitatem. ex omnibus duos ſolum commemorabo; qui ſe ſupra cæteros extulerunt.

Horum alter Ciûm vocabatur, qui poſt litterarium gradum renunciatus erat neſcio ubi magiſtratus, ſed nondum

Duo è magiſtratu fidē ſuſcipiunt Chriſtianam.

eum

cum geſſerat: is annos complures cum noſtris agebat; donec anno ſupra ſecularem primo ſtatuit omnibus ſe remoris expedire, & ad Chriſtianam libertatem aſpirare: eius præſcripto mater & auia primum; deinde ille cum fratre ſuo, ſacro fonte abluti fuerunt; mater nomen Mariæ ſuſcepit, auiæ verò Annæ obtigit. nec diu diſtulit filius domeſticum exemplum: nam Auguſto menſe ineunte Chriſto nomen dedit magno pietatis ſenſu, & Neophytorum gratulatione. cum eo filius ipſius fere decennis Chriſto aggregatus eſt: parens Georgius, filius Vitus eſt appellatus, nec minore pietatis ardore cœpta proſequebantur, cæteris exemplo præibant, & palam ſe Chriſtianos profitebantur, qua re mirùm quantam ſanctiſſimæ legi noſtræ talis familiæ auctoritas celebritatem dederit. neque hic ſtetit in nobili Neophyto pietatis exemplum. cum enim poſt dies paucos demortui fratris filius in ægritudinem incidiſſet, tanto ſtudio animi ſalutem illi procurabat, ut corporis immemor eſſe videretur: verum adoleſcentis parens mirè ſimulacris addicta, ſalubria de filii ſalute conſilia, ne in aures quidem admittebat, verum à patre admonitus, uti cum ipſo iuuene ageret, neque parentem curaret, nam elui facile illum poſſe, etiam illa nihil ſentiente, dum omiſſis aliis ritibus, quæ ſolum neceſſaria ſunt, exhiberentur: nec difficile fuit ab ægro conſenſum impetrare. Patruus igitur eum inſtruit, P. vero Nicolaus velut viſitationis officio perfungens, adoleſcentem baptizauit, & permiſit clemens Dominus uti vita ſpiritualis corporis imminentem interitum propulſaret. ex ea enim ipſa hora quotidianis incrementis in vitam ac ſalutem reuocabatur. ſtupori fuit res omnibus, ſed parenti maxime, quæ tandem fraudem edocta, qua ſalus rediiſſe credebatur, ex admiratione legis illius, cuius vis ab animo in corpus redundaret, in imitationem pellecta eſt, atque ita Annæ ac Mariæ matronis adiuncta, Paulæ in baptiſmo nomen accepit. Præ cæteris

Zelus D. Georgii Neophyti erga fratris filium.

Anna ſe ſemper in ſtudio pietatis euexit, domi ædiculam exſtruxit, eo conſilio, vti ſubinde miſſæ ſacrificium impetraret, quoniam Sinenſium fœminarũ captiuitate domi retinebatur, & ornatus ædiculæ, qui ex pietate prodierat, ipſam quoq; prodebat pietatem: viſum eſt illi parum decere, vti ædiculæ vicina eſſet: eam ergo deturbauit, & alio transtulit. hæ tres matronæ certis temporibus pias de Chriſtianis rebus collocutiones inſtituebant, quin etiam vt augerent numerum, vicinam euocabant, quam audierant in eandem legem tranſijſſe, neq; illas deterrebat vicinæ ignobilitas, quæ apud Sinas non facile permiſcetur, quin etiam ruſticas ex agro ſuburbano mulieres iam fidei communione pares, nihil ab ignobilitate impares eſſe arbitrabantur: eas igitur in colloquium, in congreſſum, in conuiuium etiam admittebant, nec erat qui culparet, ſed potius comprobaret Chriſtianæ modeſtiæ argumenta. in negotijs denique domeſticis nihil inconſulto P. Nicolao aggrediebatur: denique huis familiæ exemplum in alias multas in vrbe ſerpſit, & mirum quanta ſubito animorum commotio vrbem vniuerſam excitarit.

Trium matronarum nobilium feruor in fide ſuſcepta.

Alter de quo dicere ſtatui, celebrior etiam ſuperiore habebatur, cognomento Pheù: is & litteris & propinquitatis ſplendore prudentiæq; fama pene Xauceanus Cato habebatur: ille in publicis negotijs omnibus primus, aut in primis vrbem ſibi deuinxerat: ſternendis vicis, extruendis põtibus, idolorum fanis faciendis vel reficiendis: cum Dominus potenti manu ſibi tandem aggregauit anno ſupra ſecularem tertio, quo die D. Hieronymi feſtiuitatem proponit Eccleſia. annos iam fere vndecim ita cum Noſtris, quorum conſuetudine delectabatur, ita egerat, vt tamen nihil de ſua ſalute cogitaret, quibus elapſis ignis Diuini ſcintillas, quæ ſubinde expirabant, ſe ſenſiſſe narrabat, quatuor igitur annos ea deliberationis alternatio perdurauit: prima illi deſideria è congreſſu

Alterius è Magiſtratu conuerſio.

congreſſu quodam cum P. Nicolao inciderunt: mirabatur quorſum in vicinos pagos tanto labore ſuo excurreret: cui reſponſum; etiam nunc neſcis, quo conſilio ſpontanei exules è patria huc nos ipſos relegauerimus? aduerti ciues in dies magis ac magis veritati aures occluſiſſe: video nũquis fortaſſe per vicos ac pagos ſuæ ſalutis cupidus eſſe velit? hoc enim ſcias velim, mortalium animos apud Deum pares eſſe, nec ea diſcrimina reperiri, quæ ſibi homines ipſi finxerunt: Hæc verba Deo feriente, cor hominis ſauciarunt: & aſſerebat, nunquam horum verborum memoriam ſe in poſterum depoſiturum. Eo ipſo tempore in Pechinenſem aulam illi nauigandum fuit, & quoniam P. Matthæo notus erat, exceptus eſt à noſtris perhumanè. Vidit ipſe, quantum à primarijs Magiſtratibus haberentur Noſtri, quos à Xauceanis ciuibus prope ſperni ſciebat, & opus illi fuit, vti ad Magiſtratus conueniendos Noſtrorum fauorem imploraret: vnde excuſſit vmbras illas, quas externum nomen attulerat, poſtquam vidit Chriſtianæ rei in aula Pechinenſi ſplendorem; deinde in patriam redux fideliter ſparſit, quæ ibi collegerat, & magnam rebus noſtris auctoritatem conciliabat. P. Nicolaus reducem identidem cohortabatur, ſed contra nitentem duo maximè impedimenta mouebant; vnum erat de Diuina prouidentia, quam videret legi ſuæ, ſi ſua erat, aut opitulari non poſſe aut nolle. Difficultatem alteram homini ſuus faſtus effingebat: neque enim facile Sinicis ritibus abijcere ſe volebat, vt aduenam eligeret in Magiſtrum. Hæc ille duo repugnandi capita Lucæ Neophyto cuidam amico ſuo aperuit: ſed ille vtrumque nodum ita diſſoluit, vti tandem dederit manus. quod enim ad primum attinebat; litteratorum ſectæ Principem commemorabat obtrectatorum quoq; maleuolentiam euadere minime potuiſſe: meminiſſet quoque à ſuis Philoſophis ſcribi, eum qui à Deo ad res magnas eligitur: prius varijs caſibus exercendum:

dum: de altero vero nihil eſſe quod repugnaret; neque enim Socios ſolere pro ſua modeſtia ſe pro Magiſtris gerere, aut ſolitos ritus admittere, ſed eos vni Deo mortalium Magiſtro dumtaxat exhiberi. Eum diem lætus habuit cum Neophyto litteratus, & conuiuium cum eo protraxit in concubiam noctem, alia nulla re in colloquium admiſſa.

Die inſequenti vna cum Luca ſuo, domum noſtrã venit, extremam Patri deliberationem ſuam declaraturus; quæ res quo diutius optata, eo alacrius audita. Imbutus eſt igitur, & ſuo tempore baptizatus, Stephani nomen inuenit, è P. Nicolai voto, qui eam rem nouerat, ſi ſe Chriſto aggregaſſet: huius ad Chriſtum conuerſio multorum ſermonibus in vrbe celebrata eſt, & iam percrebuerat; nihil de ea lege dubitandum, quam Xauceanus Cato tot annos excuſſam admiſerat: atque ita fructus ex ea re ſperatus cultores minimè fefellit.

Incendium reſtauratur.

Eo ipſo tempore res accidit, qua Chriſtianæ legis ſanctitas, & nouitiorum inter ſe amor eluxit. forte à Neophyti domo cæperat incendium, & is in medio nationis prauæ viciniam habebat omnem ſibi ex deſertis ſimulacris infeſtam, ac tametſi ſubuenire facile potuiſſent, inter ſe tamẽ conſpirantes abſtinuerunt: Sinamus, aiebant, canes hos, qui Deos ſuos deſeruerunt, ardere: atque ita tota domus arſit, exceptis ſolis habitatoribus, in fuga ſalutẽ conſecutis, maxime vicini Neophyti concurrerant quidem, ſed ſerius: verum quod facere non potuerunt, abunde compenſarunt. nam ſinguli quæ poterant in extruendas ædes contulerunt: Hi nummos, lateres alij, quidam ligna comportabant, alij operas ſuſtinebant. nam ſtipendium ipſi quod eſſent Neophyti, nõ admittebant, denique multi ſupellectilem comportarunt vniuerſam, itaq; iam videri poterat, quod ait ille Poëta, incendiſſe ſuam domum. nam & melior & inſtructior aſſurrexit, & quod incendium abſumpſerat, charitatis flamma reparauit.

Hæc

Hæc in vrbe: ſed & in pagis cum numero pietatis ardor excreſcebat. cuiusdam pagi incolis, cui nomen CinCùn, viſum eſt ædem centum Neophytis, tot enim numerabantur, iam denique extruendam. adhibito igitur in conſilium Patre noſtro, aream capacem elegerunt, & magna celeritate ædem ad tectum euexerunt: in ea, anno quo ſupra Aprilis vigeſimo, primum ſacris operatus eſt P. Nicolaus, eo quo maxime potuit apparatu: Sacrificium ſubſecuta eſt oratio de diſcrimine inter Chriſtianorum ædes, & profana ſimulacrorum fana: ea perorata, ſeſe in genua concio tota prouoluit, Deo præſens beneficium gratulata: nominati ſunt etiam quatuor ædis ac rei Chriſtianæ Præfecti: Aes campanũ ad cœtus adiectum eſt, & præter aquam luſtralem copioſam ad Neophytorum morbos, & cæteros caſus præſentiſſimum fere remedium, ſacros faſtos adiunxit ad ſolemnes dies internoſcendos. Hæc excurſio præter Neophytos, Ethnicos quoque attigit: è quibus baptizati plures & in tyronũ numerum adſcripti, omnes quotquot concurrerant permoti diſceſſerunt.

Pietatis ardor in pagis elucet

Hoc ipſo tempore in aliam agri ſuburbani partem fidei quoque fama penetrauit: eam detulit Neophytus quidã Marius nomine, qui cum ad amicos ſuos eo ſe contuliſſet, de rebus noſtris ſermonem ingeſſit, & permouit multos, ſed maxime ſenem quendam Pagi totius primarium, is præpeditus valetudine, quod per ſe non potuit, per filium ac propinquum alium fecit: hos enim miſit, vt ad ſe Patrem inuitarent, & ſimul ad iter iumenta, cæterumq; miſit apparatum. Iuit eo P. Nicolaus, cum eo ipſo Mario; vix aduenerat, cum bonus ſenex in varias quæſtiones erupit acutas ſanè, & pro tempore accommodatas; bis quoque diſputatum eſt cum alijs ſolemnius: Senex tandem cum vniuerſa familia baptizatus eſt, & Pauli nomen accepit His occupationibus cum detineretur P. Nicolaus, ecce tibi alius nuncius aduenit: æger quidam

duabus ex hoc loco leucis baptiſmum petebat: iam enim aliâs Patrem conuenerat. Iuit quamprimum, ne hæc animula perderetur, ſed & reliquos ita inuenit comparatos, vt non prius inde diſceſſerit, quam triginta probè inſtructos eluiſſet, quos inter vetula quædam numerata eſt, cui Dominus in eam horam viſus eſt vitam protraxiſſe, mox enim à ſuſcepto Baptiſmo ipſo ſenio confecta, in alteram, vt ſperari poteſt, ac meliorem vitam euolauit.

Quibus per eos annos laboribus Xauceana ſedes fuerit agitata.

Capvt Decimvmoctavvm.

Conſilium de ſede Xauceana permutanda.

APertum erat oſtium magnum & euidens, vt ait Apoſtolus, ſed aduerſarij quoque multi. & quidem P. Viſitatoris conſilium erat, cum Xauceo ad ſedem nouam inſtituendam P. Matthæus diſceſſit, noſtris alibi tuto ſtabilitis, Xauceanam ſedem extinguere, vel ob aëris inclementiam, vel ob cõtinuas prope turbas, vel propter ipſam frugis faciendæ deſperationem: Verùm his rebus ita conſtitutis, cum laborum fructus affulſiſſet, qui ſupra narratus eſt, re denuo in deliberationem vocata, nemini viſum eſt, vel ob aëris inclementiam, vel ob turbas imminentes ſpes tantas profundere. itaque confirmata denuo noſtrorum ſtatione, facta ſunt, quæ ſupra commemoraui. Ex hoc porro capite colligere licebit, quantas artes hoſtis humani generis ad hæc euertenda principia inuenerit, & quanta maiore potentia Dominus hæc impoſtoris inuenta diſcuſſerit.

Xauceana ſedes ſtabilitur.

Nulla res alia æque rem vniuerſam diſturbabat, vti prælium à ſanctiſſima lege noſtra implacabile in vanos Deos inſtitutum: quàm enim facile eſt Sinis perſuadere, vti Deum cæli Dominum pro ſupremo Numine venerarentur, ita difficile

eſt ab ijsdem impetrare, vti ſimulacra omnia de ſolio Maieſtatis exturbent, nulloq; ea honore dignentur. non enim ferunt ſimulacra hæc ne inter ipſius quidem Dei miniſtros poſſe numerari, & eo cultu coli, quo à nobis Diui noſtri ſolent. tametſi tot ſæculis gentilitatis tenebris fuerint inuoluti, eo tamen dementiæ non peruenerunt, vt in numinibus, criminũ ſuorum patrocinium, vti fabulantur Poëtæ, vellent reperire; ſed de ijs maximam partem vita narratur, vera ſit nec ne nihil attinet, Ethicis virtutib⁹ mire concatenata, atq; ita ſuſpicientes alioqui legis noſtræ veritatem, ex æquo atque ſanctitatem, volebant tamen à maioribus traditam Diuorum ſuorum memoriam retinere. Difficultatem auget peculiaris in hac gentilitate conſuetudo; neque enim ſolum interdicendæ ſunt ijs, qui ad legem noſtram adſpirant, publicæ in fanis venerationes, quod alibi ſatis eſt, ſed cum ſingulis domibus colluctandum, vti penates ac lares ſuos, cum quibus natus eſt quisque & educatus, & quos pro ſuis tutelaribus habent, ex oratorio detractos ablegent, & indignis, vt arbitrantur modis, tractent, reperti ſunt permulti, qui ne fumum quidem aut cinerem illôrum ferebant, ne dicam vt ipſi domeſticis ignibus damnarent, ſed in flumina demergerent, numquam amplius emerſuros. hæc tamen omnia non parerga ſolum Ethnicis, ſed etiam ab omni humanitate aliena videbantur.

Difficultas auertendi Sinas à ſuis ſimulacris.

Cultus idolorum differt apud Sinas à Poetarum fabulis.

Inter cæteras difficultates eſt illa non minima, quod in Supplicantium pompa vicinos omnes vrgeant, vt in ſimulacra quæ circumferunt, ſumptus conferant, quam difficultatem Neophyti ferè euicerunt, præter cæteras grauem moleſtiam paſſus eſt hoc tempore P. Nicolaus. Sinæ inter idola ſua numerant quoddam, cui nomen Hoaquan impoſuerunt, ideo quod mortalium oculis præeſſe fabulentur, atque ideo tertium illi oculum in fronte ſtatuerunt: hoc monſtrum die quadam ingens turma per vrbem circumgerebat, eò conſilio, vti

Idolum Hoaquam mõſtrosum Socijs moleſtiam attulit

ſtipem ad extruendum illi fanum compilarent: in ædem noſtram denique deuentum, & ad honorandum domus herum, qui libentius hoc honore caruiſſet, idolum in atrium importarunt, priusquam impediri poſſent, tumultu euocatus Pater acceſſit, & quæſijt ex ijs, ecquid vellent: pupugit eos acriter primum, hunc Argum ſuum minime ſalutatum: nam cæteris in ædibus, in quas immittebatur, mille ritibus, cereis, odoribus, nummis etiam excipi ſolebat. Verum quoniam venerant petituri, primam hanc inurbanitatem diſſimularunt: inde expoſitis ſuis poſtulatis, hoc reſponſum acceperunt: placere ſibi hanc indolem pietati addictam; ſed ex animo condolere, eos in eligendo Numine aberrare; ſe, qui vnum cæli Dominum veneraretur, à ſimulacris quolibet modo colendis prohiberi: hic erupit ſoluto ſilentio popularis inſolentia; vrgebant enim incōditis clamoribus, vti daret quod petebatur. Hanc ſupplicantium pompam ducebat litteratus quidam, qui ſe noſtrorum amicum eſſe volebat: ille igitur P. Nicolaum amicè hortabatur, vti multitudini cederet, meminiſſet, aduenam ſe in aliena terra conſtitutum, & quoniam is ita locutus fuerat, vt facile poſſet à multis exaudiri, contentiori etiam voce reſpondit Noſter: ſe ad opera publica, ſternendos vicos, reficiendos pontes, ſemper liberaliter, quoties fuerat rogatus, contuliſſe: verum in idolorum gratiam, ne feſtucam quidem à ſe ſperarent, ex eo, quod id æquè legi ſuæ repugnet, tali ratione parū aut multum dare. Senſit litteratulus non ex auaritiæ ſordibus negari: cæpit igitur inepta diſtinctione litem velle componere. Age, inquit petenti populo, & nō idolo, da quod petit: ſed neque hoc admiſit Noſter, non ideo ſolum quod illicitum arbitraretur, ſed vt licitum cuipiam videri poſſet, expediebat ſemel Noſtros ab his moleſtijs in perpetuum expedire. Itaq; poſtquam varia dicta reſponſaq; ſunt, denique vim inferre minime auſi, cum ſuo ſe oculorum cæco

P. Nicolaus iniquam petionem renuit.

curato-

curatore extra ædem noſtram ſe receperunt, & mille diras imprecati, ſecum pudorem & repulſam extulerunt. Ex his colligas velim, quantis moleſtijs Neophytos afficiant, ſtipem alias pendere ſolitos, cum ab ipſis externis, quos lege diſcrepare conſtabat, ita acriter exigerent. hæ difficultates, quas dixi, communes vbique ſunt ac fere perpetuæ, peculiares aliquas & breuiores tempore, in poſterum commemorabo.

Ibat P. Nicolaus in vnum è Pagis ad colligendam aliquot menſium meſſem, verum zizania ſuccreuiſſe deprehendit: ea inimicus homo adhibitis duobus litteratulis ruſticæ huius Academiæ Magiſtellis ſuperſeminarat: hi enim cum audiſſent, diſcipulos è ſuis quoſdam, ſe inconſultis Chriſtianam legem ſuſcepiſſe, ita excanduerunt, vt ignominiosè multa in legem noſtram ſanctiſſimam, eiusq; præconem effutiuerint, & furorem auxerunt, ex quo Patris aduentum audierunt. His renunciari iuſſit, veniſſe ſe comparatum, vti rationem eorum, quæ dixerat, daret, idque palam coram omnibus, quibus placuerit intereſſe: ſed illi nihil minus quàm veritatem ſectabantur. itaq; ab ignominioſis nominibus inertiam ſuam incuſantes, popularem tumultum ciebant, vt in foro libellum ſcriberent omnes, quo externum idolorum expugnatorem apud vrbis proprium Gubernatorem accuſarent, cuius eſt proxima in ſuburbanos vicos & ordinaria poteſtas. Ad hunc tumultum ſopiendum, vſus eſt P. Nicolaus animi conſtantia, miſit, qui eis renunciaret, vti adderent in libello, eam à P. Nicolao doctrinam euulgari, quam ille ipſe Magiſtratus, ad quem deſtinebatur, tali die, viderat, laudarat, approbarat; eandem quoque eſſe, quam reliqui Magiſtratus vrbani legerant, & auctoritatis ſuæ calculo confirmarant. hoc nuntio in vanum omnia recidere. qui enim concurrerant Magiſtratus audientes, ab accuſatione periculoſa ſe ſubduxerunt. ergo per otium & opinione liberius res Chriſtiana procurata eſt, quin etiam excur-

Tumultus cõtra P. Nicolaũ excitatur.

ſum in nouam ſtationem magno quoque fructu, licet nocturnis ſemper horis in hunc pagum Noſter rediret. his Magiſtelli euentibus fracti, ſeſe in ludos ſuos litterarios taciti receperunt.

Cum P. Nicolaus ex hac excurſione, ſe in domum recepiſſet, perturbatam contra ſe reperit vrbem vniuerſam: recentibus enim litteris nunciabatur, P. Matthæum ac Socios in itinere Pechinenſi ab Eunucho Mathàn progredi prohibitos, in vinculis retineri: conclamatum iam de rebus noſtris eſſe, & Socios vel morte plectendos, vel in perpetua vincula detrudendos, minimè dubitabant: Verum hanc nubeculam diſſipauit aduentus ex aula Neophyti nobilis, quem modo commemoraui. is enim per eam ipſam vrbem, in qua noſtri detenti fuerant, ſeſe tranſiſſe narrabat: quia verò nondum erat Neophytus, valdè mirabatur, quorſum hoc acti hominis in crucem triſte ſpectaculum noſtri circumferrent, è qua prætextum nocendi Eunuchus acceperat, ſed fruſtra. Hic itaque Neophytus Georgius ſuo nos ſermone ab hoc periculo liberauit. Idem cum fratre ſuo & alio propinquo, magno apparatu domum noſtram ingreſſi ſunt, ex quo rumor percrebuit, ſe Chriſtianam fidem velle profiteri. quæ res promulgata aduerſarios fregit, Senioresq; obſeruatores compeſcuit. neq; enim illi contra hos fautores, quicquam tentare audebant. hinc Noſtri maiore cum libertate cæptum Euangelij curſum ſunt proſequuti. Non ita multo poſt Prouincialis Viſitator aduenit, qui aſſeſſores acceperat viros tales, à quibus nihil admodum timere periculi ſibi Noſtri videbantur. alter enim Xauceanæ vrbis erat Gubernator, amicus ac Noſtrorum familiaris: is cum à P. Nicolao die quadam legis noſtrę præcepta decem accepiſſet, miratus eſt abſolutiſſimam numeris omnibus ſanctitatem, ac virtutis apicem altè ſuſpexit, aſſerens, eum qui hæc obſeruare velit, Magiſtratum gerere nequaquam poſſe. hoc

Nobilis quidã Neophytus Socios a periculo liberat.

hoc reſponſum palam pro tribunali dictum, æmuli noſtri non neſciebant, & ſimul ſpem nocendi arteſq; deponebant. de altero Viſitatoris aſſeſſore nihil P. Nicolaus inaudierat, reſque illi noſtras inauditas arbitrabatur, ſed iam ille in aula Pechinenſi noſtros viderat, & familiariter aliquoties cum P. Matthæo congreſſus erat: ille vbi Xauceum aduenit, audiuitq; P. Matthæi ſocium ibi degere, munus eduliorum ſplendidum ſibi eo ipſo tempore ab vrbis Gubernatore transmiſſum, ad noſtros maxima cum pompa per celebriores vrbis vicos miſerat. Viſitatus à Socijs multa de P. Matthæo rebusq; noſtris retulit, ac plura, cum ipſe viſitationis officium rependeret, inter cætera commemorauit, ſe cum Socijs omnibus egiſſe, & duo maxime notaſſe: ſingulos eadem interrogatos eodem tenore reſpondere. vnde conſtare arbitrabatur, eos vnam ſequi veritatem: alterum erat, quod nullo in congreſſu de Deo ſuo meminiſſe omitterent, vnde ipſe iudicabat, eosdem Deo ſuo plenos, in alios hanc plenitudinem velle refundere. His igitur Magiſtratuum fauoribus hoſtes noſtri, metu territi, ne nocere quidem tentarunt, ne periculum in ſeipſos deriuarent. Beneuolentia alterius aſſeſſoris erga Socios

Nec diu tamen deſtiterunt, ſed qui mordere non poterant, cæperunt oblatrare: aiebant magni Occidentis legem quatuor foliculis contineri: facile apparere barbaram eſſe, Idolorum vero ingentia volumina eloquētiſſimè ſcripta, precandi formulas, energumenos liberandi verba ſolemnia, quis non iure non ſuſcipiat? Hæc quoties cum Neophytis congrediebantur, ingerebant: quibus nihil aliud reſponderi poterat, niſi plura eſſe ſanctiſſimæ legis commentaria, ſed nondum per noſtrorum paucitatem ac ſermonis infantiam breuiſſimo tempore in Sinicum ſermonem tranſire potuiſſe. Verum hæc frigidè & gratis dicta criminabantur; Ad extremum Neophyti opprobriis fatigati, libellum ſupplicem, nouo ritu Lex Chriſtiana contemnitur.

ad

ad P. Nicolaum detulerunt, ab eo petebant, vti legem, quã e-uulgabat, ſimilibus opprobrijs eximeret. Nondum eo peruenerat ille, continuis occupationibus auocatus, vti ad ſcribendum animum applicaret: verum ne filios ſuos reieciſſe, & legis opprobria neglexiſſe videretur, aggreſſus eſt opuſcula quædam Neophytis mire accepta, quibus obtrectatorum ora obdurauit: adiutorem adhæc adhibuerat Sinenſem litteratum, quo ex more Noſtri Magiſtro vtebantur. Hæc opuſcula fuerunt primum precum libellus, ad varios caſus inſtructus, officium etiam funebre ac ſepulturæ, Sinicis characteribus expreſſum, ſed latino ſermone nihil, niſi quantum lingua tulit, immutatè: ea res Neophytos, tametſi nihil intelligerent, maximè recreauit: idem etiam in Europa factitari videmus ab ijs, qui Diuina officia recitant latino ſermone, tametſi illius imperiti: hoc enim perſæpe faciunt non ſine ſenſu pietatis: addidit deinde confitendi de peccatis & latebras conſcientię excutiendi formulam, ac denique Deiparæ Virginis opera nonnulla admiranda, & Diuorum aliquot vitam è virtutis præſcripto traductam, ac prima fuit celebris illa D. Damaſceni narratio de Barlaamo ac Ioſaphat. eodem etiam tempore alij è Socijs alia opera ſcripſerant: & quidẽ vtiliſſimus habebatur ille, libellus qui eo tempore à P. Ioanne Xóèrio Nanciani prodijt, quo inſtruere intendebat eum, qui ad Chriſtianã legem aſpirabat: eum libellum Pater in lectulo potius quam in muſæo ſcripſit, nam lentis febribus correptus conquieſcere neſciebat, donec exilis vitæ lucerna ſplenderet, breui enim phthiſi extinctus eſt. Nihil de P. Matthæi Catechiſmo, nihil de ſacris faſtis dico, qui tamen eo tempore opportunè prodierunt his igitur ac ſimilibus opuſculis iam Neophyti, inſultatoribus obſiſtebant.

Pij libelli contra opprobria eduntur Sinico charactere.

Nondum deſtitit humani generis hoſtis inuidentia. Nam per eos dies mira celeritate fama totã vrbem peruaſerat. Noſtros

Calumnia ſpargitur de Neophytis Sciauchinenſibus.

ſtros Sciauchino antiqua ſede pulſos ac omnes, qui Chriſtianam legem ſuſceperunt, pœnas dediſſe. Verum hic rumor Neophyti cuiusdã aduentu Sciauchino ſubitò euanuit. Non abſimile fuit iuuenis cuiusdam inuentum, qui Sciauchini Parentem habebat in publico Magiſtratu: Is Xauceo tranſiens, de noſtris dixit: hos aduenas oportet illos eſſe, qui ante aliquot annos Sciauchini turrim extruxerãt, & in ſpeluncis ſub terraneis horrenda flagitia committebant, quos deinde deprehenſos fuga ſibi conſuluiſſe narrabatur. Verum in eadem Prouincia ſub eodem ipſo Prorege, prope in Sciauchinæ vrbis conſpectu, fugitiuos latitaſſe, cui credibile videri potuiſſet, maximè quod vix cuiquam ignotum eſſet, Noſtros ab ipſo Prorege Xauceum miſſos, eius diplomate munitos ædem extruxiſſe: vnde hæc in tenebris orta lux veritatis facile diſcutiebat. Amplius nocuit, quod nunc ſubiungo. Hiſtriones neſcio qui venerant Amacao, & in Xauceanis nundinis multa pinxerunt ac finxerunt, quidquid Sinę in Luſitanis horrent, certis in tabulis fœde depictum viſebatur: & omiſſis ijs, quæ de habitu breuiore ad riſum commouendum propoſuerant, dicam, quid in Chriſtianæ legis profeſſoribus culparunt: Primum homines gladio accinctos, in Templis precatorios globulos decurrere; imitabantur eos, qui altero poplite flexo Deum venerarentur; in alijs litigantes ac digladiantes referebant; permixtas etiam viris fæminas, quod Sinæ ſummopere horrent, criminabantur: hæc omnia vel in pictis tabulis viſebantur, vel ab hiſtrionibus ſpectanda præbebantur. quid non ibi dixerunt, quid omiſerunt, quod in legis Chriſtianæ opprobrium cedere arbitrabantur. Verum non tantum potuerunt abiectiſſimi homines Chriſtianæ legis auctoritatẽ deprimere, quantum eo ipſo tempore Deo iniurias reſarciente, Magiſtratus omnes vrbani ad vnum extulerunt, & notatum eſt à multis, eo ipſo vico ac loco, vbi hiſtriones in Chriſti legem oppro-

Alia calumnia reprimitur.

Hiſtrionũ calumnia picturis oſtenſa.

bria congeſſerant: paucis poſt diebus P. Nicolaum grauiſſimo Magiſtratui occurriſſe, eumq; ſella geſtatoria deſcendentem, ſolitos vrbanitatis ritus expleuiſſe; alium eodem loci Patrem in medium vicum honoris cauſa deduxiſſe.

Hactenus leuia commemorauimus, grauius eſt omninò, quod ſequitur, nec à Noſtris reſcitum prius, quam Deo cauſam noſtram agente, res tota compreſſa eſſet, ne arbitraremur fortaſſe aliquid ad medendum induſtriam humanam attuliſſe. Xauceana ſedes, vti ſupra commemoratum eſt, in area vicini fani aſſurrexerat: ea res dudum ſacrificulos pungebat, ſed ad Magiſtratuum auctoritate deterriti, intra ſtomachum iras continebant, & quidem toto eo tempore, quo noſtri minus cum idolis egerant, quam in hac Neophytorũ turba nunc agebatur, ferre vltra non potuerunt, idolorum ſuorum fumum ac nidorem, quem ex vicinia ventus in fanum deferre poterat, aut fama rem minime ſecretam non patiebatur ignorare. Ergo cum alijs multis coniurati, libellum in Noſtros ſcripſerunt, eumq; ad Progubernatorem hominem largitionum cupidiſſimum, qui hoc negotium haud grauatè ſuſcepit. Venerat forte Magiſtratus quidam ſane grauis, quorũ ordo à Sinis Tauli appellatur, eum certis temporibus ſolemne eſt concionem euocare, & populum vniuerſum ad virtutem exhortari, qua cohortatione perorata, Progubernator ad oratoris genua ſe prouoluit; ibi dicere cæpit; externos quoſdam Sacerdotes huius fani aream vſurpare, cætus tumultuantis plebeculæ cogere conſueuiſſe, petere ſe, vti hunc Reipublicæ metum eriperet. hoc ipſo tempore rei totius inſcij noſtri domeſticum ſacellum exornabant, rati quod euenit, ipſum Tauli in reditu Noſtros inuiſurum. iam enim ſecundo P. Nicolaus illum conuenerat. Quid igitur eum reſpondiſſe arbitraris? cui videri poterat in aduenarum fauorem Progubernatorẽ verecundia ac pudore ſuffundendum? ſed hæc eius

Socij propugnantur ab Oratore Tauli.

ſunt

ſunt opera, qui hominum corda moderatur. dixit igitur coram vniuerſo populo; cõſtare ſibi hos magni Occidentis prædicatores (ita enim ſæpè Noſtros vocant) viros probos eſſe, in eo ſitu ex Proregis facultate ædes ſuo ſumptu extruxiſſe, nemini moleſtos eſſe, nec à Magiſtratibus aut popularibus quicquam poſtulare: quod ad cœtus hactenus commemoratos, nemini mirum videri debere, ſi viri probi per tot annos amicos plures ac familiares ſibi conciliaſſent. Obmutuit ad hæc Progubernator, & pudorem vultu præferens, exhibito ritu ſe ad latus cum reliquis Magiſtratibus recepit. occaſione ex noſtro negotio ſumpta, Magiſtratus ipſos in hunc modum exhortari cæpit: Meminiſſe nos oportet, quod beneficijs è cælo donati ſimus, cum præ cæteris litterarum & honorum gradibus fruamur; hæc nobis officia Rex tradidit, vti plebem ſuo nomine gubernemus, ne igitur rem indignam vel cæleſtibus vel Regiis beneficijs aggrediamur, ne innocentes largitionum cupiditate perſequamur, id enim certo nobis conſtare debet; male parta male dilabi, neque nobis neque poſteris noſtris profutura. Hæc & ſimilia vbi peroraſſet, concionē dimiſit, q̄ nihil ęque mirata eſt, quam ita luculente aduenarū patrocinium ab eo ſuſceptum, contra eum maxime Magiſtratum, qui primas in vrbana Republica gerebat. Egreſſus igitur fano patrocinator Tauli, domum venit cum vniuerſo Magiſtratuum & pene totius populi comitatu: eum excepturus in veſtibulo prodijt P. Nicolaus in eo habitu, quo litterati ſolent. Mira fuit & ſupra ſpem humanitas, quam ipſe quoque Pater admirabatur: nondum conſcius eorum, quæ in fano contigerant. ingreſſus eſt in tenuem noſtram bibliothecam, & librum accipiens digito monſtrauit, quid ſibi vellet explicari. Reſpondit P. Nicolaus, id eſſe diploma, quo facultas ab eo Magiſtratu fiebat librum edendi, cui ea res incumbit: eam enim eſſe Europæis conſuetudinem, ne qui errores aut ineptiæ contra

Orator Tauli dicit ad Magiſtratus.

Tauli Socios inuiſit.

bonos mores euulgentur. ille ad accuſatorem noſtrum conuerſus, is enim erat proximus, quanto ordine omnia in ea Republica geri certum eſt, quæ hanc circumſpectionem in edendis libris ſolet adhibere. E bibliotheca in ſacellũ deductus eſt, ſed neſcio cuius maleuolentia ſubducta clauis, ianuam aperiri non ſinebat. miſit ad feneſtram, ſed neque illa recludi potuit. iam abibat ipſe Tauli, verum veritus P. Nicolaus, ne ea res æmulis occaſionem daret ſpargendi Noſtros ibi neſcio quid occultaſſe, q oculis illius ſubtractũ vellẽt. inſtitit, vti tantiſper expectaret: neq; enim velim, inquit, te abire niſi ſpectato ſacello, q in tui gratiã exornaui: vim igitur fieri iuſſit, & ſeram ipſam excuti, quod ille humaniſſimè actis gratijs compenſauit: ingreſſus eſt igitur, & vidit omnia, ac denique poſt exhibitos imagini ritus, & varias quæſtiones, quas breuitatis cauſa omitto, diſceſſit. Satis eſt intelligi eas omnes eo ſpectaſſe, vti cuncti intelligerent, & Noſtrorum maxime delator, quàm iuſtè in fano cauſam noſtram ſuſcepiſſet. De ſubducta claue oſtendit quantũ ſibi diſpliceret. qui ergo eam ſurripuerat, ne deprehenderetur, in hortulo noſtro inter herbas abiecit, vbi deinde reperta eſt, domo digreſſus, diu etiam queſtus eſt, mirari ſe, reperiri nonnullos, qui virtutis ac legis profeſſores maximè aduenas vexarent: & hæc ita cõmemorabat, vt à plurimis audiretur. digreſſis iam omnibus, gratulatum amici venerunt de tam inſigni protectore, ac narrarunt adhuc neſcijs, quid in fano contigiſſet. Diu deinde durauit hæc hominis amicitia, imo accuſator ipſe varijs officijs accuſationis iniuriam reſarcire deinde conatus eſt: Pechinum etiam cum ſe poſtea contuliſſet, Noſtros familiariter inuiſit, & P. Matthęo narrauit poſteriora officia, ſed de accuſatione mirum vtrimque ſilentium: neque enim reijciendus erat, qui ex accuſatore amicus fieri velle videbatur.

Tauli protector Sacellum intrat.

Nondum humani generis hoſtis artes ſuas, nondum maleuolen-

ſeuolentiam depoſuerat: forte ſiccitas erat diuturna, & terræ fruges in periculum vocabantur. Multa erat in vrbe ſupplicatio, indictum ieiunium, interdictum per dies aliquot macellum, ante ſingulas ædes cerei odoresque ab idolo quopiam imbrem eblandiebantut. Ipſe infimus & peculiaris oppidi Gubernator vna cum ſenioribus è populo pedibus habituq; vulgari certis in regionibus è cælo genu flexo & inclinato ſæpius corpore, imbrem pluuiam poſtulabant. Sed incaſſum omnia. nam etiam ipſi ſacrificuli nihil choro perpetuo à ſurdis idolis audiebantur. Damnatis igitur ſimulacris vrbanis, celebre quoddam in eo caſu monſtrum ex agro ſuburbano in vrbem aduexerunt: Monſtro Locu nomen erat. Circumfertur ſimulacrum, adoratur, donatur, ſed eodem, quo Socij, euentu obſurduerat. Vnde prouerbium plebi natum: Locu iam ſenuit. In pagis etiam ſuburbanis eadem pietas impia feruebat. In Neophytorum pago quodam, Ethnici vetulam cōiectatricem conſuluerunt, quid hoc rei eſſet, quod à nullo ſuo Numine audirentur: Illa reſpondit; Indignatam Quonyn (Deæ nomen eſt) tergum ſibi quotidie amburi: notabat Neophytos idola ſua concremantes. Ergo hoc reſponſo velut oraculo non ſecus in Chriſtianos incenſi ſunt, quam ſi proprijs manibus fruges omnes incendiſſent. Ergo coniuratum eſt à multis fore vti Patrem ſi denuo reuerteretur, è medio auctorem malorum publicorum tollerent, & vna Marium Neophytum, qui prope perpetuus erat Patris Nicolai comes. Audijt hoc ab Neophytis Pater, & vna cum Mario aduolauit, ne martyrij ſpem abijceret, aut Neophytos in hoc tumultuantium diſcrimine poſitos metu deſeruiſſe videretut. Venit igitur & inuenit quotidianis Neophytos diſceptationibus laceſſitos viciſſim hoſtes animosè laceſſere. Aiebant quæ ſe ab incendio eripere non poteſt, vnde aquas habebit ad imbrem depluendum, quas ſi haberet vſura illis videbatur ad incendium à ſuo

Terræ ſiccitas.

Poſtulatur pluuia à Monſtro Loca.

Anus conſulitur.

P. Nicolaus Martyrij cupidus.

corpore reſtinguendum, ac ſi fortaſſe nobis non pluit, quidni vobis ſubuenit, aut ijs in locis, vbi Neophytos incendiarios miſeræ Deæ nullos eſſe conſtabat. Ita Neophyti cum Ethnicis ludebant pluit denique ad agrorum ſatietatē, & vna cum ſiccitate reſtincta eſt ſitis ſanguinis Chriſtiani. Coniurati ſiluerunt, imò iam mollius loquebantur licere cuiq; quam maximè velit legem ſequi. hanc mutationem fecerat audita iam Tauli in fano ſermocinatio & ſuſcepta rerum noſtrarum protectio. Tantum valet in vtramq; partem moderatorum auctoritas, quam experimur à Deo huic Eccleſiæ nouellæ ſuaui prouidentia his initijs procurari, nec eam tentari ſinit ſupra vires, ſed paulatim facit cum tentatione prouentum.

Nanquinenſis Eccleſiæ progreſſus.

Capvt Decimvm nonvm.

P. Catanæi laborum fructus

NVnc tandem tempus monet, vti alterius Regiæ Nanchinenſis domicilij ſtatum perluſtremus. in eo noſtri Sacerdotes duo reſidebant, P. Lazarus è Nanciano euocatus, P. Ioannes Roccia. P. Cataneus benè cæpta fouit & auxit, amicitias Magiſtratuum iniuit, Neophytos non paucos Chriſto aggregauit, in his Pauli primi Neophyti filium Martinum nomine, vxorem etiam, ac familiam denique vniuerſam. Inde Amacaum valetudinis curandæ gratia eſt reuerſus. Idem vtriusque rei ſtudium, qui ſucceſſit Socius accurate promouit: atque ita primo biennio Neophyti ſupra centum excreuerant. eo ipſo tempore diem extremum obijt Paulus, Neophytorum Nanchinenſium ductor, annos natus quatuor ſupra ſeptuaginta: is magnam ſalutis ſuæ ſpem dedit, maxime ardore illo incredibili rei Chriſtianæ, quoad vixit, promouendæ. Solebat enim optare aliquot vitæ annos, ex quo Chriſto nomen dedit, eo ſolum nomine, vt exemplo ſuo & auctoritate nonnullos

Paulus primus Neophytorū ductor diem obit extremū

nullos

nullos ad imitationem permoueret: nec minus, quam Xauceanæ Matronæ, de quibus ſupra, domeſticum ſacellum perelegans extruxit, ad domeſtica ſacrificia fæminis celebranda: addidit etiam ad latus cubiculum, quo ſe celebraturus è Noſtris Sacerdos reciperet: vix ædiculam finierat, cum Dominus illum ad ſe ſenili morbo percuſſum, euocauit: & tamen efficere non potuit ægritudo, quin primo, quod ibi celebratum eſt ſacrificio intereſſet. eo in morbo de peccatis confiteri omnino voluit, & id non ſemel, & qui primas in baptiſmo tulerat, primus quoque pœnitentiæ in ea ciuitate ſacramentum obiuit. Inde magna animi tranquillitate diem extremum clauſit. Filius eius Martinus Parente non fuit inferior: in ea etenim regia primus vetitos Chriſtianis legibus in funere procurando ritus omiſit, nihil hominum obloquia veritus, ac ſolum ijs vſus eſt, qui ſunt è more Chriſtiano: & quidem magno aliorum exemplo. Et reuera non pauci defuerunt obtrectatores, qui eam rem ex ſuo quisque ſenſu criminarentur; prius quam funus efferret, (nam Sinæ ſuorum cadauera diutius aliquando domi retinent, vt ſupra ſæpius dictum eſt) ab importunis hortatoribus, ſeſe heroico ſanè facinore liberauit. primus enim auſus eſt, publica inſcriptione, fidem Parentis, ac ſuam profiteri: nam loco publico ſtatuit ſchedulam legendam, qua ſignificabat, Parentem ſuum repudiatis idolis, Chriſti fidem amplexatum, extrema ſuæ voluntatis ſignificatione vetuiſſe, ne ad ſuum funus ſimulacrorum ſacrificuli, vel quidquam aliud, quod eam ſectam redoleret, admitterentur: ſe igitur Parentis ſui fidem ſectari, & extremam exequi voluntatem. Domi quoque noſtræ, & eos dies optimo ſeni Eccleſiaſtico ritu parentatum eſt, qui ritus Neophytis eos primum ſpectantibus, magnopere placuerunt. Redijt deinde recuperata tantiſper valetudine P. Cataneus, & inſigni, quam attulerat Dei Parentis effigie, cui etiam ſacellum nouum concinnauit, Neophyto-

Filius parenti ſuo parentat ritu Chriſtiano.

phytorum feruor accreuit; ſed eo ipſo anno eadem oppreſſus ægritudine, denuo Amacaum renauigauit.

Conuerſio cuiuſdã illuſtris.

Venio nunc ad illuſtris conuerſionis per eos dies in hac Eccleſia nouella exemplum. Senex quidam annos natus octo ſupra ſeptuaginta, è regione domus noſtræ habitabat, militarem olim præfecturã moderatus, in filium hæreditatẽ omnem transmiſerat, is explorata Chriſtianæ legis veritate per famulos, facilè acquieuit; Filius natu maximus, cum ad ſimulacra tradenda ventum eſſet, vehementer repugnauit, ſe iam familiæ caput ab ipſo parente conſtitutũ, familiam q; velle ſuo modo moderari. Longum inter vtrumq; fuit certamen, ardor tandem fidei & gratiæ parentis euicit. ergo ſumptis animis die quodam ſeruis duobus iam Neophytis & accerſito vni è Noſtris mandat, ipſo filio præſente, vti quotquot erant domi miſerorum Deorum ſimulacra in pyram apud Noſtros extruendam exportarentur. Obſtupuit ſpectaculo filius, & parentis auctoritatem reueritus, vim afferre non eſt auſus, ſed omnem tamen furoris impetum iniuriarũ multitudine in ſeruos euomuit, quæ duobus ſpolijs onuſti, contumelijs ac idolis, domum noſtram cum ipſo ſene peruenerunt: ibi damnatis incendio incendiarijs, eo maiore ſolatio ſacras baptiſmi aquas admiſit, quo eas cupiditate ardentiore expetiuerat; filiusque tandem remittente ſe vi furoris Noſtris conciliari voluit, ſed ſalutem tamen ſuam non admiſit. Alius per eos dies cognomento Ciù, elutis per Baptiſmum maculis, in grauem inciderat morbum, vbi vitæ ſuæ videret imminere periculum, per confeſſionem etiam peccata poſt Baptiſmum commiſſas expiare voluit, & Euchariſtiæ ſe Sacramento munire, vxori præcipiens, vt ſepulturam ritu Chriſtiano peragеret, effecitque ipſa vna cum famulis vti in eandẽ ſecum fidem conſpirarent. Hæc omnia cum magna Neophytorum admiratione facta ſunt.

Mira alterius conuerſio.

In pagis etiam vicinis Chriſtiani nonnulli adiuncti ſunt, ædicula extructa apud primarium Neophytum, cuius ædiculæ curam illius vxor ſola ſuſcepit, & eam nitidam ſplendidamque conſeruat. eò Noſtri quandoq; ad Miſſæ ſacrificium excolendosq; Neophytos illos itabant, & tanta cura Neophyti euocabantur, vti omnes conuenirent, nec hæc ſolum officia, verum etiam quæ olim Martha Chriſto Domino exhibebat, eidem illa cognominis, ſimilia Noſtris charitatis officia exhibebat.

Matrona quædam Marthæ officio fungitur.

Anno inſequente rei magnæ principium datum eſt. nam in hac domo Paulus ille præclariſſimum huius Eccleſiæ lumen Chriſto adiunctus eſt, de quo multa lectorem ſperare iubeo, hunc enim Deus elegit ad huius naſcentis Eccleſiæ ornamentum. Natus erat in vrbe Scianhai octidui fere à Nanchino intra eandem prouinciam: erat is litteratus inſignis, ingenio admirabili, & innata indolis bonitate. ille in litteratorum ſecta maximè deſiderauerat, quod illa maxime reticet, de vita altera, & immortalis animi ſtatu (neque enim apud Sinas vlla ſecta immortalem animum planè negat) audierat, ex idolorum ſomnijs multa de cæleſti gloria ac fælicitate commenta, ſed vt erat acri ingenio, neſciebat, niſi in ipſa conquieſcere veritate. Anno igitur 1597. in Licentiatorum examine Pechini renunciatus erat primus; qui locus habet annexam ſecum maximam dignitatem; ſed tamen minus fortunatus fuit in Doctoratu conſequendo, quam ille repulſam inter beneficia Dei numerabat, & ſuæ ſalutis cauſam aſſeuerabat. cum enim vnicum filium haberet, veritus merito fuiſſet, ne familia interiret, à quo natura Sinæ abhorrent ſupra modum, ſed vna cum fide, bona illi omnia deuenerunt: poſteritas aucta eſt Nepotibus è filio duobus, & proximo examine Doctor eſt renunciatus. Anno quarto poſt Licentiatus gradum adeptum in Doctorum numerum erat cooptatus, ſed infortunio maxi-

Nulla ſecta apud Sinas immortalitatem animũ negat.

mo excidit: eo quod pro trecentis ſcriptionibus vnam incautè ſuperaddidiſſet, quod legibus erat vetitum, atque ita ſupra modum mœſtus in Cantonienſem Prouinciam ſeceſſit, ne reditum quidem ad ſuos ferens. ibi Xaucei primum in Noſtros incidit, & P. Cataneum, qui tum ibi conſidebat, allocutus eſt, imaginem Chriſti Seruatoris ſalutauit: Nanchini deinde anno ſeculari P. Matthæum conuenit, ac de rebus fidei noſtræ, de qua iam inaudierat, cæpit miſcere ſermonem, ſed ita per tranſennam, quod in patriam properaret, vix vt aliud tum audiuiſſe credatur, quam Numen id quod nos profitemur, rerum omnium primum eſſe principium. Verum Deus eum per ſeipſum voluiſſe videtur illuſtrare. auguſtiſſimum enim illi ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium per quietem adumbratum eſt. in Templo quodam tria ſacella conſpexit, in primo figuram vidit vnius, quem ab aſtante Deum Patrem audijt appellari; in ſecundo effigiem ſpectauit alterius cum Regio diademate, illum audijt Deum filium nuncupari: vtramq; figuram in vtroque ſacello iuſſus eſt venerari: in tertio nihil vidit & nihil veneratus eſt. fortaſſis enim noluit Deus optimus maximus eum columbæ ſpecie, qua Spiritum ſanctum ſignificamus, adhuc Ethnicum hominem offendere. nullum enim apud Sinas Numen colitur, vlla in ſecta, niſi humana ſpecie effictum, huic deinde Nanchini cum Trinitatis myſterium enuclearetur, meminit quidem ſomnij, ſed ſiluit tamen, quod alia occaſione audijſſet à Noſtris, ſomnijs fidem non habendam. poſt multum tamen temporis cum Pechini narraret P. Matthæus, multa Deum olim ſeruis ſuis in ſomnis renunciaſſe; quæſijt ex P. Matthæo, liceret nec ne quibusdam ſomnijs fidem adhibere, & tunc narrauit magna exultatione, quod commemoratum eſt. Sed ad eius conuerſionem ad Chriſtum redeo. Anno ſupra ſæcularem tertio Nanchinum iterum ad priuata negotia redijt, & P. Ioannem Roëcia viſitauit: in ædem admiſ-

Litteratus ille Paulus mirè à Deo viſione SS. Trinitat. illuſtratur.

Num ſomnijs habenda fides.

ſus,

ſus, Dei parentis effigiem veneratus eſt, & nonnulla de fidei noſtræ capitibus inaudijt, quibus ſubito ita affectus eſt, vt omnino eam amplecti ſtatuerit, atque ita totum eum diem ad noctem vſque magna animi contentione & gratulatione præcipua fidei noſtræ capita percepit: Domum retulit Chriſtianæ doctrinæ compendium, & P. Matthæi Catechiſmum manu ſcriptum, nondum enim in lucem ea editio prodierat, noctem integram hos duos libros perlegit, & nihil non placuit, die igitur inſequenti redijt, & iam Chriſtianæ doctrinæ compendium memoriæ commendarat. Rogabat P. Ioannem, vti ad harum rerum explicationem ſeſe accingeret, & quam maximè poſſet celeritate (nolebat enim ſine baptiſmo domum redire) quo eum exeuntis anni anguſtiæ reuocabant. P. Ioannes vt experiretur, ſerio loqueretur nec ne, dixit; opus eſſe, vt octiduo toto ſemel ſaltem domum veniret quotidie ad hæc audienda: Verum ille, non ſemel inquit, ſed ſecundo: quod etiam præſtitit accuratiſſimè, ac ſi forte domo abeſſet P. Ioannes, Magiſtrum adhibebat, aut è fratribus vnum, aut è ſtudioſis noſtris, à quibus res Chriſtianas audiebat. per otium igitur inſtructus, eo ipſo die baptizatus eſt, quo patriam repetijt, vnde binas ſtatim litteras ſcripſit, quibus facile oſtendebat, quam altè Chriſtianæ legis myſteria imbibiſſet. Paucos poſt menſes Nanchinum redijt, denuo recudendus, & recto itinere domum noſtram venit, ne quemquam alium prior ſalutaſſe videretur. Itaque Pater eum domi noſtræ excepit, & dies minimum quindecim retinuit, magno domeſticorum ſolatio, & hoſpitis fructu, quotidie miſſæ ſacrificium audiebat, & multa quærebat, vti nihil de Chriſtiana fide ignoraret. Pœnitentiæ quoque Sacramento frequentando inſtructus, quoties ad nos redibat, idem magno ſuo ſolatio iterabat. maximè id fecit, cum Pechinum ad tentandam denuo Doctoratus aleam rediret. ſed tunc veniebat cum exultatione, portans ma-

Paulus litteratus itic eximius ſacro fonte abluitur.

nipulos ſuos, duobus enim litteratis & alijs aliquot amicis ſuis perſuaſerat iam in patria, vti Chriſtiana ſacra complecterentur, & iam abdicatis idolis, ſacras orationes eo Magiſtro didicerant, & non ita multo poſt baptiſmo ſimul omnes eluti fuerunt.

Miraculum de quodam ęgro qui & corporis & animi ſanitatem accepit.

Claudam hoc caput breui narratione rei cuiusdam, quæ miraculi ſpeciem videtur habuiſſe. Extra primos Nanchinenſis vrbis muros iacebat æger, ſex totos annos membris omnibus diſſolutis; in eam vrbis Regionem forte P. Ioannes conceſſerat ad alios Neophytos viſitandos. miſit æger, qui ei renunciaret, velle ſe fieri Chriſtianum: accurrit lætus nuncio Noſter, Chriſtianę doctrinæ compendium tradidit: didicit æger, inſtructus eſt, baptizatus eſt per otium, & ſuo tempore eo lauacro non animus ſolum, ſed & corpus ſalutem inuenit. nemo fuit ex vniuerſa illa vrbis regione, qui non eam rem pro Diuino prodigio celebraret, ſed maiore tamen applauſu, quã fructu. nam omnes illius regionis incolæ perpetuo ieiunio ſeſe idolis aſtrinxerant, & in ea ſecta tuenda hoc hominum genus pertinax habetur in primis.

P. Emanuel Diaz ab Amacaenſi Rectore in Sinenſem expeditionem mittitur.

Capvt Vigesimvm.

In Iaponia Inſula, quæ vna cum hac expeditione vice Prouinciam Societatis noſtræ conſtituit, diem ſuum obierat P. Petrus Gomez. Propræpoſito Prouinciali, cui ſuffectus erat P. Franciſcus Paſius, olim in hanc ipſam expeditionem miſſus ex primis, quam deinde collecto iam dudũ amore, magno ſemper ſtudio promouit. P. quoque Viſitator Amacaum miſerat in eius Collegij Rectorem P. Valentinum Carualium, & quoniam vacabat P. Emanuel Diaz Exrector, & apud

& apud Sinas noſtrorum paucitas in quatuor domicilia diſperſa vix conſiſtebat, eiusq; ſuperior P. Matthæus neceſſario in aula detinebatur, longiſſimè à reliquis domicilijs, ad quæ non licebat excurrere, multa neceſſario indeciſa remanebãt. Accedebat, Nanciani periculoſo morbo ſenſim cõfici P. Xöerium, ideo miſſus eſt ad viſitanda tria illa domicilia magis ad Auſtrum, ſed ſub ipſo P. Matthæo miſſionis Superiore, ſine cuius arbitratu nihil ſtatueret, hac viſitatione perfunctus, iubebatur P. Xöerium interim comitari, dum quid noui ſtatueretur. Hanc electionem P. Emanuel ita accepit, velut cui funes ceciderunt in præclaris, magnopere enim afficiebatur ad hanc expeditionem, & eam Amacaenſis Rector ſtudioſè promouerat, nihilo minus reliqui Socij in eius aduentu exultarunt, & communibus litteris ad Viſitatorem ſcripſerunt, ne qua ex cauſa ſibi tantus operarius tolleretur.

P. Emanuel viſitat aliquot domicilia apud Sinas.

In his ſedibus multa erant, quæ nouus Viſitator, non ſatis tuto ſtatuere poterat, niſi prius communicaſſet cum P. Matthæo conſilia; multa igitur cum P. Cataneo in deliberationem vocabat, & in ſua commentaria referebat, quæ deinde cum P. Matthæo conferret. ea igitur ex cauſa poſteaquam ſingula domicilia luſtrauit, Pechinum eſt euocatus, quod perutile fuit, ad res domeſticas in commodiorem ordinem redigendas. flumine vectus eſt nullo prohibente, adhibito in ſocium Fratre noſtro Iacobo Niua natione Sina, ſed apud Iapones nato, qui apud Noſtros in ſeminario artem pingendi non mediocriter fuerat aſſecutus, quem inde ab Iaponia P. Viſitator huic expeditioni deſtinarat: & poſtquam ſe aliquot annos nobis probaſſet, in Societatem eſt cooptatus. Duos menſes P. Emanuel Pechini ſubſtitit, & conſtitutis cum P. Matthæo permultis, in Auſtrales noſtrorum ſedes redijt. Nanchino Nancianum ibat P. Cataneus eo conſilio, quo prius non ſemel iuerat; verum Xaucei ſubſtitit, vbi paulo melius habere ſe ſenſit.

P. Emanuel Pechinum nauigat.

Pechini res Christiana promouetur.

ſit. Iam Pechini P. Matthæi ſocius P. Didacus Sinenſem ſermonem didicerat, imò & characteres ipſos accuratè. ergo ab vtroque cæpta Chriſtiana res promoueri, fideiq; noſtræ capita inculcari, quibus faciles aures cuncti, animum vero aliqui etiam præbebant; nec ij ex infima gente, ſed fere litterati, quos inter repertus eſt vnus, cognomine Chò, qui vxorem habebat ſororem, primariæ huius Regis coniugis; quod tametſi non tanti eſt, quanti apud Europæos, habet tamen etiam ſimul cum opibus non exiguam dignitatem. In his etiam numerandi ſunt filij duo protomedici Regij, quorum alter iam primum inter litteratos gradum erat aſſecutus. Ludi Magiſter etiam quidam Præſidis vnius Tribunalis propinquus, & alter eiusdem Prȩſidis nepos, qui prius à Patruo legis noſtræ ſuſcipiendæ facultatem impetrauit, & videbatur præſentire non diurnum fore legis recens à ſe ſuſceptæ laborem, tantus erat in eo ſuſcipiendo ardor. nam intra menſem recenti etiam nũc innocentia puram, vti ſperare fas eſt, animam exhalauit: magnum fuit eius deſiderium, quod vna cum eo magnæ ſpes interijſſent. His adde memorabilem cuiusdam litterati nobilis ad Chriſtum conuerſionem. Filius erat Magiſtratus non infimi, & ipſe in Bello Coriano militum turmam duxerat, eoque munere bene geſto ab Rege ſibi ac poſteris ſtipendiũ impetrauit, non ita facilis fuit huius victoria: erat enim Ethnicis erroribus perditè intricatus, præcipuè ſuperſtitioſis illis è ſtellis & naſcentium ortu prædictionibus, verum edoctus eſt, in his ſæpè dæmonum artem ad fallendos homines immiſceri, ne ſi nihil ſuccederet, hi ritus omnes pro ineptijs, vt vere ſunt, haberentur. tandem igitur velut excuſſo graui ſomno ad res Phyſicas ac Metaphyſicas deductus, oculos aperuit veritati, & accuratiſſime inſtructus, quo die ſancti Apoſtoli Matthæi gloriam celebramus, in Chriſtiano fonte renatus eſt, anno ſupra ſæcularem ſecundo, Paulus dictus eſt. nos eum Li Paulum hacte-

Nonnulli conuerſi ad fidem.

Nobilis litterati conuerſio.

hactenus vocabimus, adiecto cognomine, ne cum altero Paulo, de quo nuper, confundatur. nam vtriusque frequens erit vtcumque ſermo: Vix alius fuit his initijs, qui ardentius Chriſtianam pietatem ſibi coleret, vel ſtudioſius in alijs promoueret: De eo dicam pauca, nam cui non erit gratiſſimum, has huius noualis primitias, & velut precoces fructus prælibare? bibliothecam habebat ſane copioſam, ad quam expurgandam, triduum totum ab eo noſtrisq; conſumptum; libri ſacris legibus vetiti, in fauillam auolarunt, & omnes prope de hac coniectandi arte præcepta tradebant, ac fere manuſcripti, & ideo cariores, aut labore aut ſumptu. partem in eius atrio, partem domi noſtræ exuſſimus, idque eo auctore factum eſt, vt pluribus conſtaret, in melius mutatæ Religionis propoſitum, ne importunius vt olim ab Ethnicis ad antiquas nugas euocaretur: è Neophyto ſubitus, vt Sinæ ſolent factus eſt diuini verbi præco: Parentem ſuam, vxorem, filios, magiſtrum, ſeruos, ancillas, familiam deniq; Chriſto adiunxit vniuerſam; idque intra breue tempus. è famulis repertus eſt vnus, cui cum ab Hero vehementius ſuaderetur, vti cæterorum exemplum ſectatus, Chriſti fidem amplecteretur, deſperate pertinax iurauit, inuſitato quodam ſacramento, ſe id nunquam præſtiturum, & in ſacramenti confirmationem digitum ſibi vnum amputauit, & in ignem abiecit, ſed tamen ſeruilē pertinaciam herilis induſtria peruicit: cum ſeruo varijs blanditijs agebat, ſecum varijs corporis afflictationibus & frequenti flagellatione à Deo ſerui ſalutem exorabat, ille demum vtroque victus, vna cum vxore conſerua pertinaciæ pertæſus, tandem aliquando manus dedit. neq; domeſticis ſolum finibus ſeſe inflammatum eius ſtudium tenuit; nam ad amicos, & alios quotquot poterat penetrauit, & ſi quid minus faciebat, id inde fiebat, quod nimis auderet, nec tamen omnia in nihilum recidebant, maxime quod nemo erat, qui non mutatos in melius

Libri Ethnici cremantur.

Li Paulus è Neophyto factus diuini verbi præco.

melius mores admiraretur, & breuius exemplis quam verbis promoueretur. in idolorum ſectis longo ſtudio multa deprehenderat, quæ noſtris aperuit, & valuit ea res non parum ad errores appoſite confutandos: Sacerdotes noſtros non ſolum venerabatur, ſed fratres etiam & alumnos, imo & ſeruos, & quidquid domi erat, id pro ſacro habere videbatur: Domi ſuæ priuatam ædiculam elegantiſſimè concinnauit, eò Noſtri ſubinde ad Miſſæ ſacrificium inſtruendamq; familiam ventitabant: miſit domum filium, qui conſultò ediſceret eos ritus ac preces, quæ à ſacrificij miniſtris ſciri oportet, & cum primum ipſe in æde noſtra publica ſacris operanti miniſtrauit, domeſtica celebritas fuit, qualis apud nos eſſe ſolet, cum aliquis primum ſacris operatur.

Actus pœnitētiæ Neophytorum.

Ante admittendas in caput ſacri Baptiſmi aquas inductum eſt à Noſtris, vti Neophyti actu aliquo peculiari de peccatis conterantur, id faciunt nixi genibus ante aram, præeunte, ſi quis nondū ſatis exercitatus habetur, vno è noſtris: ex ea conſuetudine natū eſt, vti aliqui maxime litterati, ſua ſponte domi ſcriptam hanc peccatorum deteſtationem, ac velut fidei proteſtationem, ſecum legendam adferrent & ſane plerasque oportuiſſet in hunc locū referre, quæ fortaſsè nō ſine magno pietatis ſenſu, vt à nobis audiri, ita ab Europęis legi poſſe iudicantur: ſed ad euitandam in re eadem ſimilitudinē, hoc loco vnicam Li Pauli attexam, de quo nunc agebamus. è qua reliquas licebit perfacile coniectare. hæc igitur ita ſe habet: Ego diſcipulus Li Paulus toto animo & accurata ſinceritate ſuſcipere volo ſanctiſſimam legem Chriſti, vnde quantum licet animi oculos ſurſum ad cæli moderatorem erigo, eum quoq; precor, vti aures ſuas ad me audiendum adijcere ne dedignetur. Fateor igitur, me hac Regia Pechinenſi natum, nunquam præteritis annis quicquam de diuina lege inaudiſſe, nec in homines ſanctos ac perfectos eius præcones incidiſſe, vnde

Formula contritionis ante Baptiſmum.

vnde ego in omnibus vel operibus, vel ſermonibus diurnis æquè ac nocturnis horis errabam, vt homo cœcus ac demens, nuper diuina miſeratione fortunatiſſimè incidi in eminentes abſolutiſſima perfectione, & claros homines ex Europa, Matthæum Ricium, & Didacum Pantoya, ab his accepi ac didici ſanctiſſimam Chriſti legem, & admiſſus ſum ad eius imaginem Diuinam videndam atque venerandam: hinc cognoſcere cæpi Patrem meum cæleſtem, eiusq; legem quam ad orbis ſalutem dedit. Quid igitur, audebo non ex animo ad eam legem venire, eamq; ſequi & obſeruare? Verum conſidero me ex hoc ipſo tempore, quo natus ſum, ad hanc trium & quadraginta annorum ætatem, in huius legis ignoratione iacuiſſe, vnde euadere non potui multos lapſus, in varia ſcelera & errores incidi, quamobrẽ ſupremũ Patrem rogo, vti liberaliter ſua mecum pietate & clementia vtatur, & deleat condonetq; vniuerſa, male parta, fraudes ac errores, impudicitiam ac ſordes, temeraria verba, prauaq; alijs nocendi deſideria, imo quodlibet aliud crimen, ſeu graue ſit aut leue, ſiue patratum à me conſulto, aut inconſulto; nam ſpondeo me ex hac ipſa hora in poſterum poſt acceptam magna veneratione ſacram aquam peccata vitaturum, meque ipſum emendaturũ, eumq; veneraturum, ac eius legem ſeruaturum, fide adhibita vniuerſis, quæ illius ſancta lex docet, & omni ſtudio collato in decem eius præcepta obſeruanda, à cuius ſtudij obſeruatione cupio, ne punctum quidem aut momentum ceſſare, antiquos mores prauos, & huius ſeculi errores abiuro, & quidquid minus conforme eſt ſacris Diuinæ legis inſtitutis damno, idq; in perpetuum, nulla re ſimili vnquam reuocata. hoc vnum te pie Pater & clemens rerum omnium effector rogo, vt quoniam hæc ſunt vitæ melioris initia, & Tyrocinium legis auditæ, nec adhuc ſatis capio, quæ ſunt in lege tua ſubtiliora & perfectiora, vti velis intellectum mihi largiri ad eas res penetrandas,

das, ad quas hominum vires pertingere non poſſunt, vt deinde tuo fauore res intellectas, in opus redigere ſine vlla intermiſſione fortiter poſſim, vti ab erroribus & fraudibus liber viuens ac moriens, breui pergam ad fruendum tua in cælis præſentia: interim rogo vt hac lege ſuſcepta, facultatem mihi facias eam euulgandi, vt faciunt ſerui tui per orbem vniuerſum, & hominibus omnibus perſuadendi, vti eam amplectantur. Magna veneratione te obteſtor, vt hoc votum meum reſpicias, quod ex animo tibi conceptis verbis offero, vti à Diuina tua maieſtate audiatur. Hæc autem erat ſubſcriptio: In Regno Tamin Anno Vanlie Regis trigeſimo, octauæ lunæ die ſexto.

Finis libri Quarti.

DE

DE CHRISTIANA EXPEDITIONE APVD SINAS AB SOCIETATE IESV SVSCEPTA.

Liber Quintus.

E Iaponia reuerſus Amacaum Viſitator huius Expeditionis res componit.

CAPVT PRIMVM.

RES Chriſtiana Sinenſis quatuor iam domicilijs continebatur, itáque diſpoſita erat, vt vniuerſum Regnum, quantum latiſſimè ab auſtro in Boream patet, amplecteretur. nam ab ortu in occaſum vix dum noſtri penetrarunt. Hic igitur rerum ſtatus paucis annis ex Regiæ ſedis firmitate ita ſtabilitus eſt, vt iam nūc in reliquis, Chriſtianam legem videas efflorescere, ignem ſemel accenſum latius indies ſerpere, multos Neophytos palam, nemine prohibente, fidem ſuſcipere, ædes noſtras, ſacrificia, conciones, ac reliqua ſanctiſſimæ Religionis Chriſti exercitia, conſcijs omnibus fieri, in ædem noſtram Ethnicos quoslibet, etiam litteratos, Magiſtratusq; grauiſſimos aduenire, Chriſti effigiem venerari. Hæc igitur Viſitator ac cæteri Socij cum aliquot annorum lapſu confirmata inaudiſſent, perpenſis huius Regni legibus ac moribus, mutationem hanc eſſe viderunt dexteræ excelſi: actæ ab ijs non ſolum gratię fuerunt, quod tandem aliquando Sol ille Diuinus, tot ſæculorum tenebras diſſipare cæpiſſet, verum etiam certatim non pauci ad eam vineam ſtudioſius excolendam ſeſe accinxerunt. è paucis his noſtrorum ſedibus breui fama in quindecim prouincias

Domicilia Sociorū quatuor

E paucis ſedibus fama Sociorū in quindecim prouincias emanauit

uincias emanauit, & eundo vires capiens excreuit, vt ſolet ſupra veritatem, imo etiam Regni fines egreſſa, varijs vijs ſparſit, quæ optata ſunt quidem, ſed nondum ad hanc vſque diem perfecta. in Europa enim celebrabatur, Sinarum Regem fidem Chriſti amplexatum, facultatem cuilibet factam eandem amplexandi, & Euangelij quaque verſus euulgandi. Itaque varij ex alijs ordinibus ſacris hiſpanica nauigatione per Inſulas Philippinas Religioſi ad auxiliarem nobiſcum manum conſerendam accurrerunt, ſed nondum porta ita latè patuerat, vti eam fama mentiebatur.

Viſitator Amacaum nauigat ad rem Sinenſem ſtabiliendam.

Viſitator è Iaponia rerum magnitudine permotus, Amacaum renauigauit: vti è proximo hanc expeditionem componeret, deque neceſſarijs ſubſidijs ei prouideret. viſa enim res eſt Iaponenſem ſpem longe ſuperare: nulloque alio tempore poſt Apoſtolorum in orbem vniuerſum excurſionem, peculiarem aliquam expeditionem rei Chriſtianæ cauſa ſuſceptã, maioris fuiſſe momenti. Vix appulerat, cum ad res exponendas coram, Patrem Emanuelem euocauit, & Patrem quoque Matthæum volebat, ſi ab Regia diuelli potuiſſet. Audito igitur Viſitatoris aduentu, P. Emanuel vnà cum P. Cataneo Amacaum properat, à quibus Viſitator omnia, ſumma animi lætitia, ſupra opinionem intellexit, ſtatuitq; omnibus, quibus potuit præſidijs, rem tantam promouere: vno verbo conceſſit, quidquid à Socijs petebatur, & omnia ei videbantur exigua modeſtaq; Sociorum poſtulata. quoniam vero maxima erat operariorum penuria, qui difficillimum ſermonem ediſcerent, ac tandem rem ita arduam, quo altius poſſent, euehe-

Socij in Sinas deſtinantur.

rent, primum omnium Patrem Emanuelem in ſuſcepta expeditione confirmauit, eoq; excepto alios octo magnis dotibus præditos, qui tunc Amacai degebant, nominauit: plures alios in aduentum Indicæ nauis, quæ Socios aduectura erat, promiſit. ſed non erat hęc vna magni eius animi cura. nam ad

Noſtro-

Noſtrorum ſuſtentationem neceſſarij ſumptus erant conquirendi. quod enim ab Rege Catholico ſtipendiũ Noſtris pendi iubebatur, id ſæpè Miniſtri in alias Reipublicæ neceſſitates conuertebant, neque oportebat his initijs Neophytos grauari Apoſtolico exemplo. quanquam in Neophytis minus erat periculi quam in Ethnicis, à quibus dici procliue erat, Socios in Europa tenues ad Sinenſem copiam nauigaſſe, & vt ſtipem emungerent, varias fabellas confinxiſſe. Ergo computatis ſingulorum domiciliorũ ſumptibus, reperit, in ea rerum venalium vilitate, in victu veſtituq; aureos triginta pro ſingulis ſufficere annuatim. Statuit præterea, vt inpoſterum Iaponenſis Procurator, qui tum Amacai conſidebat, rem Sinicam curaret, fecit etiam facultatem aliquos in Societatem Noſtram adoleſcentes Sinas Amacai educatos admittendi; adiunxit alia permulta in templorum ornatum & domeſticam ſupellectilem, & ad ſolita cum amicis, magiſtratibusq;, munuſcula. nec pauca corraſerunt etiam P. Emanuel ac cæteri Socij eleemoſynæ nomine ab Luſitanis negotiatoribus, quibus hæc noſtra expeditio ſemper cordi fuit. multa etiam diſputata, quæ aliquam habere difficultatem videbantur, & deinde inſigni prudentia deciſa ſunt. Et vt liberius hęc expeditio gubernari poſſit, P. Matthæo rerum Sinicarum iam perito vniuerſam tradidit adminiſtrationem, eumq; ab Amacaenſis Collegij Rectore dependentia exemit.

P. Matthæo rerum Sinicarũ adminiſtratio traditur.

His rebus ita conſtitutis, nominati ſocij ſeſe ad expeditionem accingebant, ſed ſubitum infortunium rem omnem ſi non exturbauit, ſaltem non mediocriter interturbauit. per eos dies Amacaenſis oneraria in Iaponiam iam iamq; ſolutura à pyratis Batauis, qui hæc maria iam aliquot annos infeſtabãt, intercepta eſt, & quoniam cum vniuerſis mercibus expilata eſt, magnam in Amacaenſi oppido rerum omnium egeſtatem inuexit, ſæpè aliâs enim dixiſſe me memini: in hac oneraria

Oneraria nauis à Pyratis intercipitur.

totius oppidi ſpes & opes nauigare. nullus vrbe tota ab hoc infortunio intactus fuit, noſtra vero Societas priuatim incredibilem iacturam fecit: iam enim in onerariam illam impoſita fuerant Iaponenſis expeditionis præſidia. Viſitator noſter his caſibus aſſuetus nihil animo cecidit, ac tametſi non eum operariorum numerum, aut neceſſariorũ ſumptuum apparatum miſit, quem ante deſtinarat, cum P. tamen Emanuele tres alios Sacerdotes deſtinauit, & quod ſatis eſſet ad præſentes anguſtias laxandas, familiaris rei ſubſidia ſubminiſtrauit. ex his nouis colonis P. Bartholomæus Tedeſchius Xaucei cum P. Nicolao Longobardo remanere iuſſus eſt: quibus deinde acceſſit P. Hieronymus Rodericus Luſitanus. Nanchinum autem nauigauit Socius P. Rocciæ futurus, P. Petrus Riberius. his deinde poſtmodum acceſſerunt alij duo, P. Alphonſus Vagnonus Pedemontanus, & P. Felicianus à Silua Luſitanus. Rector vero P. Emanuel Nanciani eo conſilio ſubſtitit, vt inter tres ſedes illas ſibi ſubiectas medius commoraretur. cum his etiam venerat P. Gaſpar Ferrerius, qui Pechinum ad duos Socios tertius amandatus eſt. P. Cataneus Amacai detentus eſt, vt & valetudinem curaret, & Sinarum, qui eo in oppido cum Luſitanis negotiantur, animos ad Chriſti Religionem inclinaret: id vt melius fieret, eum habitum retinuit quo Noſtri in Regni penetralibus vtuntur. In hoc Sociorum ingreſſu non defuere quidem in Telonijs impedimenta, ſed ea ſolum de ſarcinis, quas aduehebant, quarum vectigal a Eunuchi ſolito ſeuerius exigebant: verum fratrum noſtrorũ induſtria res ita compoſitæ ſunt, vt optari in Europa melius multis in locis vix poſſet. Præ cæteris vexatus eſt P. Gaſpar Ferrerius, dum Pechinum nauigaret ab Eunucho nauigij Præfecto, qui ſarcinas noſtras in ripam per vim, medio in itinere eijciebat, niſi paucis aureis, quos ipſe hac iniuria emungere parabat, placatus fuiſſet. In Regiam denique peruenit, ſed ecce in portu nau-

Noui coloni è Socijs in Sinas nauigant.

Socij ab Eunuchis vectigaliũ exactoribus vexantur.

tū naufragium ſubuerſa nauis ſarcinas omnes noſtras in flumen excuſſit, quarum pleræque perierunt, & iactura ſupra ducentos aureos fuit, quę in his anguſtijs rem quoque domeſticam ſtrictius coarctauit. inter cætera perijt inſigne ex inaurato ſtriatoq; ligno imaginis ornamentum, & alij ſacri apparatus. hanc fortunam inuexit ingens aquarum eluuio, ex increſcentibus imbribus eo anno præter ordinem, quæ ipſi quoque Regiæ permagnum attulit detrimentum: nam plurimas ædes ſecum abduxit flumen extra ſuos fines vagum, quibus reficiendis Rex ſane liberaliter aureorum centum millia in egenos diſtribui è ſuo ærario iuſſit. iam exſcenderat P. Gaſpar, & ſolus cum ſarcinis ac famulis remanſerat è fratribus noſtris Sebaſtianus, hi nonnulla tamen ex aquis eripuerunt, & plura ſeruaſſent, niſi nautæ ipſi ferociores flumine alia multa furto ſubducta demerſiſſent. ereptum eſt tamen magno Dei beneficio ſacrum bibliorum volumen octo tomis à Plantino typis excuſum, & eleganter concinnatum: id Cardinalis ſancti Seuerini Socijs in expeditione Sinenſi occupatis dono miſerat. arca cum alijs quibusdam ſeruabatur, quæ diu in flumine natauit, & nautarum quorundam cupiditas fecit, vt enataret: verum vbi aperta libros prodidit, quos minimè legebant, eos haud grauate fratri noſtro reſtituerunt, exigua largitione ſollicitati: & Dei quoq; beneficio ita enatauit, vt vix ſacrū volumen aqua tetigerit. exceptū eſt à noſtris ac Neophytis magna pompa ipſo die Virginis in cælos aſſumptæ, ſub miſſarum ſolemnia. qui enim illud geſtabat, ab Acolyto incenſebatur, & deinde in menſam impoſitum genibus flexis ſinguli ſunt deoſculati, gratiæq; Deo redditæ, quod illud mille periculis per tot maria è recenti naufragio eripuiſſet. plures quoque ad id videndum domum noſtram aduениunt, & typorum maieſtatem admirati, dicere ſolent; inſignem ſine dubio eo volumine doctrinam contineri, quam homines tanto ſtudio concinnarunt,

Naufragium in portu Pechinenſi, & ſarcinarum iactura

Sacrum Bibliorum volumen naufragio ereptum cohoneſtatur ritibus.

narunt. Neophytis auctoribus Noſtri ſua furto ſublata recuperare tentarunt, & ad eam rem amicus ille noſter FumoCàn, qui in vinculis adhuc detinebatur, eam rem in ſe ſuſcepit, cuius auctoritate Nauarchus ac nautæ cæteri comprehenſi ſunt. & quoniam amici Magiſtratus, latrunculos vrgebant acrius, Noſtri commiſeratione permoti, ab vlteriori inquiſitione deſtiterunt, & amicus hac moderatione legis etiam Chriſtianæ pietatem prædicabat. Scrinium tamen quoddam cum ſacris reliquijs reſtitutum, & alia nonnulla minoris momenti, quæ conatum non plane irritum reddiderunt.

Quanta legi Chriſtianæ dignitas è libris P. Matthæi hoc tempore excuſis acceſſerit.

Capvt Secvndvm.

Sinæ in legendis libris multum occupantur.

Litterarum in hoc regno ſtudia, cum ita floreant, vti libro primo commemoratum eſt, pauci apud eos omnino repeiuntur, qui non ea ſtudia plus minus deguſtarint, imo quod huic Regno peculiare eſt, ſatis conſtat ſectas omnes ſcriptis potius voluminibus, quam habitis ad populum ſermonibus fuiſſe euulgatas; cum enim ipſi à cœtibus cogendis abhorreant, ad hoc ſignificandæ rei nouæ refugium recurrerunt. ea res noſtris nihil nocuit. nam apud gentem libris legendis addictiſſimam, neſcio an efficacius lecta per otium perſuadeantur, quam ſi à Noſtris minus ſemper facundis in ſermone peregrino ad populum è loco Superiore exponerētur. quod non ita intelligas velim, quaſi diebus feſtiuis ad Neophytos ſermones omittantur, ſed de Ethnicis loquor, qui libris ſcriptis alliciuntur, & priuatis deinde colloquijs perpoliuntur. E vulgari igitur librorum legendorum ſtudio euenit, vti nullo negotio rei Chriſtianæ capita memoriæ commendent, domi ſuæ libros pios legant, propinquis amicisq; communicent, quæ

res

res à Noſtris animaduerſa, omnes omnino ad litterarum ſtudium inflammauit. ac tametſi longa ſit ac moleſta commentatio, tamen aſſiduitate & ingenio, Diuina benignitate adiutis, labores ac moleſtiæ omnes vtiliter collocari videbantur, maximè quod alias ſit res admirabilis, & orbi reliquo plane inuſitata, quod liber quilibet editus non ſolum per quindecim vaſtiſſimas huius regni Prouincias cum fructu percurrat, ſed ab Iaponenſibus etiam atque Corianis, imò & Caucincinenſibus, Leuchicis etiam & alijs Regnis intelligatur, non ſecus atque ab Sinis, tametſi ſint inter ſe ſermone toto cælo diuerſi, quod ideo fit, quia characteres hieroglyphici ſinguli res ſingulas deſignant. & ſi in hunc modum totus orbis conſpiraſſet, poteramus ſcriptis characteribus animi noſtri ſenſus ijs aperire, quibus cum loqui ſermonis varietate prohibemur.

Hoc litterarum Sinenſium ſtudium, primus omnium tempore P. Matthæus inchoarat, qui poſtea in ijs, quæ ipſe didicerat, confirmatus, cum litteratorum admiratione, qui nondum externum legerant, à quo quippiam diſcere potuiſſent. Hoc igitur capite ea res conſulto tractatur, ne poſteri neſciant, quantum in hac vna re ſubſidij poſitum eſſe iudicetur, & qui hæc legerint Europæi, non male in hac ingeniorum fertilitate ſua ſtudia collocata arbitrentur. Cępit igitur P. Matthæus, vt ſupra dictum eſt, à Coſmographicis & Aſtrologicis præceptionibus. & quanquā nihil admodum rari attulerit, quod non è triuio litterati in Europa norunt, apud eos tamen, qui acceptos à maioribus errores non ferendos tuebantur, viſa res eſt ſupra fidem admirabilis. itaque ingenue fatebantur permulti, quos rerum meliorum ignoratio, fecerat hactenus pertinaces, ac ſuperbos, apertos ſibi in rebus grauiſſimis oculos, quod ad eam diem clauſos intolerabili cæcitate neſciſſent. inde (omiſſis de quatuor elementis, deque amicitia commentariolis, de quibus ſupra) de varijs rebus Ethicis, deque prauarum

Libri à P. Matthæo Sinicè conſcripti.

rum animi affectionum moderatione, tractatus breuiſſimos quinque ſupra viginti compoſuit, quos ſententias Sinæ appellarunt. hoc opuſculum ab amicis lectum, priusquam lucem videret, ita probatum eſt, vt incredibile illis videretur, apud externas nationes, quas ad eam diem barbaras omnes arbitrati fuerant, ita recondita aptaq; inueniri potuiſſe, & certatim omnes ea exſcribebant, ipſe vero Fumocàn, de quo ſæpe ſupra, cum exemplar vnum accepiſſet, typis mandauit, accepto in operis laudem eleganti proœmio, quo cõfert hoc opus cum alio ſimili ab idolorum ſectarijs olim edito, cui nomen à duobus ſupra quadraginta paragraphis impoſitum eſt: neque cõfert ſolum ſed ita præfert, vt litteratos omnes inuitet ad id legendum, & vanitatem virtutis ſuperſtitioſis coloribus adumbratæ cum veritate illius, quæ è Chriſtianis fontibus hauſta eſt, ſuo iudicio conferant, calculoq; confirment, videantq; vtrum opuſculum priuatis commodis accõmodatius, & publicæ rei vniuerſim vtilius eſſe iudicetur. huic proœmio aliud addidit Paulus noſter, & opuſculi finem epilogo clauſit, vnde magna huic operi auctoritas ab vtroque accreuit; legi vero Chriſtianæ tanta, quantum ſperare par erat à viris tantis, & priuatim à Paulo noſtro, qui fuse laudanda illius acceperat inſtituta, & ſeipſum ea non ſolum probare, ſed etiam amplexatum profiteretur.

Catechiſmus à P. Matthæo caſtigatior editur.

Eo ipſo tempore incommodo cuidam occurſum eſt non mediocri. prima compendij doctrinæ Chriſtianæ ſcriptio à noſtris adhuc imperitioribus prodierat interpretũ fide concinnata: ea res Noſtris ex quo oculos aperire cæperunt, ſatis trunca viſa eſt. itaq; P. Matthæus accurate opuſculum reuidit, auxit, & damnatis cæteris, hoc vnum euulgauit. Doctrinæ Chriſtianæ amplior tractatio ſcripta quidem erat, ſed nondum excuſa, quam P. Matthæus ita concinnarat, vt Ethnicis potiſſimum eam accommodaret. Neophyti enim catechiſticis præle-

prælectionibus quamdiu ſunt Catechumeni, & frequentioribus cohortationibus, poſtquam Chriſto aggregati ſunt, ſatis inſtrui poſſe videbantur. Itaque argumentis è lumine naturæ nobis indito erutis, tota res magis quam ſacrarũ litterarum auctoritate nitebatur. his enim iter complanabatur ijs myſterijs, quæ à fide pendent, ac ſcientia diuinitus reuelata. Non deerant etiam ex ipſis Sinarum voluminibus antiquis, quæ ad rem noſtram facere videbantur, teſtimonia, quibus opus vniuerſum non ornabatur ſolum, ſed etiam apud credules rerum ſuarum lectores confirmabatur. in hoc etiam volumine ſectæ apud Sinas euulgatę omnes confutabantur, ea excepta, quæ ab lege naturæ orta, Confutio Principe maxime declarata eſt, eaq; litteratorum ſecta nuncupatur. hanc enim, vt apud antiquos iacet, vix in paucis merito reprehendas, ita in errorem vix incidit homo parciſſimus ea dicendi, quæ non ſatis ſcire ſe arbitrabatur. hanc igitur ſectam Noſtri ad ſuas partes trahunt, & ſolum ea dicunt addenda, quæ poſt ipſum Confutium contigerunt, ipſe quippe annis ſupra quingentos Chriſti Seruatoris in terras aduentum præceſſerat. vnde aptè videtur mihi Doctor Paulus in omni conſeſſu reſpondere: quoties enim interrogatur, in quo potiſſimum lex Chriſtiana ſita ſit, quatuor ſyllabis aut dictionibus rem totam aptè definit: Ciue fò pu giu: id eſt; Idola reſecat, Litteratorum legem ſupplet. In hoc igitur tractatu hæc fere continentur; primum probatur vnum eſſe principium ac Numen, à quo omnia orta ſunt atque gubernantur: hominis animum eſſe immortalem: prauis actionibus pœnam, præmium bonis parari: & hoc in altera vita maximè: animorum pythagorica transmigratio Sinis familiaris confutatur: ad extremum de Deo etiam homine perutilis ingeritur tractatio: inuitantur poſtremo Sinæ omnes ad eam legem: quæ hîc perſtringitur potius, quàm exponitur, ab noſtris expetendam; hoc opus maximè neceſſarium

Doctrinæ capita quæ in volumine P. Matthæi continentur.

erat ad res noſtras breui tempore in Regnum vniuerſum immittendas: & quoniam obiter etiam tangebantur multa, quæ ſæpè à Noſtris quæri ſolebant; ingeſtaq; velut pro condimento curioſa nonnulla ad alliciendum lectorem, legi fere ſolebat non ſine voluptate: hac etiam ratione ſatisfiebat aſſidue poſtulationi eorum, qui de lege noſtra quippiam audiebant: nam ſolebant librum aliquem petere, in quo hæc ipſa otioſius legerentur: cum occupatis etiam Magiſtratibus breuiores collocutiones hoc libello ſupplebantur, quibus ſemper plus otij erat ad legendum, quam ad colloquendum, ex inſita maximè legendi propenſione.

Volumen P. Matthæi idolorum ſectatores pupugit.

Ea res idolorum ſectatores, quibus in re vaniſſima propugnanda arma deſunt, grauiter pupugit, à litteratis quoque nihil periculi nobis imminere poſſe vidimus, quos pudebat propriam profeſſionem refutare. Itaque inuentum fuit plane Diuinum, vt haberet etiam ſuos fides noſtra propugnatores, aduertiſſe Noſtros initio litteratorum placita nihil admodū cum Chriſtianorum lege pugnare: ne ſi omnes omnino ſectas confutaremus, auctoritate obruti ac multitudine ſilentio perpetuo damaremur. Hæc igitur tractatio iam quartùm, etiam ipſorum Ethnicorum opera, varijs in prouincijs lucem aſpexit. Fumohàn ille litteratus ſuis ſumptibus excudi exemplaria multa voluit, quæ deinde Noſtris tradidit, vt ea gratis, cui maximè vellent donarent: eam vero nūmorum ſummam, quam ad eam rem contulit, ſcripſit Noſtris debere ſe reſtitutionis nomine, quod olim neſcio, quid à quodam accepiſſet eo nomine, vti aliquod ei obſequium præſtaret, videri autem ſibi, nullum aliud opus vtilius facere ſe poſſe, quam ſi legis ſanctiſſimæ tractationem in quamplurimos euulgaret: hæc fecerat etiam tunc Ethnicus, quid eum facturum arbitraris, ſi vita ei annos aliquot in Chriſtiana Religione conceſſiſſet.

Aliud P. Matthæi opus, quod paradoxa nuncupauit, non paucio-

pauciores habuit obtrectatores, quam ſuperuis; ideo quod multa contineat, quæ Sinis noua & hactenus inaudita morum præcepta; hæc fere ſunt: Moris cõmentationem continuam ad vitam recte inſtituendam prodeſſe quamplurimum: Vitam hanc continuam eſſe mortem: in ea præmium operibus noſtris, ac pœnam debitam non omnino perſolui, ſed in aliam reſeruari: Difficile eſſe, ſed vtile ſilentium, loquendiq; parcitatem; Cuique opus eſſe actiones ſuas excutere, ſeque ipſum de male actis plectere: hæc & ſimilia plura varijs rationibus, ſententijs, apophtegmatibus ſimilibus, & exemplis confirmata; citatis ad eam rem Philoſophis ac ſanctis Patribus, & ipſis ſacrarum ſcripturarũ libris mire placuerunt: & auctoritatem huic libro conciliauit, ſingula paradoxa ſingulis collocutionibus inducta cum grauiſſimis Magiſtratibus, cum quibus olim P. Matthæus de his ipſis materijs copioſè tractarat. Porro ſi quod in huius operis laudem proëmia edita ſunt à celeberrimis viris, in vnum opus compilarentur, longior eſſet proëmiorum lectio, ipſius commentarij, de quo agitur, lectione. in his proëmijs non vtilitas ſolum huius lectionis commendatur, ſed Europæa ingenia, librorum multitudo, lex Chriſtiana, ſummis laudibus extolluntur. Noſtri vt illud euulgarent, quamplurima exemplaria hinc inde ſubmittebant, & hoc maximè modo munuſculorum obſequia ſolitis temporibus obire conſueta explemus: amici quoque noſtri typograghos domum noſtram mittebant, vti exemplaria ſibi excuderent in familiares quoque ſuos euulganda; primam huius operis editionem ita primus annus exhauſit, vt anno proxime inſequenti bis recuſus fuerit; In Regia Nanchinenſi ſemel, ac iterum in Nanciana Prouinciæ Chianſinenſis Metropoli.

P. Matthæi opus quod paradoxa nuncupauit.

Huius operis lectione vnus è grauiſſimis Magiſtratibus in Regia Pechinenſi, qui Tauli nuncupabatur, mirificè captus eſt: domum is ſua ſponte venit, mirantibus noſtris rem in eo

viro inſolitam; nemo enim ad eam diem erat tam prope tam proculq́; nobis, vt ait ille de Nouio. poſtquam P. Matthæus cum eo conſedit, ita exorſus eſt: Túne es huius voluminis auctor, & volumen protulit. modeſte annuit P. Matthæus, ſe in eo concinnando pro modulo adlaboraſſe. Tum ille. Operis huius ſcriptorem, inquit, oportet virum eſſe plane ſanctum: ego vero nec ſoleo nec vnquam volui, viris ſanctis obtrectare: ergo condones mihi velim ſuperiores inimicitias, quas futura poſthac familiaritate cõpenſabo. inde ad alia digreſſum eſt. Hæc ille. Alij vero non pauci ſæpe dicebant, nihil à ſimili externorum genere ſibi timendum: qui enim hæc ſtudia ſectantur, fieri non poſſe, vti mali quippiam publicæ rei moliantur.

Paulus in Philoſophico, Martinus in Militari Senatu, Doctorum gradus aſſequuntur.

CAPVT TERTIVM.

ANNO ſupra ſæcularem quarto, in Regiam Pechinenſem venit Paulus noſter, iam Sinenſis diu Licentiatus, vt ſupremi Doctoratus aleam in publicis examinibus denuo tentaret: venit quoque Nanchino Martinus, eundem gradum in Militari Senatu ambiturus: hi erant ex optimis primarijsq́ue Neophytis fere lumina è Prouincia Nanchinenſi, quibus mire placuit ſtationem Noſtris ea in Regia ſtabilem conſtitutam eſſe, & rem Chriſtianam fęlicibus auſpicijs procedere. His quoque nihil magis erat curæ, quam Sociorum ædem ſacram frequentare, animas per confeſſionem expiare, & ſe diuino epulo reficere, id ſanè, quoties Paulus fecit, lachrymas nec ipſe, nec qui aderant, tenere potuerunt. Neuter eorum ante ſuſceptam Chriſti fidem, ſupremum hunc gradum ſuſcipere valuerat; nunc verò, auxilio diuino freti, cum in arenam deſcendiſ-

Paulus & Martinus Doctores renuuciantur.

ſcendiſſent, peculiari decertandi more, vterque in proprio Senatu Doctor eſt renunciatus. Martinus porrò, Cin cognomento, paucis poſt menſibus præfectura Militari donatus eſt in Prouincia Cechiana, & ſex deinde menſibus vix elapſis, in aliam maiorem dignitatem Nanciani euectus eſt, nec ita multo poſt, prope ad ſumma euaſit, ita vt non per ſolitos honorum gradus aſcendiſſe, ſed ſaltu exiliſſe videretur. Ciù Paulus in Doctoratus renunciatione non obtinuerat è primis locis nomen, ideo ex huius Regni conſuetudine, oportebat illum extra Regiam non infimos gerere Magiſtratus, & deinde paulatim ad maximos aſpirare. Verum Diuina prouidentia, quæ eum ad rei Chriſtianæ præſidium in vrbe Regia elegerat, inuenit modum, vti Pechini retineretur, & ſupra ſpem in maxima dignitate collocatus,

Renunciatis igitur trecentis & octo Doctoribus Regno: aliud examen inſtituitur ad eligendos Litteratos Regios: qui in Collegio conſideant, quod Hanlinien appellatur: ex toto vero numero, quatuor fere ſupra viginti dumtaxat renunciantur, electi ſcriptionis (vt in reliquis gradibus) bonitate: hi ſunt maximi toto Regno Magiſtratus, & ſi quando ad Rempublicam euocentur gubernandam, ſemper in apice dignitatum primo ſaltu collocantur: de his libro primo plura dicta ſunt. Nolebat hanc aleam ſubire fortunæ ſuæ deſperatione Ciù Paulus: Verum ceſſit denique Sociorum ac Neophytorum precibus, memor ſe has dignitates, nonniſi ad rei Chriſtianæ bonum optaſſe. in hoc igitur examine meliore fortuna vſus, quarto loco renunciatur, quod illi ceſſit perhonorificè, ac Noſtris incredibilem lætitiam conciliauit: nondum trutinarum finis. hi enim quatuor, ac viginti non ita renuntiantur, vt ſtatim è Regio Collegio cenſeantur; ſed ſolum vti ius habeant, ad eum ingreſſum procurandum: poſtquam aliquo tempore ſub Colao ſummo Magiſtratu exercitati, extremam alcam

Litterati Regij renunciantur.

Paulus inter litteratos regios cenſetur.

aleam certantis cum Minerua fortunæ tentarint: ex his enim quatuor & viginti, duodecim, ſum̃um quindecim eliguntur: hæc examina plura ſunt, & in ſingulos menſes inſtituta, in quibus ipſe ſemper renunciatus eſt vnus, & non rarò primo loco. id quoniam ſæpè accidebat, ne commilitonum inuidiam in ſe concitaret, & prima omnia præripere velle videretur, ab examinibus in poſterum abſtinuit (hoc enim eſt cuique liberum) & ea modeſtia commilitonum animos ſibi deuinxit. nec quicquam de ſua deperdidit dignitate.

Securus igitur nunc de ſua & Collegij Societatis in vrbe Regia ſtatione, vires omnes cōtulit ad Socios fouendos, remque Chriſtianam promouendam: inſuper raro pietatis exemplo ac vitæ ſanctimonia Neophytos omnes in imitationem, Ethnicos in admirationem rapit, à quibus viris Principibus ſæpè dicitur, quis eſt qui poſſit Ciù Pauli vitæ ſanctimoniam exæquare: Parentem ſuum annorum ſupra ſeptuaginta in Regiam euocauit eo conſilio, vti Chriſto prius nomen daret, quam extremum diem clauderet, & tandem ab eo impetrauit non ſine labore, vel ſuo vel noſtrorum, vti eiuratis idolis ſuum agnoſceret conditorem, quod oportunè cecidit in ea ætate, vix enim ſeſquiannum, baptiſmo ſuperuixit. Hæc de Paulo nunc ſatis, poſtea ſuo tempore plura commemorabuntur.

Paulus parentem ad fidem Chriſtianam conuertit.

Hæc igitur Pechinenſis Eccleſię incunabula paulatim in infantiā educebantur: ad quā rem non ſolus Ciu Paulus adiuuabat: ſed alij quoq; Neophyti, quib⁹ Ciù Paulus in Sacramēti Pœnitentiæ frequētatione facē prætulit. Filius eiuſdē, & q̄ magis mirere, vxor eum ſecuti ſunt. & ſanè in hac mulierum ſolitudine res perdifficilis habebatur, & in Regia quidem Pechinenſi huius difficultatis cuſpidem hæc, de qua nunc agimus, prima perfregit: cupiebant etiam ſacro tandem epulo refici: ſed ad æſtimationem ex dilatione concipiendam Noſtri

Li Pauli ſeruor in frequentatione Sacramentorum.

ſtri in ea re concedenda ſolent eſſe tardiores: cauſabatur ergo qui huic familiæ erat à Confeſſionibus, oportere primum ſæpius pœnitentiæ Sacramentum iteraſſe, ne quid in animo criminis in hoc tanto hoſpite recipiendo reſideret: ergo Li Paulus ne diutius differretur; non ſolum celebrioribus, aut etiam Dominicis, ſed etiam feriatis intra hebdomadam diebus, quotidiana peccata pœnitentiæ Sacramento expiabat eo conſilio, vti Confeſſionum numerum adlegaret: & longitudinem dilationis hac frequentatione amputaret: Denique tantis votis vltra negari non potuit cæleſte cõuiuium, Paſchalis celebritas nominata eſt, quo die tantam fudit vim lachrymarũ, vt Neophytis circumſtantibus pietatem inflammaret: inde quoties celebrius aliquid Eccleſia cõmemorandum colit, idem iterabat: pridie vero quam ſacro epulo reficeretur, Eccleſiaſtico ieiunio corpus macerabat, & die quoque inſequenti ad beneficij memoriam ieiunium repetebat: exploratores habebat neſcio quos domi, è quibus omnia, quæcunq; noſtri faciebant expiſcabatur, vti ipſe imitaretur: itaque quoties domi ieiunabatur, aut aliquid aliud fiebat, id omne Li Paulus domi ſuæ factitabat. iam de ſacra peccatorum indulgentia inaudierat, ergo multis precibus aliquid huiusmodi impetrauit, & quoniam legebat in formula ei omnia peccata condonari indulgentia Pontificia, qui Ethnicum aliquem ad fidem conuertiſſet, dici vix poteſt, quantum ex ea re feruenti iam deſiderio ardoris accreuerit: nam huius ſacri lucri cupiditas eum velut adactis calcaribus, vrgebat ad currendum, totos igitur dies ipſe hanc prædam venabatur. mirum quanti ſacri Chryſmatis in Confirmationis Sacramento vnctionem peroptaret, & vix ſe continuit, quin ea ex cauſa ad Epiſcopum Amacaenſem quatuor menſium itinere ſe conferret: & feciſſet omnino niſi Noſtri Familiæ detrimentum in octo menſium abſentia veriti diſſuaſiſſent: maximè quod

Vſus Sacramẽti Pœnitentiæ initio frequentior quã ſacræ communionis.

relicto iam per Chriſtianas leges artis ſuæ lucro, nõ admodum rei familiaris copia redundaret: interim neceſſarijs familiæ negotijs oportuit eum ad vetulam Parentem redire in Prouinciam Vquam: vbi legis noſtrę ſanctitatem quibus poteſt euulgat, & iam aliquot intruſit cælo, dum vel moribundos infantes eluit; vel in eodem diſcrimine conſtitutos adultos inſtruit, ac deinde neceſſaria vel materia, vel forma peracto Baptiſmo vitæ melioris ianuam aperit: frequens ad noſtros ſcribit, & miro deſiderio tenetur ædis ſacræ reuiſendæ: ſed eum decrepitæ parentis obſequia retinent: id enim non ſine ſcandalo & impietatis infamia apud Sinas omitti poteſt.

De amico noſtro Ligotsùn quamquam nondum Neophyto pauca ſubiungam. Anno Superiore renunciatus eſt Præſes examinis in Prouincia Fuchiana, quo Licentiati in Metropoli renunciantur: in ea Prouincia fere ſunt celebriores totius Regni litterati: ea res illi fuit perhonorifica, & cum huius examinis euentum de more ſcripto volumine perſequeretur, neſcio qua occaſione de Europæ noſtræ litteratis magnifica ſcripſit encomia: poſtmodum in Prouincia Sciantùn aliam iuſſus eſt gerere dignitatem: abiens Noſtris maiorem ſupellectilis Palatij ſui partem dedit, & ſiquidem per Noſtrorũ paucitatem licuiſſet, aliquem è Socijs ſecum abducebat. Et vt videas amice lector, quanta integritate Sinarum Magiſtratus adminiſtrentur, nolo neſcias hunc ipſum, de quo agimus, paulo poſt officijs maioribus excidiſſe, & in officiolum quoddam deiectum triennio latuiſſe ea ſolum ex cauſa, quod in cõuiuijs frequentibus leuitatis nimiæ fuiſſet accuſatus, & ludo latrunculorum plus æquo deditus fuiſſe diceretur, triennio durauit tanti viri abiectio, qui poſtmodum eſt ad ſumma euocatus.

Integritas Magiſtratus apud Sinas.

Hoc ipſo anno Magiſtratus è toto Regno præcipui ad clientelarem Regi obedientiam præſtandam tertio quoq; anno aduene-

aduenerant. Itaque per eos dies, quibus in Regia licet commorari, non ſine maximo labore per vicos inceditur: eam occaſionem Noſtri minime neglexerunt, vt aliarum vrbium, in quibus Noſtri reſident, Magiſtratus & Negotiatores, quorũ maximus erat concurſus in Regia ſibi deuincirent: qua in re prope maximus eſt Pechinenſis domicilij fructus, vt arbor videri poſſit, ſub cuius vmbra reliqui recreantur. Hic non defuerunt, qui apud grauiſſimos Magiſtratus de Noſtris obloquerentur, doloris maxime ſenſu permoti, quod idola ſua male à Noſtris haberi legiſſent: Verum eam cauſam diſſimulantes publicam quietem prætexebant, quam fortaſſe hac nouæ legis prædicatione Noſtri perturbare niterentur, dum adiunctos ſibi legis communione complures tandem aliquando ad rebellionem ſollicitarent. Hi obtrectatores viri Primarij dicebantur; plebi enim vix contra noſtros muſſitare ſine fructu licet. Verum Socij Diuini Numinis & amicorum quorundam patrocinio tuti aduerſariorum conatus fregerunt.

Quid ſuperioribus annis in Sede Nanciani geſtum fuerit.

CAPVT QVARTVM.

IN hac Sede prope trienniũ ſolus Sacerdos P. Ioannes Soërius conſedit, & graui ægritudine afflictatus, quæ tandem in febrim phthiſicam degenerauit; ad hanc illius ægritudinem accedebat, aliud Chriſtianæ rei promouendæ impedimentũ: propinquorum Regiorum multitudo, qui fere ſuis opibus & illiberali otio inſoleſcunt, tanta tamen fuit huius Patris ſanctitas, & ſupra vires ardor, vt rem planè difficilem ſupra ſpem euexerit. Neophyti ferè fuerunt è vulgo; pauci viri graues Chriſti fidem per eos annos admiſerunt: in ijs tamẽ fuit octogenarius quidam ſenex, primum litterarum gradum conſecutus: Impedimenta rei Chriſtianæ promouendæ.

tus: is inuſitato feruore rem Chriſtianam arripuit, & vt erat ſcribendi bene peritus, multa compoſuit de Chriſtianæ legis inſtitutis, quæ à Noſtris audiebat: & vt Litteratos alliceret, mirum quanto ſtudio librorum ſuorum teſtimonia, quæ Chriſtianæ legi fauerent corraſerit. inter eos etiam infans fuit, qui cum naſceretur parentes in ædibus contiguis habitabant: eum parens domum in vlnas tulit baptizandum: Sed Patri viſum eſt id minus tutum eſſe, cum vterque parens à ſuis erroribus auelli nollent, ne tamen eos hac ſua in Deum pietate fraudaret, aqua luſtrali infantem aſperſit, & Deo ſuper aram oblatum Ioannem appellauit: filium igitur parens arbitratus eſt eſſe Chriſtianum, & cum ædes mutaſſet, poſt annos ſeptem eum in ædem noſtram reduxit, gratias acturus Deo, quod è graui ægritudine admirabiliter in ſpem vitæ fuiſſet reuocatus, cum enim iam à ſenſibus abalienatus nullam ſpem vitæ daret, viſus eſt ſibi videre Dei parentis cum puerulo ad ſe venientis Maieſtatem; eum puerulus repetito nomine inclamabat, qua voce velut euigilans habere melius cæpit; nemini è domeſticis dubium viſum eſt, quin ea ipſa eſſet, cuius apud nos imaginem ſæpè conſpexerat, & puerulus fidem fecit, à propoſitis duabus Dei Parentis imaginibus eam elegit, quæ à D. Euangeliſta Luca depicta fuiſſe perhibetur. declarauit igitur redeunti P. Ioannes, infantem olim minime fuiſſe baptizatum, ſe vero nunc, id facere paratum, ſi reciperet, nullo ſe vnquam tempore filium ad ſimulacra veneranda inducturum: annuit ille quidem, ſed diem aliquem bene ominatum è Sinenſibus faſtis vti ad eam rem negligeret eligendam impetrari non potuit; ergo infantem domum reduxit, die tamen inſequenti promiſſis ſtetit, & filio baptizato ipſi quoque doctrinæ Chriſtianæ tractationem domum retulit, vti ad eandem fidem ſeſe compararet. Hic puſillus grex Neophytorum egregie Chriſtianæ pietatis officia perſequebatur: Miſſæ ſacrificium frequenta-

Infans aqua luſtrali aſperſus patri ſuæ conuerſionis cauſa fuit.

quenta-

quentabat, dubia ſua exponebat, ab Ethnicis ritibus in funere religioſiſſimè abſtinebat, & palam ſe Chriſtum confiteri profitebatur: quæ res multum valebat ad fidei Chriſtianæ famam euulgandam.

Per eos dies Neophytus neſcio quis, vrbe egreſſus ad ſua negotia, domum ingreſſus eſt Ethnici cuiusdam, qui in ſummo Aulæ capite, quæ Viſitatores recipit, Idola ſua de more collocarat; ſedem Neophytus forte ita ſtatuit, vt ſimulacris terga verteret: Monitus eſt ab Hero domus, ne hanc iniuriam Dijs faceret: cui Neophytus; Deum, inquit, vnum veneror, & idola nihil vereor, ſeque ipſum & ſimulacra ſigno Crucis muniens in media aula ſedem ſtatuit: & ſimulacris humeros etiam rectius obuertit: diſſimulauit amicus (neque enim Sinæ admodum ardenter ſuorum idolorum honorem procurant, vt ideo velint amicis moleſti eſſe) cum deinde ad reficiendum corpus ventum eſſet, volebat Ethnicus fercula tantiſper coram ſimulacris ſtatuere, quaſi qui fauſtam apprecationem ab illis exigeret; verum Neophytus intulit hoc ſi feceris, ego appoſitos cibos plane non attingam, omiſit igitur & hunc ritum, ne hoſpiti moleſtus eſſet: atque ita Neophytus bis victor de inanibus Dijs triumphauit. huius ipſius Neophyti vicina quædam cum abeſſet, Maritus coniectatorem conſuluit, vt de illius reditu aliquid intelligeret: Domum reuerſa cum reſponſo videtur ipſum dæmonem retuliſſe. nam ſubito correpta furore nihil dubij reliquit, quin ab opportuno hoſte potius quam hoſpite poſſideretur: vix defuit è prophanis ritibus ac exorciſmis vllus, qui non ad eum expellendum adhibitus fuerit: ſed nimirũ ille noluit ſuis artibus pelli: Neophytus autem ſeſe ingeſſit recitata prius Deiparæ corona, tum magna fide dæmonem increpuit, quod vicinã illius domum, in qua Christi Seruatoris eſſet effigies, ſuam intelligebat, auſus fuiſſent vexare: tum ſigno ſalutari Crucis in eam expreſſo, multis

Cuiusdã Neophyti feruor contra idola.

Dæmon exire iubetur a Neophyto.

multis iniurijs affectum dæmonem exire iubebat: Ad hæc omnia energumena & loquax alioqui poſſeſſor obmutuit, ſimilia plura, luſtralis aquæ vſu fides Neophytorum frequenter operabatur: ea ne ſim longior quàm par eſt omittenda iudicaui.

P. Emmanuel Viſitator rem Chriſtianam promouet.

His proſperis rei Chriſtianæ principijs ſuperuenit P. Emmanuel, qui ex ea ſede Auſtralia domicilia noſtrorum tria moderabatur, & vna cum Socijs P. Ioanne ac Fratre noſtro Paſchali, qui non ita multo poſt Societatem ingreſſus eſt, hanc vineam excolere ſolito accuratius inceperunt. Ceſſit primus labor ita feliciter, vt anno inſequenti ſupra ſecularem quinto Neophytorum numerus in duplum excreuerit, & iam ducentos excedebat, in quibus etiam litterati nonnulli ac Regij propinqui numerati ſunt: ex his regijs hominibus (ita enim à Sinis Vanſù vocantur) primus in Noſtrorum familiaritatem incidit, adnitente ſocero ſuo Paulo Baccalaureo Neophyto, de quo ſupra: is per otium rei Chriſtianæ myſterijs imbutus, eo die baptizatus eſt, quo Hiſpanienſes Eccleſiæ expectationis partus feſtiuitatem celebrant: Ioſephus appellatus eſt, & primus è ſanguine regio Regis Regum Chriſti apud Sinas venerator, ea propinquitas regia, ne quem fallat Europæa conſuetudo, minor eſt haud paulo, quam apud Reges noſtros; habet tamen ſuas immunitates, opes, dignitatem, tametſi nihil publici muneris omnino attingat. Hunc frater minor ætate ſecutus eſt, ſtatuitq; in eandem cum Ioſepho fratre religionē conſpirare, Noſtri autem eius baptiſmum differendum eſſe arbitrati ſunt in diem Epiphaniæ ſacrum, narrantes, eo ipſo die Regulos tres, è remotis Regionibus ad venerandum Iesv puellulum recens natum aduenisse, cui narrationi ita reſpondit: ſi hi tres fuerunt, efficiam vti ſimus quatuor, nominabat igitur alium frattrem minorem & Conſobrinum ſuum, filiolum vero, quem ſecum adduxerat P. Emmanueli tradidit, vt eum pro ſuo haberet, & rogauit, vti eodem nomine puellulus Emmanuel

Primus è Regio ſanguine Chriſti venerator.

Tres è regio ſanguine fidē Chriſtianam profitentur.

manuel videlicet vocaretur, quod etiam factum eſt, eaque appellatio à puero vſurpata, Ethnicis etiam propinquis in vſu erat. tres vero reliqui adulti in eum diem fidei noſtræ capitibus imbuti, ſolemni apparatu ſunt baptizati, & trium Regum nominibus nuncupati: Melchior primus, alter Gaſpar, tertius Balthaſar appellatus. horum exemplum deinde ſecuti ſunt Ioſephi vxor, & alij vtriusq; ſexus propinqui: hi matrem habebant viduam ac vetulam, & mirum in modum idolis colendis addictam: nam in eorum venerationem, iam continuo decennij ieiunio, carne, piſce, ouis, ac ſimilibus Sinenſi ritu abſtinuerat, ac ſolum leguminibus, oleribus, oriza, & alijs è farina edulijs veſcebatur: eam filij ſollicitarunt ad eiurandam profanam ſuperſtitionem, nec vanus fuit labor: profanum quippe ieiunium interrupit, & miſeros Deos, incendio damnatos domi noſtræ ardere voluit, ac ſimul precatorios globulos, quos ipſa compellatis inanium Deorum nominibus decurrebat: miſit quoque, neſcio quod diploma, quod ad Regem Inferni deſtinatum ſacrificuli impoſtores ipſi vendiderunt, ea lege, vt ab eo benigne exciperetur, & pœnas ſi quas meretur, euitaret: id inferni directorium appellatur. huic Noſtri meliore permutatione pro profanis ſacra remiſerunt, Chriſti Seruatoris effigiem, Deiparæ ſacrum ſertum, & pro ieiunio, quod ægrius illa dimiſerat, Eccleſiaſticum permiſerunt, Dei vero præcepta, viam eſſe non ad infernum, ſed ad cæleſtem Regem, à quo bene actorum præmia ſuſcipiunt Chriſtiani. eam igitur domi ſuæ frater noſter ita inſtruxit, vt tamen, ne arctam ſolitudinem mulierum violaret, minime videretur. nam ex aduerſo portæ cuiusdam tapete interiecto colloquebantur. & quidem Catechiſta noſter vnã ſe inſtruere arbitrabatur, ſed cum Baptiſmo deſtinatus dies aduenit, ſex omnino prodierunt, filia cũ Nepote, & aliæ quatuor earum pediſſequæ: hæ omnes de auditis interrogatæ, ita aptè reſponderunt,

Mater trium Regum vna cũ filia, Nepote & pediſſequis baptizantur.

Inferni directorium.

derunt, vt nihil opus fuerit baptiſmum vltra differre: tantus porro fuit earum feruor, vti nullum ritum, nam fere à contactu abhorrent, nullam vnctionem exhorruerint: expleto Baptiſmo, Miſſæ quoque ſacrificium in eleganti Oratorio ad eam diem comparatum, volentibus celebratum.

His omnibus creſcebat indies fidelium multitudo, vt eos iam ædis noſtræ anguſtiæ non caperent, diuiſi ſunt igitur in tres cuiuslibet hebdomadæ ferias, ne ſimul omnes conuenirent: feſtis tamen diebus ſolemnioribus ſimul omnes venire permittebantur. Solent Neophytis, quo die ſacro fonte abluuntur, ſingulæ ſingulis imagines dari; & præ numero iam domeſticus Theſaurus exhauſtus erat: neque enim abundant illa, quæ tantis terræ ac maris ſpatijs deuehuntur. ergo Noſtri coacti ſunt Chriſti Seruatoris effigiem indigenis ſculptoribus in lignea tabula ſculpendam dare: neque enim in lamina ærea id Sinæ norunt: adiuncta eſt breuis expoſitio, qua ſcribebatur Deum figuræ expertem noſtram tamen ſuſcepiſſe cum forma naturam, & legem ſanctiſſimam è cælis orbi attuliſſe: id neceſſario fiebat ex eo quod nuda inanium Deorum ſimulacris oratoria oportebat ſacris imaginibus opplere, ne ab Ethnicis ſpectatoribus nimis nuda Religio noſtra aut ſine numine eſſe videretur: ſolent etiam Sinæ ſupra domus limen renouatas anni redeuntis initijs neſcio quorum ſpirituuum imagines collocare: in earum locum ſucceſſerunt inſculpta quoque ſingulis tabulis auguſtiſſima Iesv ac Mariæ nomina, quæ ſimul ædium patrocinium ſuſcipiant, & Neophytorum fidem proteſtentur. imo habet hoc etiam priuatum commodum, quod Noſtros Neophytos viſuri hoc ſigno Neophytorum domos internoſcant. his recreati ſunt non parum, quod nihil iam Ethnicis inferiores eſſe viderentur: neque Noſtris ea res minori ſolet eſſe ſolatio, cum inter Ægyptiam multitudinem Dei populum agnoſcunt velut agni Paſchalis ſanguine in limine delibutum.

Chriſti Seruatoris effigies traditur ſculpenda.

Nomen Iesv & Mariæ ſuper liminibus domorum collocatur.

Quid

Quid in Xauceano Domicilio hoc ipſo tempore ageretur.

CAPVT QVINTVM.

CÆptam, vt ſuperioribus capitulis narratum eſt, rei Chriſtianæ propagationem P. Nicolaus in vrbe atque agro ſuburbano acriter perſequebatur, atque etiam partam Chriſto multitudinem accuratè excolebat: De hoc poſtremo prius agendum. Pœnitentiæ Sacramenti vſus ſtuporem multis & admirationem attulit aſſerentibus, cuiquam mortali occulta ſua crimina reuelare, videri ſupra vires mortalibus, à natura datas. Hebdomadæ quoque ſacratioris feria ſexta mirum, quanto pietatis ſenſu Crucifixi adorationem peragerent, poſt auditam de Chriſti tormentis appoſitam ab Eccleſiaſte noſtro cohortationem. Itaque iam inſtructi Xauceani Neophyti, in varijs diſceptationibus ab Ethnicis ſollicitati, ſuperiores euadebant: eadem quoq; conſtantia varias ab æmulis contumelias, & quæ acrius ſentiuntur, damna tulerunt moderatè: neque enim humani generis hoſtis ab hoc opere interturbando conquieſcebat: Miniſtrum habuit per eos dies acrem ſacrificulum illum celebrem, de quo narratum eſt ſupra, eum è Regia Pechinenſi proſcriptum in Cantonienſi Prouincia iuſſum exulare: venerat enim ad numeroſum illud Cœnobium, Nancuà vocant, quod abeſt ab vrbe viceſimo non amplius lapide: eum fama celeberrimum permulti etiam exulem venerabantur, ac fouebant, & quotidie complures in eius tranſibant diſciplinam, quibus fortunæ fauoribus elatus, ex huius fecis more, magno apparatu, inſoleſcebat: audierat forte de rebus noſtris multa minutius, quam noſtri arbitrabantur: non neſciebat id à Socijs ſpectari ac ſperari, fore vti aliquando inanium Deorum ſecta collabaſceret. ſtatuit igitur periculo præſenti auctoritate ſua occurrere: verùm iudicauit congredien-

Vſus pœnitentiæ.

Veneratio Crucis Chriſti.

Sacrificulus exul inſoleſcit iterumq; relegatur.

dum ſibi primo cum P. Nicolao, vti exploraret, quale hominum illud genus eſſet, quod ſpes ſuas ita ſublimiter erigeret: ſed nolebat, pro ſua modeſtia ad hominis externi viſitationem ſeſe abijcere, quam miris artibus procurabat, ſed fruſtra, ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam reſponſum eſt: neque enim decet in hoc regno verbi diuini præcones vllam cum abiectiſſimis & impuriſſimis hominibus vitę communionem affectare. Venit igitur tandẽ deſperatione primæ viſitationis adductus, inimicitias amico vultu tegens: arbitrabatur ille vulgari Sinarum opinione deluſus, Barbarum ſe hominem ac litterarum neſcium reperturum: ſed vbi ſenſit eum de rebus, vel infra, vel ſupra naturã aptè diſſerere, ne à doctiore confutaretur, hanc inuitationem, vt quæcunque à P. Nicolao audiret, ea omnia diceret nihil à ſuæ ſectæ placitis admodum diſcrepare: diſplicuerunt tamen acriores in Deos ſuos Philippicæ in noſtrorum voluminibus conſcriptæ, & vlturum ſe minabatur. Verum Diuina bonitas eo nos etiam metu liberauit. cum enim ſibi ſecurus videretur, ac totus eſſet in adiungendis diſcipulis, fanis extruendis, Cænobitis ſuſtentandis, noua ab Rege proſcriptio deuenit, vti in extremam Sinenſis Regni Inſulam ad Auſtrum. Hainan nomine, relegaretur.

Calumnia ſpargitur in noſtros.

Hoc labore perfuncti Noſtri, etiam resq; Chriſtiana vniuerſa grauius diſcrimen adierunt. Ad vrbis enim gubernatorem deferebatur, præcipi nempe legis Chriſtianæ legibus, vti maiorum ſuorum imagines illius ſectatores concremarent, quæ res vti impia eſt, ita etiam habetur à Sinis atrocior, quam ab Europæis. huius rei neſcius P. Nicolaus illum ipſum Gubernatorem viſitabat, & is noſtros ſtatuerat non plectendos, ſed ſolum admonendos, calumniam enim illam ipſe veram eſſe ſibi perſuaſerat: hortabatur igitur, vt ab ea re abſtineret, quæ homini externo malum ingens aliquod poſſet accerſere, quem in alieno Regno decebat minus eſſe inſolentem. P. Nicolaus rationem facti ſui reddens, minime negauit,

quidquid in ſimulacra auſus fuiſſet: eam enim legem etiam ex ipſis litteratorum placitis arbitrabatur extinguendam. aderant in hoc congreſſu pro tribunali nempe complures; de maioribus tamen hac iniuriæ afficiendis pernegauit, præceptum etiam de parentum honore allegans: inter vtrumque grauis orta diſceptatio, nec breui tempore: ac tametſi noluit victus videri Gubernator, non eſt auſus tamen Euangelij curſum inhibere. ea re Neophyti mire confirmati ſunt, quod dicerent Doctores ſuos ipſam etiam pro Tribunalibus non erubeſcere veritatem. Per eos dies venerat nouus Tauli, qui Xauceanam & Nanchiunam Regiones, ſupra cæteros Magiſtratus moderabatur. ergo ne Regionis noſtrę Præfecti cum ſimilibus querelis præuenirent, ſtatuit ipſe ad eum viſendum præire, & ſimul donauit inter cætera munuſcula Catechiſticam P. Matthæi commentationem Pechini recens editam. audierat forte ille ipſe de P. Matthæo nouus Tauli, déque ingreſſu in Regiam, de Magiſtratuum ac Regis fauore, quæ omnia pro tribunali Patri narrauit: detentum videlicet eum à Rege in Regia, ærarij Regij ſumptibus ſuſtineri, è maximo quoque coli, & condolere videbatur illius ſortem, quod à reditu in Patriã prohiberi videretur. Verum P. Nicolaus intulit, Socium ſuum Pechini lubentem detineri, nec Patriam ſuſpirare, aduentus enim ipſius ac cæterorum ſociorum conſilium ex hoc ipſo volumine ſatis conſtare, quod ipſe in ea ipſa Regia excudiſſet. Recreatus eſt nouus Tauli Patris conſpectu atque congreſſu, & eius humanitatis præfectis nocendi ſpem eripuit, ratis quod euenit, eum rerum noſtrarum patrocinium ſuſcepturum. Nouus Tauli Socijs patrocinatur.

Non tamen ea res ſatis fuit, vt vicini fani ſacrificulos omnino perterreret: cum enim aduertiſſent Neophytorum multitudine Parochialium ſuorum numerũ, & quod inde ſequebatur, ipſiq; acrius ſentiebant, lucra imminui: effecerunt, vti eorum Archimandrita ad P. Nicolaum prohibendum acce-

deret, quod fecit ille domi noſtræ precibus primum ac tandem minis, ſed æque vtrumque riſu ac ludibrijs excepit, Magiſtratuum fauore ſubnixus.

Socij publicè à Neophytis excipiuntur.

In hunc ipſum annum inciderat P. Emmanuelis cum tribus ſocijs reditus, cum id à Neophytis reſcitum eſſet, certatim permulti ſcaphas conſcenderunt, & ijs iam adhuc remotis occurrerunt, ſed ita vt tympanis ac tubis publicam lætitiam declararint, ac etiam varijs edulijs nauigantium nauſeam recrearint, eaque pompa domum noſtram claro die, multis ad ſpectaculum concurrentibus deduxerint. ea res vti ſtuporem Ethnicis, ita Noſtris lætitiam ingentem conciliauit, ac nullum Deo gratulandi finem facientes mirabantur, eo in Regno tot ſæculis ab externis impenetrabili, nunc publico apparatu Euangelij præcones admitti nullo prohibente: ſed ea libertas paucos annos tenuit. nam res Cantonienſes graui tumultu perturbatæ, nondum ad hanc diem ſerenitatem priſtinam aſpexerunt, ac fortaſſe nos ipſi, dum nimis laxauimus, ſtrinximus priores anguſtias: permultos dies in hoc domicilio Neophytorum viſitatione ac muneribus recreati, de diſceſſu cogitarunt. relictus eſt è quatuor vnus P. Nicolao futurus comes, reliqui tres in Regni penetralia nauigarunt, & diſceſſus nihilo inferiore Neophytorum pompa publicè cohoneſtatus eſt.

P. Nicolaus liberius rem Chriſtianam proſequitur.

Auctus Comite, qui rem domeſticam curaret, P. Nicolaus liberius ſeſe in rem Chriſtianam effudit, & vicinas omnes in ſuburbanis villis Eccleſias viſitauit, confirmauit, auxit, maxime apud ſenem Paulum, apud quem ſatis habuit quod ageret inſtruendis Catechumenis, ac ſacro fonte eluendis; enodandis etiam dubiorum nodis, qui ſubinde inter colloquendum abſente Noſtro inciderant, quæ dubia etiam ad memoriam ſcriptis in aduentum Doctoris commendarant, tantaq; erat boni ſenis, rerum noſtrarum diſcendarum cupiditas, vt nunquam

quam auelli poſſet à Noſtris, ſi quando Tyrones ſuſcepiſſent imbuendos. Neque apud illum ſtetit fructus. nam hinc euocatus eſt ab eiuſdem propinquo, qui decimo aberat lapide: & quoniam is, qui noſtrum euocarat, vir erat apud ſuos celebris, & natura ad pietatem propenſus, commodorumq; publicorum Procurator, viſum eſt apud eum tentare, ſi vſpiã latius ſeſe fides propagaret. iuit igitur comite ipſo Paulo, & magnam reperit eorum multitudinem, qui ad ſpectandum audiendumque concurrerant. ingreſſus igitur in aulam, vidit in Oratorio inter Idolorum ſimulacra ſupra quinquaginta inſignem Dei Parentis imaginem cum puerulo IESV, quem D. Precurſor venerabatur; neque erat, qui de hac effigie aliud ſciret, niſi eſſe Dei Parentis ac Reginæ ſupra cæteras eminentis: ſolatij plenum & admirationis P. Nicolao fuit huiuſmodi ſpectaculum. tum enim ſibi videre videbatur ad litteram lilium inter ſpinas: eam deinde conſtitit depictam fuiſſe ad illius ſimilitudinem, quæ inter munera regia deinde adnumerata eſt. hac igitur occaſione narrare cæpit P. Nicolaus Dei hominis auguſtiſſimum ſacramentum, ac vniuerſam D. Præcurſoris hiſtoriam, quæ narratio audita eſt magna omnium voluptate, maximeq; placuit audire, quod è Parentis vtero Præcurſor in Virginis vterum neſcio quibus oculis penetraſſet, & viſo Domino exiliſſet: inde ad reliqua fidei noſtræ myſteria longa oratione deuentum eſt, atque omnes hoſpites domeſtici ita permoti fuerunt, vt extemplo ſimulacris eiuratis Chriſto profiteri ſtatuerint. ergo ſubito in Idola furore correpti, ad vnum omnia è ſolio maieſtatis exturbarunt, & in excitatum in atrio incendium deportarunt: inde oratorio ipſo ſacris orationibus emundato, ſolam Dei eiuſq; Parentis ac Præcurſoris effigiem ſtatuerunt, & ad aram ſacris veſtibus, quas ſecum detulerat, ornatam, iuſſit vti proſtrati de impenſis Diuinis honoribus ijs quibus impendi nefas erat veniam poſtularent, atque in po-

P. Nicolaus eximium fructũ in aula cuiusdam viri celebris fecit.

ſterum vnum rerum omnium conditorem ac moderatorem veneraturos receperunt. In hac ipſa Aula, dum de fide noſtra peroraretur, adfuêre forte tres ſacrificuli è vicino fano ac Cænobio, quod vtrumque Vaginus hoſpes, ita enim vocabatur, extruſerat, cum ijs longa fuit diſceptatio, ſed non tulerunt tenebræ lucem: ergo placuit etiam omnium iudicio, nullam in ea lege ſuſcipienda ſe moram facturos, vbi Rex ad eam publicam feciſſet facultatem. his proſperis rei Chriſtianæ curſibus Paulus ſenex magnopere exultabat: cum vero ſacrificuli abirent, eos Vagini vxor cōſecuta grauiter reprehendit, quod cum externo domi ſuæ minus vrbane contendiſſent; denique paucis primo huius excurſionis Baptiſmo decem & octo Chriſtum in Baptiſmo profeſſi ſunt, à quo excluſus eſt Vaginus ipſe Polygamiæ vinculis nondum expeditus: cum enim filijs careret, quod apud Sinas infælicitatis eſt non minimæ genus, perſuaderi nondum primo congreſſu potuit, vt ſpem poſteritatis ſaluti æternæ poſtponeret.

Octodecim Chriſtum profeſſi.

In alio etiam pago, cuius Neophyti extructa iam æde ſolitum fidei curſum tenebant, Chriſto ſunt aggregati nonnulli, quos inter ſcripto dignus eſt nonagenarius ſenex, qui iam quadriennium totum, ex quo P. Nicolaus eo penetrarat, legis noſtræ prælectiones, ne in aures quidem admiſerat, pertinacem exigens ſenectutem in ſuis erroribus: ex eo enim quod idola non coleret, aſſerebat ſe nullius criminis ſibi conſcium videri, & huius innocentiæ præmium ita longam aſſerebat eſſe ſenectutem. adductus eſt denique hortatoribus filio ac Nepotibus, vti Chriſtianam ſuſciperet Religionem, ſed Baptiſmum ipſe poſt tres menſes differebat, vt maiori celebritate pararetur: hoc ei Dæmonis artes perſuaſerant, non facile ferentis hanc ex vnguibus prædam ſibi eripi: ſed conſtantia pertinaciam vicit: aſſeruit enim ſe P. Nicolaus minimè diſceſſurum: niſi poſtquam cum vitæ præteritæ maculas ſalutaribus aquis

Senis nonagenarij conuerſio.

piaſſet.

expiaſſet. factum eſt igitur tandem ex omnium voto, & Antonius appellatus inter dies paucos ipſo ſenio defecit, cuius vitam eo vſque diuina benignitas conſeruarat, donec eam meliorem in morte reperiſſet.

In alio Pago mulier quædam in ægritudinem inciderat: ad eam Sacerdos noſter euocatus eo conſilio, vti aqua luſtrali conſperſam (illius enim vim fama vulgauerat) in viuentis ſpem reuocaret. neuter votis ſuis excidit; conſperſa conualuit non animo minus quam corpore. & vna cum marito alijsq; pluribus, poſteaquam idola ignibus damnarunt, ſacris vndis fuit abluta: ergo ſimul omnes ſupra triginta vno ſunt Baptiſmo expiati, & in Xauceano domicilio, cõputatis vrbanis atque ſuburbanis quadraginta ſupra centum eo anno Chriſto ſunt aggregati. verum hunc feliciſſimum rei Chriſtianæ curſum grauis è Metropoli orta in Noſtros procella, penè in perpetuum ſtitit, de quo ſuo loco fusè: res enim eſt annalibus digniſſima, & in qua Diuinæ prouidentiæ indicia elucent luce meridiana clariora.

Res Chriſtiana Nanchinenſis belle procedit, & amicus noſter Chiutaisò Chriſto aggregatur.

CAPVT SEXTVM.

HOc tempore in Nanchinenſi Domicilio è Noſtris quinq; degebant; Sacerdotes quatuor, & frater noſter vnicus: hi cum alumnis ac famulis familiam vtique numeroſiorem ſolito conſtituebant, ideo qui præerat P. Ioannes coëmptis ædib⁹ vicinis noſtras laxauit anguſtias: tres igitur ſacerdotes vnam rem curabant, litterarum Sinenſium ſtudijs incumbentes; non igitur pro noſtrorum numero meſſis fuit, quod eam ſoli duo procurarent, & quidem domeſticis negotijs ſatis ſuperq; diſtenti; nam Noſtri P. Ioannis prælectiones quotidianas audiebant,

Chiutaisò Patrum amicus Ignatius appellatus, & Chriſto aggregatus vna cum filio.

diebant, & Frater noſter Neophytos fere populares excolebat: non pauci tamen Chriſto nomen dederunt: inter quos diu deſideratus amicus noſter Chiutaisò, de quo ſupra ſæpè, quem in poſterum Ignatium appellabo: huic noſtri omnes, & res Chriſtiana Sinenſis adhuc Ethnico multum debebat: nam magna pars earum rerum, quæ in Cantonienſi & Chianſinenſi prouincijs perfectæ ſunt, ei debentur. Nanchinenſis vero ſedes ab eo maxime ſecundum Deum conſtituta eſt: ſecunda etiam in Regiam nauigatio à Noſtris inſtituta eo maxime adnitente: hæc omnia in nos beneficia iam diu Socij, quibus poterant modis, remunerabantur. Duæ res illum retardabant à fidei Chriſtianæ profeſſione, Pellex nimirum è qua filios duos ſuſceperat: deinde idolorum placita, quæ in lucem edere cogitabat, vt inde ſibi famam venaretur. alia vero ad fidem noſtram pelliciebant, cognita legis noſtræ veritas ac ſanctitas, quam ipſe in omni conceſſu prædicabat, amor quem ſentiebat ſibi à Noſtris verbis factisq; deferri, hæc igitur omnia eum hinc inde fluctuantem nullo loco animo conſiſtere permittebant, & opportune hoc ipſo tempore cum filio natu maximo annorum iam quatuordecim Nanchinum venerat: eum igitur vt Chriſtiana ſacra ſuſciperet, volens Noſtris dedit, ſæpè confirmans, iam diu ſibi conſtare, extra legem noſtram nemini ſalutem obtingere poſſe, nec Chriſtianum fecit ſolum, ſed reliquis alumnis adiungi optauit, in ea ipſa lege, quam ſuſceperat educandum: ea res gratiſſima Noſtris cecidit, vel Parentis amicitiæ debita, vel adoleſcentis vtilitati profutura: Matthæus igitur ex grata P. Matthæi recordatione auctore Parente nuncupatus, apud Noſtros & Sinenſes litteras & Europæam maxime pietatẽ ediſcebat; idque maximo emolumento ex adoleſcentis induſtria & labore, quod Parens ac reliqui propinqui multi ac nobiles in beneficio à noſtris accepto reponebant.

Per hos ipſos dies Nanchinum miſſus eſt neſcio, qua ex cauſa frater Noſter Franciſcus Martinez Ignatio perfamiliaris, dum in Cantonienſi Prouincia ſimul cum Noſtris habitaret: eum igitur, cum etiam nunc poſt tot annos Ethnicum reperiſſet, magna libertate, quam amoris ſignificatio leniebat obiurgauit, quod nondum vagam illam viuendi conſuetudinem, & in repugnando Diuinæ vocationi pertinaciam aliquantùm dimiſiſſet: magnam vim habuit Deo intus operante hæc aſperior Fratris noſtri cohortatio, & quidem tantam, vt denique vocantem Deum audire non vltra detrectaret. ergo nihil deinde tergiuerſatus, Doctrinæ Chriſtianę tractationem legendo repetijt ſolito attentius ac intentius, eo perlecto nihil vltra diſtulit ſacri fontis poſtulationem. Pellicem in legitimæ vxoris locum delegit, idola omnia vnà cum tabulis, è quibus cudebantur, & bibliotheca, quæ profanæ ſectæ dogmata continebant, ignibus vſtulanda ad nos miſit, fecit quidquid ſpoponderat cumulatè, & quidem tanta die quadam eloquentia coram Neophytis pluribus idola confutauit, vti dubium fuerit omnibus lætitia ſtuporem nec ne ſuperaret. eius Baptiſmo dicta dies eſt, quæ Virgini ab angelo ſalutatæ dedicatur & inciderat eo anno fortaſſe in ſextam illam quadrageſimæ feriam, qua Euangelium de Lazaro in vitam excitato recitatur: eo die Frater noſter Franciſcus ad Neophytos perorauit, & orationis capita tribus eo die myſterijs illuſtri ita diſtribuit, vt primum de Deo ageret homine, deinde ob ſextam quadrageſimæ feriam de Domini tormentis, ac denique de Lazari ſuſcitatione diſſereret: aderat Ignatius, & orationē ſuſcipiens, ipſe ſibi Lazari hiſtoriam applicauit, idque fecit eo facundæ pietatis ſenſu, vt eum in audientes transfunderet.

Priuſquam ad Baptiſmum ſuſcipiendum accederet, proſtratus humi ſolum fronte quatere magna doloris ſignificatione cæpit: hic enim ritus ab ijs apud Sinas adhibetur, qui erra- *Ritus quatiendi fronte ſolū*

ti veniam ſolent poſtulare, tum proteſtationem fidei ſuæ palam recitauit, eamq́; ſcriptam ſocijs tradidit fidei ſuę monumentũ: eam hic quam fideliſſimè fieri poterit, latine reddam, tametſi ſciam, non eam habiturum leporem, in habitu externo, quam in patrio videtur præſeferre. Chiù Ignatius, anno quem cieù vocant, natus ſecundæ lunæ, die ſexto (quod in annum cecidit milleſimum quingenteſimum quadrageſimum nonum, menſe Martio) in vrbe Ciancieù Regionis Succeù prouinciæ Nanchinenſis in Regno Tamin (ita Sinæ ſuũ regnum vocant, vt alibi dictum eſt) Ego omni veneratione, & intima ſcelerum meorum pœnitudine ductus, cupio veniam à Deo poſtulare, vti ſalutarem mihi aquam ſuam ad ea eluenda donet; gratiamq́; largiatur ad ſacroſanctæ legis ingreſſum. perpendo me hominem annorum quinquaginta ſeptem tanto tempore oculos habuiſſe, nec Diuinam legem ſpectaſſe, aures nec Diuinum nomen audijſſe, ſed contra ſectam Scechiâ (nomen eſt idoli maximi) ſum ſecutus, tametſi intelligerem rationi eam ac veritati repugnare: eamq́; longe latéque propagaui, quæ culpa mea maxima eſt, & immenſum propè peccatum; quod ſine dubio imam barathri profunditatem merebatur: annis ſuperioribus fortunatè ſanè incidi in veritatis Magiſtros è magno occaſu venientes, Matthæum Ricium, ac Lazarum Cataneum, vna cum eorum comite Sebaſtiano Ferdinando: Hi mihi primum res Diuinas manifeſtarunt, & nunc iterum incidi in Ioannem Roccia, & eius Socium Franciſcum Martinez, Hi me in olim auditis confirmarunt, quibus Doctoribus intellexi cælum, terram, mortales omnes, ac cæteras res vniuerſas à Deo factas, eidem ſubditas eſſe oportere: nullam aliam ſectam aut legem conſonam eſſe veritati; ſcelera omnia à ſolo Deo per eius miniſtros condonari: ab eo item ſolo cæli gloriam ijs conferri, quorum de peccatis dolor verus fuerit & efficax: & quoniam his medijs hominem credo à Deo

Ignatius fidei proteſtationẽ edit.

gratiam

gratiam ac cætera beneficia poſſe impetrare, Deum obteſtor, vti me hac veritate ita imbuat, vt eam opere exequi liceat, & illius Diuinum Numen conſtanti animo & ſtabili venerari, meque ad eius ſacra præcepta moresq; conformem. Ex eo ipſo die quo Baptiſmi fontem accepero, qui ſordes animi omnes expurgat, in poſterum ſpondeo, inanium Deorum ſectam eiusq; placita, rationi aduerſantia, me ex animo ſtirpitus euulſurum: obſeruaturum etiam, ne quo modo cogitationes ac vota, in immodicam rei familiaris cupiditatem, & huius vniuerſi vanitatem, & res falſas ac temerarias pronius deferantur: obediam Patri ſuperno, & me ad rectum ipſius legis iter conuertam, & noua ſenſuum cuſtodia, naturæ lumen à Deo mihi inditum, ad priſtinum ſplendorem, pro virili reducam: à me ipſo initium faciens, & in cæterorum commoda accepta bona deriuans. Ad fidei Chriſtianæ capita quod attinet, tametſi in ſingulis myſterijs eorum magnitudinem non aſſequar, tamen ex animo me ſubijcio, credoq; omnibus, quæ in ijs continentur, ac Spiritum ſanctum obteſtor, vt hæc mihi ſua luce declaret. Nunc igitur ex quo recens credere incipio, cor meum eſt inſtar ſpicæ teneræ ac fragilis; quamobrem Reginam Dei Parentē deprecor, vti interius animos ac vigorē conferre ne dedignetur, apud filium ſuum Deum intercedens, faciatq;, vti hoc animi mei propoſitum conſtans ac ſtabile nunquam vacillet: aperiat animi mei facultates, & cor mundum clarumque impetret, vti veritatem admittat, atque retineat rationem: os meum aperiat ad Diuinam legem, toto noſtro Regno euulgandam, vti nemo ſit, qui non veri Numinis legem agnoſcat, eiq; ſubdatur.

Hac ita ſolida huius litterati ad Deum conuerſione, omnes merito in Domino exultarunt: ipſi Ethnici magnam illius legis opinionem conceperunt, quod viderent Ignatium, qui idolorum ſectam, tot annis propugnaſſet, eiuraſſe.

Neque reliquis Neophytis ſuam laudem ſubtrahamus. hi enim omnes, quoties res ferebat, magnam ardoris ſui ſignificationem exerebant: quæ quoniam quotidiana ſunt, & in reliquis domicilijs ſæpè cantata, ſine iniuria omittuntur, vt arbitror; ſed non inſignis Pueri ad Chriſti fidem conuerſio, qui iam litteris primã operam dabat, Filius vnius è Regijs admonitoribus ac Sindicis, quæ dignitas inter grauiſſimas computatur. Is cum Pechino Nanchinum veheretur, multum habuit ſermonem de fidei noſtrę myſterijs cum Li Pauli compendium eius doctrinæ memoriter didicit, ac tandem Baptiſmum impetrauit.

Inſignis pueri conuerſio ad fidem.

Magiſtratuum amicitiam conſeruauit P. Ioannes & auxit: nec nihil illa profuit varijs in caſibus, ſed maximè contra Regionis illius, in qua noſtri commorabantur, præfectos: hi enim apud Magiſtratus efficere conati ſunt, vti Noſtri nocturnis excubijs ſuo inter vicinos ordine inuigilarent, aliaq; onera ſubirent ab inſtituto aliena. Hac de re monitus P. Ioannes, Magiſtratum quendam amicum noſtrum extemplo admonuit, qui negotio in ſe ſuſcepto allocutus eſt ſuperiorem Magiſtratum apud quem effecit, vti ſententiam ex legum præſcripto in fauorem Noſtrorum pronunciaret, & eos in perpetuum his oneribus eximeret, quod eſſent litterati & externi; id perfectum ex animi noſtri ſententia luculente. atq; ita Noſtri inimicis prope agentibus, quod petere reformidarant, impetrarunt.

Pechinenſis Domicilij res geſtæ: Domus coëmpta, Euclides Sinicè editus.

Capvt Septimvm.

Nondum ſtabilita Pechinenſi ſede, Noſtri in re Chriſtiana procuranda remiſſiores ſtudio erant, ne qua forte nouitatis

uitaris ſuſpicione ſua vota diſturbarẽt, ſed impetrato eo, quod maximè cupierãt, libera ſcilicet in Regia, habitatione, nihil vltra conceptos ſpiritus diſtulerunt, ſed vires omnes in id cuius cauſa venerant contulerunt: adlaborabant tamen, vti potius Neophytorum ardore, quam multitudine principia cohoneſtarent, ad eam rem iuuit his initijs Ignatius Ludimagiſter, quem ſupra diximus Chriſto aggregatum. hic enim pueros ſibi in diſciplinam traditos, non Chriſtiana pietate minus, quam litteris imbuebat: Chriſti Seruatoris imaginem in ludo propoſitam omnes venerabantur: ac tametſi non omnes legi nouæ acquieſcerent, omnes tamen eius legis capita audiebant. Michaëlem quendam, ita deinde vocatum, rudioris ingenij non permittebat de Chriſti fide ſuſcipienda tractare, ſiue vt eius deſiderium incenderet, ſiue quod arbitraretur, eum ad res Diuinas nondum per annos aptum eſſe. Verum veſpertinis horis domo egreſſus die quadam fulgure ictus aut territus, ſemianimis in terram lapſus eſt: eo in lapſu puer narrat ſe vidiſſe Deum ſpiritibus plurimis cinctum, ex eoque hæc verba audiuiſſe: ego illi vitam nunc quidem condono. Domum relatus eſt, & collectis tantiſper viribus, magiſtrum inclamat. venit ille, ac recitata oratione ſemel Dominica & ſalutatione Angelica, Michael repente conualuit, & hæc quæ dixi, Magiſtro narrauit. qua ex cauſa Mater eum Deo obtulit, & Chriſto iuſſit volentem aggregari. ipſa deinde ſecuta eſt, hodieque Chriſtianæ pietatis retinet inſtitutum. his quoque temporibus Neophyti illuſtri exemplo aliquot in Chriſti gregem pellexerunt. Neophytus neſcio quis homicidij aliorumq; criminum delatus erat falſò: Iudex fauore ac largitione corruptus ab accuſatore dicebatur: ei Neophyti tanta diligentia ſuccurrerunt, vt propinqui non ceſſarent admirari: denique pronunciata eſt ſententia, ſed parum in Neophytum æqua: plus enim largitio potuerat, quam hominis innocentia. ſed in re

Puer quidam fulgure ictus vocem Dei audit.

Neophytus innocens mirabili modo à mortis ſupplicio liberatus.

deſperata Dominus etiam ſeipſo cum Neophytis adiutoribus conſpirauit. cum enim is qui ſententiam tulerat, inferior Magiſtratus ad ſuperiorem ſententiam confirmaturus perrexiſſet; ait ille ſe ipſa nocte in ſomnis vidiſſe neſcio quem, cuius os habitusq; imaginem illam referret, quam externi Litterati ſua in æde venerantur: nouerat enim ille noſtros, & iam ædem imaginemq; ſpectauerat, ab illo viſum ſe audire hæc ipſa verba: Quidni ſubuenis cuidam ex Eccleſia mea oppreſſo? ergo lectam in Neophytum ſententiam extemplo antiquauit, eumq; innocentem declarauit, accuſatorem vero falſitatis conuictum acerrima verberatione plecti iuſſit.

Neophytus alius graui moleſtia oppreſſus in morbum incidit periculoſum & grauem. ergo pœnitentiæ cauſa Sacerdotem noſtrum euocat, eiq; narrat, vidiſſe ſe nobilem matronam cum infantulo in habitu candido, qualem nos nullam ibi habebamus. eam ipſe credebat eſſe Dei parentem ac puerulum IESVM: dicebat igitur matrona: ſudorem huic exprimite, ego enim illum ſanum volo: ſudor copioſus, imminens vitæ periculum extemplo excuſſit. Sacerdos noſter vt ſe confirmaret, ſciſcitatur, nihil ne dubij in fidei rebus reperiat, cui reſpondit ille; quidni credam, inquit, cum ille ipſe Deus ad me videndum ac iuuandum acceſſerit: cum igitur breui vires collegiſſet, in ædem ſacram venit, & vniuerſi temporis ex quo Chriſti fidem profitebatur peccata à memoria repetens confeſſione generali expiauit, idque ſua ſponte fecit nullo hortatore. Verum hoc ipſo tempore neſcio an alius aliquis maiore lætitia Socios affecerit Chriſto aggregatus, quam ſenex quidam annorum octoginta & duorum: is erat Negotiator copioſus æris potiſſimum ac metallorum venditor. cum igitur ad Chriſti fidem aſpiraſſet, complura Deorum ſuorum ſimulacra ære inaurato ſplendida Noſtris miſit, addidit etiam libros profanæ doctrinæ Magiſtros: inſtruitur, baptizatur, Fabius

B. Virgo Neophyto cuidam apparet.

Senis octogenarij conuerſio.

bius appellatur: ac deinde triennium fere vitæ ſuperſtitis admirabili animi moderatione iacturam bonorum ab æmulis procuratam tolerauit, tametſi abeſſet ab æde ſacra tertio fere lapide, ac varijs negotijs diſtineretur, nullo die feſto Miſſæ ſacrificium neglexit. Deniq; in lethalem morbum incidit, qui ſupra annos eum afflixit, de peccatis confeſſus magno ardore ſacrum ad iter viaticum expetebat, ſed neque domi loco conuenienti celebrari poterat, neque pro maieſtate per vicos deferri: ſolabantur igitur illum Socij neceſſaria peccatorũ confeſſione perfunctum, poſſe ſine viatico, quod legitime impeditus minimè ſuſciperet, cæleſtem gloriam introire: Deſiderium autem Chriſti videndi, ingraueſcente morbo, ita creuit, vt in aulam Sociorum deferri voluerit, vbi exclamaſſe cæpit: date mihi Diuinum corpus. hoc eius facto noſtri ſtupuere, & moribundum ſenem in lectum vicini cubiculi detulerunt, interim vero, dum quieſcit nonnihil, auguſtiſſimum Chriſti corpus ad eum deferendum, qua fieri potuit pompa, comparatur: totum iter quod ex æde in cubiculum Sacerdoti tenendum erat tapetibus inſternitur; Neophyti ſinguli cereos manibus geſtantes longum ſupplicantium ordinem explicuerũt: Ad conſpectum Domini ſui bonus Fabius viſus eſt reuixiſſe: nam elata voce exclamauit, ſe æmulis ſuis, à quibus iniuriam accepiſſet, ex animo condonare, & ſuorum criminum veniam ſuppliciter à Deo poſtulare, corpore Chriſti munitus, & ſacro oleo inunctus poſt dies aliquot animam ſuo conditori reddidit, vxor Catechumena funebribus ritu Chriſtiano perſolutis, fidem quoque Chriſtianam amplexa eſt.

Euchariſtia cũ pompa ad ægrotum defertur.

In hac regia ſexennium totum Noſtri in conductis ædibus habitarunt, non ſine graui vel incommodo, vel ſumptu ex frequenti permutatione, quæ varijs ex cauſis, ſed maximè fiebat ideo, quod nuſquam aptum ædi ſacræ locum Socij reperirent & eodem tempore tot infortunijs Amacaenſis fortuna concuſſa

eſt,

eſt, vt Viſitatori quod maximè volebat, nunquam integrum fuerit, hanc ſedem, in qua tantum erat huius expeditionis pondus, pro voto ſtabilire: & tamen ad ædes coëmendas, quæ his initijs noſtris vſibus ſatis eſſent, aurei quingenti ſufficiebant: hoc igitur tempore ſacerdotes e Noſtris Pechini tres omnino commemorabantur; & nuper in Tyrones admiſſi erant adoleſcentes duo natione Sinæ, in Amacaenſi oppido nati: his accedebant Alumni alij duo, qui non ſecus ac Noſtri ipſi educantur: præterea domeſtici famuli, quos omnes conductæ domus anguſtiæ vix capiebant: neque enim ſumptus ad maiores ędes Pechini cariores aliquanto ſuppetebant. ergo cum Noſtri circumſpicerent, ſi quid venale eſſet vſibus noſtris accommodum, audierunt in optima vrbis regione, ac prope medio in ſitu inter Magiſtratuum fere tribunalia venalem domum proſtare, quæ ſua amplitudine Noſtros caperet, nec pretij magnitudine deterreret nam vetuſtior erat aliquanto, & fama erat, ſpectris neſcio quibus obnoxiam, Sinicisq; ritibus infelicem haberi. ergo adhibitis in conſilium amicis, maximè Ciù Paulo, non conſilium ſolum, ſed etiam auxilium numorum inuenerunt. ergo illis ipſis agentibus intra triduum res tota concluditur, & Noſtri anno quinto ſupra ſecularem Auguſti vigeſimo ſeptimo, in ædem nouam commigrarunt, & in ea primum ſacellum elegans, ac peramplum concinnarunt: hac re ſedes Pechinenſis magnopere ſtabilita eſt, & Noſtri laxius aliquanto habitantes Tyronibus à domeſtico tumultu remotiorem locum deſignarunt. eam rem non cæteri Socij ſolum. ſed ipſe quoq; Viſitator magnopere comprobauit, ac diſſoluendis debitorum nominibus & coëmendæ ſupellectili ſumptum miſit: poſtmodum tribus in ſuperiori contignatione cubiculis, in inferiori totidem domus aucta eſt, & Noſtri in aëre liberiore reſpirarunt. Domus enim vniuerſa intra parietes ſocios recluſa, nec ſuper vnam contignationem

Numerus Sociorum Pechini.

Alia domus vſibus Sociorũ accommodatior emitur.

Viſitantium multitudo.

tionem

tionem aſſurgens, quales fere ſunt Sinarum ædes, nihil præter cælum ipſum murosq; ſpectabat. cum nouis ędibus creuit etiã concurrentium, nosq; viſitantium ex omni ordine hominum multitudo. Eius rei laborem, ſpes fructis aut ipſa fruges ſolatur. Itaque oportet fere vnum aliquem è noſtris dies totos in Aula quæ Viſitatores excipit conſidere, atque ita nihil opus eſt Noſtris ad fidem euulgandam per vrbem vicosq; curſitare, ſed ſua ſponte permulti veniunt, & quidem interrogati, cuius rei cauſa, plerumque reſpondent duabus ſyllabis Linchiaù: ac ſi dicas, accepturus doctrinam veni. ac tametſi nonnulli etiam rerum nouarum cupiditate alliciantur, nihil tamen refert, quocunque modo Chriſtus annuncietur, & magno ſolatio eſt, quod non è vulgo: ſed è prima nobilitate ac litteratorum Magiſtratuumq; maieſtate concurſus conſtent. vnde fructus è ſimili gente collectus, quo latius diffunditur eo diuinior eſſe cenſetur.

Coëmpta igitur domo, contractus inſtrumentum miſêre Noſtri ad grauiſſimum in eo munere Magiſtratum, vti cum contractum ſuo ſigillo confirmaret, conſtaretq; Noſtros in vrbe Regia è Magiſtratuum voluntate ædes coëmiſſe. ſed adhuc vna cura premebat, annos enim fere quinque nemine tributum domus exigente, ſiluerunt, & ob id ad tribunal vocati, rationem reddituri. cur tot annos domeſtico ſeſe onere nondum liberaſſent. veritus eſt P. Matthæus, ne ſupra debitum vectigal mulctam etiam lueret tarditatis: ergo ſcripta ad amicum ſuum Magiſtratum ſchedula, qui erat etiam illi familiaris, cui regionis noſtræ reuidendæ à Tribunali cura fuerat demandata; ea ſchedula petebat, vti efficeret apud familiarem ſuum, ne homines externi & apud ſuos litterati vulgi oneribus ſubijcerentur. fecit & ita, vt non ſolum nihil de præteritis annis quereretur, qui inquirebat, ſed ſcripto diplomate Noſtros in perpetuum immunes declarauit, domumq; noſtram e tributorum

Patres immunitatibus donantur.

butorum regiorum cõmentarijs expunxit. ea res magni momenti fuit, non ipſa tantum tributi liberatione, ſed quod eo diplomate publica fiebat externis hominibus facultas in ea regia commorandi, viſa etiam noſtris eſt quodammodo ædes noſtra ſacra, in hoc totius regni capite, Eccleſiaſticam libertatem conſecuta.

Excurſiones in pagos vicinos.

Non ita multo poſt oblata eſt Noſtris opportuna commoditas in pagos quoſdam regionis Pantinſũ Prouinciæ Pechinenſis excurrendi, triduo fere ab vrbe regia diſtantes. ea excurſio facta eſt eo duntaxat conſilio, vt fides noſtra latius vagaretur. nec ſpem fefellit euentus. primis annis Neophytorum numerus centum & quinquaginta ſuperauit, ac deinde paulatim annuis incrementis ſeſe magis ac magis propagauit.

Eo quoque tempore res fieri cæpta eſt, quæ tametſi primo aſpectu ab inſtituto aliena videatur, vſu tamen Magiſtro conſtitit non parum ad inſtitutum profuiſſe. Ciù Paulus Doctor id vnum videtur agere, vt editis iam voluminibus de fide ac moribus aliquot, aliud etiam de ſcientijs Noſtris velut præguſtatorium ferculum preponeremus, in quo ſimul nouitas cum euidentia decertaret, de varijs igitur ſcientijs noſtris actũ eſt, ſed nihil eo tempore ita placuit, vt Euclidis elementorum volumen: ideo quod Mathematicæ apud Sinas diſciplinæ æſtimantur quidem ſupra cæteras fortaſſe nationes, ſed practicè omnia fere proponuntur, nec à proponentibus demonſtrantur. vnde licuit cuilibet ſua, quæ non probaret ſomnia comminiſci: Euclidem vero conſtabat Geometricas ſuas propoſitiones ita proponere, vt etiam pertinaces conuincantur. Ergo ad P. Matthæum in hoc opere iuuandum deſignatus eſt amicus Pauli Licentiatus quidam, qui eodem cum eo tempore eum fuerat gradum conſecutus, ad vlteriorem gradum adſpirare ex Sinarum legibus ei non licebat. Idem P. Didaco prælectionem è libris Sinenſibus quotidiè exponebat, & domi

Volumen de ſcientijs & Euclide Sinico idiomate.

noſtræ

noſtræ vti liberior eſſet congreſſus, commorabatur. Verum cum eo Licentiato tentata res minus feliciter ſuccedebat: iam enim Doctorem Ciù Paulum P. Matthæus monuerat, neminem niſi acuto ingenio præditum hoc opus poſſe vel aſſequi, vel ad optatum finem perducere. Itaque Ciù Paulus, opera & ſtudio P. Matthæi, quem aliquot horas quotidiè prælegentem audijt, adeò profecit, vt quod iam fuerat aſſecutus, ſermone quam limatiſſimo expoliret: ergo annuo ſpatio ſex primos elementorum libros dilucido politoque ſermone Sinenſi donauit. neque enim in eo idiomate deſunt vocabula, quibus ſcientiarum noſtratum omnium termini explicentur. volebat ille quidem ad reliquos Euclidis libros pergere, ſed hi ſoli ſufficere P. Matthæo viſi ſunt ad inſtitutum. hos igitur ſex in vnum volumen redactos, Ciù Paulus dupbus elegantiſſimis proëmijs exornauit: alterum P. Matthæi nomine, auctorem huius libri antiquiſſimum declarabat. eius etiam Commentatoris P. Clauij Magiſtri ſui meminerat, cuius demonſtrationes ac notas ſaltem præcipuas Sinenſi ſermone donarat, vſum etiam horum problematum ac theorematum aperit, & alia nonnulla è Mathematicis deprompta diſciplinis. Altero proëmio Ciù Paulus id vnum agit, vt Europæas ſcientias litteratosq; commendet. Huius voluminis exemplaria typis excuſa ingentem Sinenſibus admirationem attulerunt, eorumq; faſtum non parum depreſſerunt: ad eum porrò librum intelligendum multi ſe in P. Matthæi diſciplinam, alij Ciù Pauli tradiderunt, & ſane adhibito Magiſtro nihilo quam Europæi noſtri difficilius aſſequuntur, & magnopere demonſtrationum acumine delectantur.

Moritur interea Ciù Pauli ſenex parens, & ob id illum regia ſede oportebat egredi, & domi triennio priuatum reſidere, quo triennio vnus è Noſtris Nanchino ab illo abductus familiæ, ciuiumq; ſuorum ſalutem procurauit. In funeris apparatum

Apparatus funebris in morte parentis Ciù Pauli.

 ratum

ratum (excluſa omni rituum ſuperſtitione) magnam exhibuit maieſtatem, & in ſolo feretro extruendo è pretioſa Cedro & incorrupta aureos ſupra centum & viginti expendit. In æde quoque noſtra Cænotaphium illi extruximus è panno damaſceno nigro. nam tametſi candidus color à Sinis habetur luctuoſus. nos tamen in Eccleſiaſticis ritibus conſuetudinem retinemus Europæam. Cænotaphium cohoneſtabant cerei vndequaque complures, & varij odorum fumi, ſumptum omnem Parenti honorando filio ſubminiſtrante: his ita comparatis, in ſolemni Neophytorum cætu eccleſiaſtica officia celebrabātur: ipſe aſperrimo habitu indutus è Canabino panno craſſiore ex more aſſiſtebat: inde Miſſæ ſacrificium pro fidelibus vita functis, qua potuit celebritate, peractum eſt, & ea re Neophyti mire alacres, quod alias nondum ſimilem cōſpexiſſent apparatum, ac fortaſſe neſcirent, tam inſigni à Noſtris pompa virorum grauium funera procurari: abijt tandem Doctor Paulus ad ſuos cum Parentis cadauere cedrino feretro incluſo, quod in Patrium ſepulchrum erat illaturus: abiens palatij ſui ſupellectilem vniuerſam Noſtris vtendam reliquit, donec expleto luctu ad munus ſuum ſe referret.

Pater Alexander Valignanus Viſitator & primus expeditionis huius fundator moritur Amacai.

Capvt Octavvm.

Optabat ętate iam inclinata Viſitator rem Sinenſem quam optimè poſſet, ante obitum conſtituere. habebat enim longo tot annorum vſu incredibilem erigendarū miſſionum inter Ethnicos experientiam. ideoq; tentabat ipſe in Sinenſe Regnum ad viſendas Noſtrorum ſedes penetrare, & coram ea videre, quæ per litteras fuerat aſſecutus. nam idem eſt in hoc negotio, quod in oculis noſtris quotidie experimur, quos opor-

P. Alexander Valignanus conatur rem Sinenſem ſtabilire.

oportet ſæpè falli, ſi de rebus longe poſitis voluerint iudicare. P. Cataneum ſibi Socium deſignarat iam comperto, quam exiguo fructu rem apud Sinas Chriſtianam Amacai tentaſſet, ſed ne quid in ea re diſcriminis adiret, expeditio vniuerſa, maximè quod vir tantus non neſciri poterat, annos plures in Iaponia commoratus, quam inter ac Sinas odium eſt plusquam vatinianum, & inimicitiæ ſupra capitales. ſcripſit igitur ad ſocios omnes intra Sinenſe regnum eorum hac de re ſententiam conſiliumq; exquirens. variæ fuerunt non ſine cauſa Sociorum ſententiæ. P. Matthæus nihilominus & alij quidam periculum, ſi quod eſſet rei tantæ commodis poſthabentes, cum omnino euocarunt. Vt igitur ea res tutius fieret à varijs Magiſtratibus adnitente maximè Ciù Paulo, diplomata varia impetrantur, quibus P. Cataneo iam noto ac Socijs liber in Sinenſe regnum reditus permittebatur: imo tanta fuit amicorum conſenſio, vt etiam per vniuerſum iter ex ærario publico ſumptus ſuppeditari iuberentur: nauigium publicū quoties flumine, equi tres & baiuli ſex, ſi terram iter inſtituere placuiſſet. eum hoc diplomate Frater noſter Franciſcus Martinez in Cantonienſem prouinciam ad Socios adducendos nauigauit, & iam itinere toto ſumptus è publico ei ſubminiſtratus eſt diplomate quod habebat oſtenſo, & quoties magis placebat, pro quotidiano victu nummi numerabantur.

Ad hoc iter Viſitator noſter multa in huius expeditionis vſum adferebat, & deſignarat aureos minimum mille ad ſingula domicilia deferre, vt agros aliquos coëmerent in eo ipſo regno, ad neceſſariam Noſtrorum ſuſtentationem inchoandam. maximo enim incommodo, nec minore periculo annuus Noſtris Amacao mittebatur commeatus, & omnino certum eſt, maximam partem Sociorum in hoc regno firmitatem inde pendere: ſi coëmptis bonis ſtabilibus Sinæ ſibi perſuaſerint, nos ad reditum in patriam quippiam contra ſe molituros

lituros minimè aſpirare. & ſi hæc ſumma Europæis exigua videtur ad ſedem vnam ſtabilendam, ſcire tamen oportet, ex huius regni copia rerumq; vilitate ſufficere vni domicilio, ſi huius ſummæ duplum in coëmendas poſſeſſiones effuderint. volebat igitur Viſitator quod amplius non poterat, hanc Noſtrorum ſuſtentationem in annuo prouentu inchoare.

Viſitator P. Valignanus moritur.

Interim dum hæc acriter comparantur, Socijq; ad Viſitatorem ſuum excipiendum præ gaudio geſtiunt, in lethalem morbum incidit, qui vitã eius ſpeſq; noſtras breuiſſimo tempore amputauit. Exeunte igitur Ianuario anni ſupra ſecularem ſexti, cum nouem ſupra ſexaginta ſanctiſſimè decurriſſet, ad laborum ſuorum præmia in cælum, vti ſperamus, euolauit. Hic repentinus caſus Chriſtianis expeditionibus Iaponenſi ac Sinenſi cecidit perimportunè. illã enim ille promouerat, hanc etiam noſtram erexerat: vtramq; rara beneuolentia, & continuo multorum annorum labore: ſentiebant omnes ſe tali præſidio nudos inter tot pericula, & rerum omnium anguſtias derelictos: & notatum eſt neſcio quo ſecretiore Dei iudicio, duos viros ſanctiſſimos, B. Franciſcum Xauerium, ac Viſitatorem Alexandrum Valignanum, in huius regni ingreſſu diem ſuum obiſſe, priusquam quod deſignauerant, exequerentur: id etiam tertio notatum eſt poſt P. Matthæi obitum. nam P. Franciſcus Paſius alter Viſitator in eo ipſo procinctu anno milleſimo ſexcenteſimo duodecimo diem clauſit extremum. Faxit Deus vti ea res huius gentis peccatis exigentibus minimè fuerit impedita, ſed eo conſilio à Deo permiſſa, vt in cælum ſupremi Regis aulam eos ad ſe euocaret, qui efficacius ex eo loco rem Chriſtianam promouerent, vbi eos plus poſſe, nec minus velle conſtaret. Moriens igitur Viſitator facilè oſtendit, quanti hanc expeditionem faceret. nam loco ſuo tres alios vtiliſſimos operarios immiſit, & quæcunque iam comparauerat, eo deſtinauit, ſolum quæ de annuo prouentu deſtinarat,

narat, varijs impedimentis diſturbata, infecta remanſerunt. in his quæ miſſa ſunt, variæ ſunt Eccleſiaſticę veſtes, imagines, & alia huiuſmodi, quibus viuens vtebatur. ea omnia apud nos aſſeruantur, tanti Patris apud poſteros noſtros gratiſſimum monumentum.

In Cantonienſi Metropoli graui tumultu in Noſtros excitato Frater noſter Franciſcus Martinez occiditur.

CAPVT NONVM.

HIs ipſis quibus hæc ſcribuntur annis, Holandi pyratæ Indiam Orientalem latrocinijs infeſtare cæperunt: res aliquot annis eis cecidit è ſententia, ideo maximè quod Luſitanæ naues ad hæc vſque tempora armatæ contra indigenarum inſultus, non contra vim Europæam nauigabant. Indi quippe minoribus nauigijs ſicubi hoc faciunt pyraticam exercent: hi Luſitanarum nauium moles ne tentabant quidem, ſed erepto maris dominio vbique fere facultatem nauigandi à Prorege, vel eius nomine à Præfectis exigunt. hæ naues inermes prope, ſi quando in Batauos aut Anglos pyratas incidebant, facile inermes armatorum prædæ ſubiacebant: quanquam annis deinde poſterioribus, ex quo Europæo ſe more munierunt, iam diu nihil effectum eſt ab illis, ſed potius ipſi damna multa pertulerunt. Pyraticæ nauigationis ſpolijs elati, arces etiam Luſitanis eripere tentarũt; Malucenſem, Malacenſem, & Moſanbicenam, ſed quo euentu nemo neſcit, nec ad meum pertinet inſtitutum: etiam Sinenſe regnum ingredi, ſed fruſtra tentarunt, immemores vt arbitror non exiguitatis ſuæ ſolum, ſed tuti etiam apud ſuos diuerbij, qui multa complectitur, male ſtringit. in Prouinciam igitur Fuchianam; quæ ad Auſtrum in extremo angulo Orientem verſus ad mare adiacet

Holandi Indiam latrocinijs infeſtãt.

Holandi Sinenſe regnum ingredi tentãt.

Fuchiana Prouincia.

cet appellentes in ea pedem figere ſunt conati: magna promittebant, ſiue ab lucro mercium inferendarum, ſiue ab Iaponijs Luſitanisq; Amacao, & Hiſpanis è Philippinis inſulis expellendis: quaſi vero, Regni Sinenſis potentia à Batauis lacunis auxilium expectaret. vbi ſenſerunt promiſſis grandibus paruam haberi fidem, ad minas etiam ac puerilia terrimenta diſploſis bellicis Machinis refugerunt: Verum æquè vtrumque à Sinis reiectum: ipſi vero cum vim profuturam deſperarent, Malacam verſus redeuntes, in Reguli Patanæ portu conſederunt, à bellicis expeditionibus domandoq; Sinarum Imperio ad pyraticam artem antiquam redierunt. nam ad fretum Sincapuranum anguſtijs celebre Sinicas onerarias Luſitanorum in Indiam à Sinis renauigantes præſtolabantur. Et quoniam Amacaenſe oppidum iam minis inuaſerant, ac ſpe deuorarāt, Amacaenſes nullo præſidio tecti, murum extruere in Colle Amacaenſi Collegio proximo in arcis modum inchoarunt, ac eodem tempore cum ædes noſtra fortuito incēdio arſiſſet, denuo erigebatur: vtrumque Sinæ impedire conati ſunt, ædes tamen ipſis inuitis aſſurrexit: Arx tepeſcente pyratarū metu intermiſſa eſt. E Regione Collegij ſcopulus erat potius quam Inſula, ſeſquimiliaris fere ambitu: eum ſcopulum Noſtri iam ab omni ſæculorum memoria deſertum, ad honeſtam Collegij recreationem & ædiculam extruendam occuparant: id nimirum Sinæ arbitrati ſunt à Luſitanis ad arcem contra ſe extruendam occupari. Ergo diſſimulato tantiſper furore, tempus commodum explorarunt, quo tempore Luſitani omnes in templa conuenerant; ipſi Magiſtratus, qui Amacai Sinas regunt militares illi, & ex infimo prope ordine, auſi ſunt tamen in Inſulam illam nauigare, & armata manu, nec opinantes cum fratre noſtro ſeruos domeſticos obruere: Domum igitur exiguam illam quidem incenderunt, & cum in ſacello D. Michaelis imaginem repeiſſent, eam indigniſſimè lacerar u n

Amacaenſes ſe muniunt.

Sinæ occupāt Sociorum domum Amacai & incendunt.

rarunt. Frater noſter niſi Iapones famulos cohibuiſſet facile vim imbecillium Sinarum repuliſſet: ſed noluit damni exigui cauſa turbas excitari. Victores igitur Sinæ ſeſe in oppidum receperunt, ac tametſi fumus incendium prodidit, ipſique ex oppido ſpectantes Luſitani incendendas Magiſtratuum ædes iudicarent, cohibiti ſunt tamen à Socijs, & ſeſe in domos ſuas receperunt. Ex ijs Magiſtratibus erat vnus origine ac profeſſione Saracenus: nam ex Tartarorum reliquijs multi in eo regno remanſerunt, qui poſt quartam generationem pro indigenis habiti, ne à litterarijs quidem gradibus publicisque munijs prohibentur. Is malorum incentor erat, & imaginis è Chriſtianæ legis odio lacerator: iam ſe Luſitani in domos receperant, cum ecce tibi frater noſter clam imagine Lacera de re tota ſuperiorem admoniturus exſcendebat, laceram demum imaginem Luſitanorum ſerui conſpicati, furorem diutius minime tulerunt, ſed concurſu facto in Magiſtratuum ædes irruerunt, & Saracenum illum male mulctatum etiam in Collegium noſtrum capillitio paſſo & liuoribus fœdum adduxerunt, eum Noſtri vrbis Præfecto Luſitanisq; auctoribus domum ſuã remiſerunt: res deinde tota cũ vicini oppidi Anſani Gubernatore cõpoſitæ tumultũ cõpeſcuit. Noſtris Inſula remanſit ea lege, vt quoniã hoc eſſet Regis Sinarũ ſolum, Noſtri Regiũ ibi nomẽ eſſe litteris aureis inſcriptũ Sinicè paterẽtur. Saracenus quidam malorum incentor.

Exaſperatis in Amacaenſes nonnihil Sinarum animis, alia res accidit longe periculoſior, quæ expeditionẽ Chriſtianam vniuerſam, imo & oppidum Amacaenſe Sinenſeq; commercium in apertum diſcrimen adduxit. ortæ fuerant in Eccleſiaſtico quodam negotio inter Sacerdotem quendam ſæcularem & Religioſum, neſcio quæ diſcordiæ: Religioſus iniuria affectus Rectorem Collegij noſtri Conſeruatorẽ appellauit, ideo quod ſede vacante Epiſcopatus moderator Sacerdoti, qui iniuriam fecerat aperte faueret: Ex hac lite vrbs in duas partes

 factio-

factionesq; diuiſa eſt, atque ita vt ſine dubio miſera eſſet oppidi facies, cum in Eccleſiaſtica lite ſecularibus prope armis certaretur: ea pars quæ Epiſcopatus Moderatori fauebat infirmior erat, quam vt vel iure vel iniuria victoriam ſperaret: ergo homines nefarij dum moderatori nimis fauere volunt, eo, vti credibile eſt, neſciente, pæne cum aduerſarios perdere volunt ſeipſos Remq; publicam euerterunt, nauim ipſam qua vehebantur perforantes. Perſuadent igitur nimium credulis in hac materia Sinis, hunc ciuitatis tumultum inde naſci, quod P. Lazarus Cataneus, qui etiam tunc Amacai in Sinenſi habitu reſidebat, totius Imperij Sinici Tyrannidem affectaret: eum ab Luſitanis Ducem ideo nominatum, quod itinerum peritus eſſet, & vtramq; iam Regiam peragraſſet, claſſem in eius auxilium breui venturam, non ex India ſolum, ſed ex Iaponijs quoque Inſulis: interim Socios qui intra regnum commorantur, iam permultos in ſuas partes traxiſſe, qui huius tumultus euentum præſtolantur. Amacao in Cantonienſem quoque Metropolim libello ſcripto, hæc fama emanauit. Quid non audet calumniatorum maleuolentia & liuor, qui etiam propria pericula ſpernit, vt procuret aliena.

Tumultus cauſa falsò perſuadetur Sinis.

In Metropoli omnia metu & tumultu replentur à Sinis.

His in oppido Amacaenſi euulgatis, Sinæ omnes in metropolim aut in patriam refugerunt, & omnia metu tumultuque repleuerunt: ea indubitata planè viſa ſunt. nam & arx nuper extructa, & templum noſtrum pro arce alia habita eſt. tumultus etiam ob ſcopulum illum excitati, rem plane credibilem aptiſſimis coloribus effingebant; pauciora gentem ſuſpicatiſſimam terruiſſent: admonito igitur Prorege, Prouincia Cantonienſis tota, terra marique delectus faciebat, in metropoli ædes omnes extra muros dirutæ ſupra mille fuiſſe perhibentur, non ſine inſigni vulgi iactura, commercium omne cum Luſitanis interdictum, commeatus in oppidum Amacaenſe inuehi prohibitus, ipſæ Cantonienſes portæ calce & lapidi-

lapidibus obſtructæ, qua parte Amacaum ſpectant, diurnæ ac nocturnæ vigiliæ auctiores pro muris diſpoſitæ, edictum litteris cubitalibus propoſitum, quo edicto grauiſſimis pœnis interdicebatur, vti nemo Amacaenſem aliquem domo exciperet, obſeruaretq; maximè Sacerdotes illos externos, qui medio in capite raſo capillitio circulum geſtant: ex ijs quippe vnum nomine Cotienieu (ſic enim P. Cataneus à Sinis appellabatur: ipſe enim Lazari ſignificationem pro Sinenſi nomine acceperat Diuinum ſcilicet adiutorium) Regnum affectare: cum pleriq; P. Matthæum eſſe arbitrabantur, in Sinenſi vtique regno notiorem, hac igitur ex cauſa Cantonienſis metropolis bellico tumultu ardebat, imo res ipſa datis libellis ad Regem penetrauit, quibus deferebantur ij, qui murum & arcem extrui permiſerant, ea res Pechini moleſtiſſima ſimul & periculoſiſſima noſtris accidit; ſed Cantonem redeamus.

Hæc vbi Amacaenſes Luſitani, qui rem gerebant publicam ſenſerunt, legatos in metropolim amandarunt, qui omnem à ſe accuſationis inuidiam remouentes poſtulabant; ne ſolito commeatu priuarentur, eo maximè tempore, quo pyratarum inſultum formidabant: nulli credibile videri, ſe iam tot annos pacatiores eo maximè tempore conſpirare, quo iam fere triennium, Indicis nauibus deſtituti, in extremam prope inopiam, ac vrbis ſolitudinem deueniſſent: permiſſum eſt igitur Sinis Negotiatoribus, vti redirent Amacaum, ſed eo maximè conſilio, vt certiora de ſparſo tumultu referrent: res igitur accuratius excuſſæ, veritatem aperuerunt, & ne tumultus quidem ſomnium apud Amacaenſes extare. ergo populus dirutas ſine cauſa ædes ſuas lamentabiliter querebatur, & ſummus maris Præfectus, Haitaù vocant, adlaborabat, vti perſuaderet, non ſine cauſa ædes auctoritate dirutas fuiſſe. ſciebat enim ingens ſibi malum imminere, ſi forte rei veritas in Regiam perueniret.

Luſitani Amacaenſes commeatum poſtulant per legatos.

 Hoc

Franciſc⁹ Martinez Nanciano euocatur Amacaum.

Hoc ipſo tempore Viſitator, vt paulo ante narraui, ad ingreſſum in Regni interiora ſe accingebat, & ad ſe deducendum Fratrem noſtrum Franciſcum Martinez Nanciano euocaret: ergo ille in Metropolim Cantonienſem tametſi tertiana vexaretur, ſpreta ægritudine, nauigauit. cum igitur aduenit, turbata omnia reperit, & de morte Viſitatoris accepit litteras, dubius igitur quid ageret ad Collegij Rectorem ſcripſit Amacaum, vellet nec ne redire vnde venerat, an iter inceptum proſequi Amacaum vſque, hoc enim à Patre Nicolao Xauceanæ ſedis ſuperiore in mandatis acceperat. Interim Socios Xauceanos monet imminere grauem aliquam procellam expeditioni vniuerſæ, ex ijs quæ in metropoli reperiſſet. conſilium alijs dare, ſibi ſumere neſciuit. Monitus fuit ab amicis non ſemel vt ſe in locum aliquem tutum reciperet, eò quod facilè reſciri queat, eum Amacai natum; ille verò innocentia ſua & Diplomatibus munitus adduci non potuit, ſed cum reliquis Neophytis, quantumuis cum febri conflictaretur, maioris hebdomadæ cultum diuinum celebrauit. Interim ad eum viſendum inter reliquos venit Neophytus quõdam, nunc verius deſertor Cantonienſis ciuis: hic vt nummulos aliquos emungeret, terrere fratrem noſtrum cœpit, ſed ſpe ſua exturbatus, fratrem noſtrum detulit ad vnum è maris cuſtodibus, aſſerens eum eſſe Cataneí affectatoris Regni exploratorem, arbitratus eſt miles iſte, ſe præmium à Magiſtratibus velut re graui deprehenſa accepturum: ergo de ædibus deque exploratore certior factus, rem ad Progubernatorẽ vrbis (nam aberat Gubernator) retulit: exploratorem quendam ſcilicet Amacaenſem certis in ædibus cum alijs aliquot ſocijs latitare: hoc nuncio mirè lætus, arbitratus eſt poſſe ſummum maris Præfectum ac reliquos, qui ſe huic negotio immiſcuerant, Magiſtratus, liberari ab hac populari calumnia, quod nempè ſine cauſa multorum ædes diruiſſet. ergo eo ipſo momento

Franciſc⁹ monetur vt fugiat.

Franciſcus proditur & comprehenditur.

mento apparitores duos miſit ad fratrem noſtrum ac Socios comprehendendum: iuerunt illi equites armis militibusque cincti, vti res grauior appareret: repertus eſt bonus frater in lectulo cum febre, conflictans: eum igitur lectulo aſſurgere iubent, & omnibus domi repertis inijciunt vincula: aderat forte Patruus alterius fratris noſtri, cum duobus pueris eiuſdem propinquis: aderant etiam famuli duo, quos ſecũ Franciſcus noſter adduxerat: inde referunt in cõmentarium quidquid domi repererant, eius ianuam claue ac ſigillo muniunt, ne quis ea quæ repererant exportaret. Sparſit fama ſubito Sacerdotem externum, qui venerat exploraturus, eſſe comprehenſum, & tanti concurſus repente facti ſunt, vt per vicos tranſiri ægrè poſſet: tenebræ rem horribiliorem reddebant, multis enim facibus incenſis colluſtrati, & militum tumultuantium clamoribus euulgati ducebantur.

In Progubernatoris palatium abducti, nulla præuia inquiſitione, quæſtioni ſubijciuntur omnes. Id ita fit: ligneis vectibus duobus non ſine maximo doloris ſenſu pedum calces cõſtringuntur, ac deinde malleis contuſi vectes, pedes ipſos percutiunt. In hac atrociſſima quæſtione, frater noſter patientiſſimus obmutuit, non ſine omnium ſtupore, qui ſcirent cæteros magno eiulatu dolorem ſolere teſtari: ipſe vero Socios exhortabatur, vti meminiſſent ſe lege Chriſtiana à mendacio prohiberi, viderent etiam atque etiam, ne quęſtioni cederẽt, ac tormentis. Iniquus deinde Iudex quærit è Franciſco quis ſit, & quorſum in eam vrbem venerit: reſpondit ſe Xauceo non Amacao veniſſe, & Magiſtratuum grauiſſimorum litteras ſecum habere teſtes, cuius cauſa veniſſet: eas ad ſe extemplo deferri iuſſit, quibus lectis ſatis dubius fuit, quid ageret: cæteris ſeorſim interrogatis, idem omnino reperit, parumq; abfuit, quin liberum dimitteret, veritus Magiſtratuum, quorum erant litteræ, indignationẽ. aderat forte accuſator, & magni

Franciſcus cũ Socijs quæſtioni ſubijciuntur.

Puer examinatur.

magni referebat eum probare, quæ dixerat: ergo tartareo plane inuento, quærit ex altero è pueris. Franciſcus Pharmacum aliquod coëmiſſet nec ne? Ea vox quæ Pharmacum apud Sinas ſignificabat, puluerem quoque tormentarium innuit, ſi addideris ſyllabam vnam, quæ ſclopetum ſignificat, puluis enim tormentarius Sinicè ſclopetorum pharmacū appellatur, Ciunhiò videlicet. & quoniam frater noſter æger pharmaca coëmerat, annuit coëmiſſe; tum accuſator voce elata; Ecce, inquit, puluerem tormentarium dicitur coëmiſſe; nam pharmaco aliam vocem addidit, quæ ſclopetum ſignificat. Hoc audito Frater noſter, ac cæteri puero annuerunt, ne quicquam falſi pronunciaret: Id Iudex aduertit, omnes ſcilicet cum de puluere audierunt, permotos fuiſſe, & ſuſpicionem prope iam excuſſam reuocauit, omnino ratus aliquid inter eos latere. ergo puerum ad ſe propius euocat, & quærit quale tandem eſſet illud pharmacum: puer intulit ad ægritudines depellendas; tum iratus Iudex, quaſi cæterorum nutu ſententiam mutaſſet, tormentum aliud innouauit, adſtrictis inter digitos arundinum fruſtis, quare territus, ſclopetorum pharmacum fuiſſe confirmauit. Hac re iam, vt videbatur, cōperta, impunitatem puero promiſit, ſi omnia enarraret: Puer vero vti ſeipſum eriperet veris falſa permiſcuit, ex interrogantium voluntate dixit, eum eſſe Societatis noſtrę Religioſum, Amacao veniſſe, eo ſclopeta multa miſiſſe, & alia bellici apparatus armamenta. His auditis Iudex fratris noſtri pileum è capite detrahi iuſſit, vti videret, num ſub capillitio tonſuram gereret clericalem, & eam gerebat, quod minoribus ordinibus eſſet initiatus. ergo de re tota nihil in poſterū Progubernator dubitauit. Subridens igitur fratri noſtro dixit: ſi ad hæc perpetranda veniſti, quorſum hæc Magiſtratuum grauiſſimorum diplomata? cum noſter etiam nunc pernegaret, dixit Iudex: lux craſtina omnia deteget: & in vincula eos ſeorſum ſingulos abduci imperauit.

Puer vi tormētorum falſum dicit.

Die

Die igitur inſequenti Fratris noſtri ſarcinulas ad ſe ferri iubet, ibi litteras Europæo charactere, libroſq; noſtrates, veſtes etiam interiores è Luſitano more reperit: quæ omnia eum iam nihil dubium acrius confirmarunt. ergo Amacao veniſſe certus, diplomata omnia falſa iudicauit: in quam rem propēſum accuſator impulit, aſſerens Fratrem noſtrum celebrem magum eſſe, qui ſe adſtantiū oculis cum vellet eriperet, quoties in eius conſpectum aqua deferretur: caueret igitur etiam atque etiam ne aquam videret, atque ita dies multos in vinculis incredibilem ſitim paſſus eſt, donec paucis ante obitū diebus in vinculis aliqui miſericordia permoti, clam aquæ paululum obtulerunt. Franciſcus pro Mago habetur

Horum omnium quæ inuenerat certiorem reddidit Progubernator Architalaſſum, à quo iuſſum eſt, vti ſibi omnes ſiſterentur, abducti ſunt eo matutinis horis, & in publico vico ad veſpertinas vſque, aduentum Magiſtratus præſtolati ſunt. concurſus erat ingens ad exploratorem conſpiciendum. agnitus eſt ab amicis quibusdam Frater noſter, ſed Apparitoribus prohibentibus ad colloquendum admiſſi non ſunt. vix dum Architalaſſus in tribunal venerat, cum re inaudita iuſſit atrociſſimè ſingulos ſolitis fuſtibus verberari, pueris exceptis: quos ætas huius pœnæ impatientes ſine morte reddebat. permouebat omnes miſerabilis Fratris noſtri facies, quem longa ægritudo & ſuperiora tormenta mortuo ſimiliorem, quam viuo referebant. Architalaſſus deinde Progubernatoris examini fidens, ſeque hac ratione à populari calumnia liberans, ſententiam capitalem in fratrem noſtrum, & alios duos patruum puerorū, & Ignatium è famulis prouectiorem pronunciauit: famulus vt perduellionis ſocius; patruus quod hoſpitio perduelles excepiſſet hac pœna damnati ſunt. Cum hac ſententia in vincula reducuntur, vbi noctem totam cum maximis doloribus conflictatus ſaucius, & ſuo ſanguine infectus, Franciſcus & Socij ſiſtuntur coram Architalaſſo. Sententia fertur capitalis.

ctus, magna tolerãtiæ ſignificatione tranſegit, & ad ſolatium compedes ac manicas pedibus, ac manibus geſtans, mouere ſe tantillum prohibebatur: die inſequenti ad Progubernatorem reducitur denuo excutiendus: hortatur igitur vt iam deprehenſus omnia aperiat, alioqui ſe illum in altero crure brachióue ideo cruciaturum, vt Proregi alterum relinqueret ad tormenta. Reſpondit Frater noſter Franciſcus, eſſe ſe profeſſione Chriſtianum, Deum vnum ab infantia venerari, In Societatem IESV cooptatum, Matthęi Ricij, qui Pechini degebat, diſcipulum eſſe: abſtinuit enim à Xauceanis Socijs nominandis circumſpectè, ne fortaſſe quod in eadem eſſent Prouincia euocarentur: ſe adnitente Magiſtro ſuo hæc Magiſtratuũ diplomata impetraſſe: nihil finxiſſe: nihil adulteraſſe.

Franciſcus iterum verberari iubetur.

Hac eius confeſſione Progubernator irritatus, eum denuo verberari iuſſit non diſſimili atrocitate, quam qua altero die vapulaſſet: ſed iam frater noſter ferendo non fuit, nam vulnera vulneribus addita, primis eum ictibus ſemianimem reliquerũt. veritus ergo Progubernator, ne inter verberationem moreretur, quæ res ſine dubio ei Magiſtratum eripuiſſet, ab vlteriori verberatione abſtinuit, & eum tabulæ impoſitum in vincula, quam celerrimè remiſit.

Franciſcus in carcere verberatione euocatus Spiritum Deo reddidit.

In carceris ingreſſu bonus Frater Spiritum Deo reddidit, nullo humano ſolatio adiutus, ſed credibile eſt, diuina illi minime defuiſſe. Id in Martij poſtremum diem incidit, anno ſupra ſęcularem ſexto, ea ipſa hora, qua Chriſtus Seruator noſter in Crucis tormentis expirauit. Annum ætatis agebat tertium & trigeſimum, ex his quindecim domi noſtræ Deo famulatus magnopere ſe Noſtris Neophytiſq; probauit: eum Socij noſtri certatim optabant: orationi deditus erat impenſe, vnde credi poteſt, eum hoc crudeliſſimo mortis genere expurgatum extemplo cæleſtibus gaudijs fuiſſe donatum. Magiſtratus vbi de illius morte audierũt, carceris Pręfecto iniunxere, vti eo in loco terræ mandaretur,

à quo

à quo facile à cæteris internoſſi poſſet. ſi forte de eo Prorex velut exploratorum capite aliquid ſciſcitaretur. ergo extra muros humo mandatus eſt cum illis ipſis veſtibus manicis atque compedibns, in quibus Spiritum emiſerat. & videtur id Deo permittente factum, ne Dei ſeruus Diuinis officijs & communi ſacri cœmiterij ſepultura careret, quod deinde cadauere Noſtris reſtituto factum eſt, inſigni pompa, vt infra dicetur.

Franciſcus ſepelitur.

Cantonienſi tumultu ſedato P. Cataneus cum altero Socio ad ſtationem ſuam intra regnum redijt.

CAPVT DECIMVM.

ADmonitus (vti diximus) de hac Luſitanorum Amacaenſium rebellione, iniunxit ſummo militum Præfecto Cantonienſis metropolis Sompin vocant, vt ex vniuerſa Prouincia coacto milite ad expugnandum Amacenſe oppidum extemplo proficiſceretur: verum ille ſane prudenter iudicauit, neque tantos ſumptus temere faciendos, neque incertam rebellionem certo bello perſequendam. Itaq; exploratores miſit Amacaum, qui pacata omnia retulerunt, niſi quod vrbem in duas factiones inter ſe diuiſam nunciabant, quod ipſum acrius etiam perſuadebat nihil eos rerum nouarum moliri. his nuncijs populus à Progubernatore & Architalaſſo tumultus auctoribus etiam vehementer abhorrebat, Progubernator vero ex Franciſci morte metu concepto, Ignatium noſtrum famulum alia perduellione conatus eſt inuoluere, vera illa quidem ab Idolorum Miniſtris in Xauceana Regione intentata, ſed quæ nihil ad Ignatium pertineret: id vbi minus è voto ceſſit, carceris Præfecto iubet, vti omni eum alimento interdicat: ſperabat enim ſe cum Deo crudelitatis & iniuriæ in fratrem noſtrum inditium omne ſopiturum: Verum è concaptiuis

Exploratores Amacaum mittuntur.

Xaucei domus Sociorum luſtratur.

nis aliqui clam ei ſubminiſtrabant, quod ad vitam ſuſtentandam ſatis eſſet, donec Xauceo noſtri ſubuenirent. Scripſit etiam ad Xauceanum Gubernatorem, vti domi noſtræ exploraret, num quid armorum belliciue apparatus, apud nos deliteſceret: fecit ille, & nihil iſthîc fuit repertum, nocturnas etiam circum ædes noſtras excubias adhibuit, mirantibus noſtris, quod ad eam diem nihil de fratris noſtri vinculis, de morte minus inaudierant: ſed non latuit diu ea res, certis nuncijs Amacai tumultuatum, & externorum Sacerdotum exploratorem comprehenſum nunciabatur: huius tumultus caput & Dux P. Cataneus nominabatur, qui tanto tempore Xaucei fuerat commoratus. Hoc rumore ciuitas vniuerſa trepidauit, & Neophyti omnes noſtri amiciq; Ethnici à Noſtrorum congreſſu abſtinuerunt, veriti ne pro perduellibus haberentur.

P. Nicolaus ad Proregem libellum mittit.

His auditis P. Nicolaus ſtatuit omnino ad Proregem ipſum ipſemet pergere, rationem facti redditurus, & Franciſcum noſtrum liberaturus. Sed ex conſilio amicorum libellum per negotij curatores miſit, qui eo ipſo tempore traditus eſt, quo Architalaſſus ad hæc ipſa negotia aduenerat. Prorex iam certior factus, Franciſcum noſtrum in tormentis expiraſſe, & Amacaenſis tumultus nebulam diſſipatam, diſſimulauit, & libello minimè reſpondit: non tamen inutilis fuit hæc innocentiæ noſtræ ſignificatio. nam cum Architalaſſus in Metropolim redijſſet, grauiter queſtus dicitur, quod in re tanti momenti parum conſulte proceſſiſſet, illum enim, quem verberatione mactauerat, ſatis conſtare, exploratorem Amacaenſem nunquam fuiſſe, ſed Europæorum Sacerdotum diſcipulum, qui volentibus Proregibus Xaucei cõmorabantur. Miſſi Procuratores dato libello, in metropolim ire perrexerunt, vt alium libellum Magiſtratibus, qui hac de re cognoſcebant offerrent, ſed cum fratrem noſtrum iam obijſſe reperiſſent, ad cæteros captiuos rebus neceſſarijs, auxilijq; promiſſione recreandos

creandos

ſtreandos, ſeſe ad carcerem contulerunt: hi reuixiſſe ſibi viſi ſunt, dum rem deſperatam ad ſpem reuocari ſentirent.

Hic maximè ſtatus erat rerum noſtrarum in Cantonienſi prouincia ita deſperatus, vt grauius nullum diſcrimen expeditio vniuerſa ad eam diem adijſſe videretur: ſed non diutius Diuina manus auxilium diſtulit: Miſit enim reducem è Regia Magiſtratum ſumum ex ordine, quem Tauli vocant, qui rem vniuerſam ita compoſuit, vt de eo dicere ſoleret P. Nicolaus, qui tumultus pōdus vniuerſum è vicinia ſuſtinebat, eum ſemper viſum ſibi angelum cælo miſſum ad rem Chriſtianam ſuo loco denuo ſtabiliendam: id factum eſt in hunc fere modum. Ciau Tauli è Regia redibat nouis honoribus auctus, & in antiquis confirmatus: Nam in metropolim mittebatur Architalaſſi munus adminiſtraturus, ideo quod auctor huius imaginariæ rebellionis, cum eijci metueret, miſſionem petierat & impetrarat: nouus igitur Architalaſſus magnam Pechini cum noſtris neceſſitudinem contraxerat, & cum P. Matthæo nominatim. vbi is igitur Xauceum appulit, pro vetere amicitia à P. Longobardo viſitatus eſt, ab eoque humaniſſimè exceptus: multa eo narrante pro tribunali de P. Matthæo audiuit, deque reliquis in Regia ſocijs, ab eo ſe ſciotericum horarum indicem accepiſſe dicebat, cuius vtendi modum ediſcere cupiebat. Viciſſim narrat ei P. Nicolaus falſæ rebellionis rumorem, fratris noſtri mortem iniuſtiſſimam, ac cæterorum in Metropoli vincula: auxilium ab eo petijt, & ne quid excideret, prolixiore libello memoriam confirmauit. Promiſit omnia ſe facturum accuratè, quod eorum innocentiam probe comperiſſet: noluit tamen eum ſecum in Metropolim abducere; ita enim fauere volebat, vt tamen iudiciorum morem vellet obſeruare: nihilo tamen minus P. Nicolaus paulo poſt ſubſecutus eſt, vt Fratris noſtri cadauer recuperaret, ſed quoniam nondum maturam rem eſſe vidit, accepto à Luſitanis,

Ciau Tauli rem Chriſtianam ſtabilit Xaucei.

qui ad nundinas venerant, annuo commeatu, Xauceum reuerſus eſt.

Tauli nouus Architalaſſus iubet Amacaenſem ſtatum explorari.

Nouus igitur Architalaſſus cum in Metropolim perueniſſet, turbata omnia reperit, nondum ſedato apud ſuſpicaciſſimos homines metu: ac tametſi iam rei totius ordinem ſatis certo fuerat aſſecutus, finxit tamen ſe aliquid de Amacaenſi rebellione ſuſpicari, vti omnia iuris forma cognita componeret. miſit primum Xauceum ad vrbis Gubernatorem diploma, quo inquiri iubebat, qui nam eſſent Longobardus, Cataneus, Franciſcus & Ignatius. Vrbis Gubernator, qui nouerat illius cum Noſtris amicitiam, inſtituta perfunctorie inquiſitione omnia miſit, quæ ad Noſtrorum innocentiam declarandam profutura videbantur: Amacaum idem Architalaſſus militum Præfectum virum ſagacem miſit, qui res Amacaenſes exploraret. Ille, cum eo aduenïſſet, P. Cataneo renunciari iuſſit aduentum ſuum, ab eoque facultatem petijt exſcendendi, cupere ſe eum certis de rebus in ipſo Collegio noſtro alloqui: arbitrabatur enim illum non Noſtris ſolum, ſed etiam vrbi præeſſe vniuerſæ. Reſpondit P. Cataneus, nullam exſcendendi Sinas petere ſolere facultatem, ac ſi petenda eſſet id ad ſe minimè pertinere: ſimul ſubſecutus eſt nuncium, eumq; in Collegium noſtrum abduxit, vbi exceptus eſt ab omnibus, qua fieri potuit humanitate: nihil è Collegio vniuerſo fuit, quod non ipſe videret: & cum in Bibliothecam deductus eſſet, dixit Cataneus: hæc ſunt arma, quibus ego ad Sinenſe Regnum adſpiro; cum in ſcholas, hi ſunt milites, quibus Regnum veſtrum expugnabo: intellexit igitur Noſtros viros eſſe Religioſos, qui ſuam aliorumq; ſalutem curarent. Inde deductus eſt ad videndam vrbem vniuerſam; nulla fuit familia Religioſorum, nulla Xenodochiorum vel Noſocomiorum domus, quam non ipſe luſtrauit. Ergo in Metropolim reuerſus, alia omnia quam quæ ſparſa fuerant, nunciauit, maximeq; P. Cataneum alioſq; Socios commendauit.

Ergo

Ergo his auditis nouus Architalaſſus cauſam vniuerſam à Progubernatore ad quartum Aſſeſſorem vrbis reuocauit, cui omnia ſuperiora maximè diſplicuiſſe conſtabat. cauſa igitur cognita renunciauit, quanta iniuria Noſtris facta fuiſſet ac fieret: quam perturbate omnia ab Architalaſſo & Progubernatore adminiſtrata fuiſſent. Nouus igitur Architalaſſus in Tribunal ſuum accuſatorem, qui præerat Maritimis in Metropoli excubijs cum reliquis captiuis adduci iubet, ac primum Accuſatorem compellans, hæc pronunciauit: Accede hominum ſceleratiſſimè, qui iniuſtiſſimã Franciſci Martinez mortem inſidioſiſſime procuraſti, ac cæteros ſinè cauſa tanto tempore vexatos detinuiſti, nunc è cælo vindicta in caput tuum redit. Vbi puluis tormentarius, vbi ſclopeta, vbi cæteri bellici apparatus? Itáne tres pueri Regno noſtro perniciem moliuntur? Si quod feciſti ſpe lucri feciſti: nunc ego tibi pro meritis omnia perſoluam: & quidem nunc ad Proregem ibis, qui ſi te merita verberatione minimè confecerit, ego vti id efficiam, te hic præſtolabor. Ad hæc accuſator obmutuit, & ſolum quatiens dimiſſa fronte Sinenſi ritu veniam poſtulabat. Inde ad Aſſeſſorem cauſæ cognitorem deductus, nihilo audiuit molliora: Interrogatus etiam, qua ex cauſa maleficiũ hoc commentus eſſet; Reſpondit: id ſe feciſſe in Progubernatoris gratiam, qui omni arte procurabat populo probare, non vanũ fuiſſe tumultuantiũ Luſitanorum metũ. Deniq; omnes ad Proregem ducti ſunt, ſed Noſtri iam liberi ideo mittebãtur, vt ab eo iniurię ſibi factæ pœnas de Accuſatore repeterent. ac nemini dubium videbatur, quin à Prorege cognita cauſa extremo ſupplicio plecteretur, verum largitione propinqui cuiusdam Proregis interceſſionem, & cum ea vitam impetrauit: verum vti in metropolim rediret animi ſatis non habuit, quin potius vna cum eo propinqui eius omnes ſponte ſua exularũt, ſparſusq; eſt rumor eo adueniente, quaſi diem ſuum obijſſet,

Nouus Tauli cauſam ſociorum pro tribunali propugnat.

Accuſator Sociorum veniã poſtulat & vnà cum propinquis exulat.

qui ex eo creditus eſt, quod nuſquam hactenus appareret.

Architalaſſus & Progubernator muneribus ſuis priuantur

Annus inſequens de Magiſtratibus omnibus ex more inquirebat: hac inquiſitione Architalaſſus & Progubernator, hac ipſa ex cauſa alijsq; malè factis, muneribus ſuis exciderunt, & inepti per vniuerſam vitam ad Rempublicam gerendã declarati ſunt. P. vero Cataneus Amacai audiens rem ita feliciter compoſitam, miſit in Metropolim libellum, quo impoſitis ſibi calumnijs reſpondebat; referebat etiam diploma ſibi à Præſide Tribunalis cuiusdam Nanchini miſſum, vti in eam Regiam reuerteretur, & ſi quidem per eum liceret, velle ſe de ſuis rebus in eo ipſo Metropolis Tribunali reddere rationem. hoc libello recreatus eſt Architalaſſus, & ad eius finem ita ſubſcripſit: Innocentia tua ſole clarior eſt, rem omnẽ probe comperi, nihil eſt, quod in Metropolim venire labores re iam iudicata, nec erit quisquam qui hac de cauſa tibi ſit moleſtiam illaturus: Inde edictum publicum propoſuit, quoad verbum P. Catanei libellum & ſuam ſubſcriptionem retulit: iuſſitque populum quietum eſſe ac ſecurum, falſa eſſe omnia, quæ de Luſitanis & Cataneo ſparſa fuiſſent. Hoc edictum locis publicis affixum duos menſes refigi vetuit.

Innocentia P. Nicolai declaratur.

Iuſſerat Viſitator ante mortem, vti ad ſtationem ſuam, cum alio reuerteretur, is erat P. Sabatinus de Vrſis Italus: Ergo viſi ſunt compoſito nunc tumultu ſecure poſſe introire; atq; ita in conducta ſcapha Xauceum nullo prohibente peruenerũt: ſecum deferebat P. Cataneus libellum, & Architalaſſi reſcriptum. Extemplo in vlteriores Prouincias tranſituri, Nanhiunum nauigarunt, ibi cognitus eſt P. Cataneus ab hoſpitiorum præfecto, qui per montem tranſitum illum celebrem interdixerunt, aſſerentes, priora contra eum edicta nondum reuocata; nec ſatis fidebant, nondum audito Architalaſſi reſcripto. Ergo Xauceum iterum redierunt, ibiq; Architalaſſum ipſum iudicem repererunt, à quo P. Nicolaus patentes litteras

P. Nicolaus cũ Socio tranſitu prohibiti diploma obtinent.

peti;t,

petijt abſolui à calumnia Catanei, & impetrauit; auditoq; ibi Cataneum degere, eum in diem inſequentem in ſuum tribunal euocauit; nec tamen res illa noſtris periculo carere videbatur, ex eo quod Architalaſſus eum edicto publico in diem inſequentem ad ſuum tribunal euocabat, aſſerens, eo ſe die Catanei cauſam excuſſurum. iuit igitur bonus Pater ad omnia comparatus: vix in conſpectum venerat, cum iudex ad eum recreandum vultu hilaritatem præ ſe ferens leni riſu interrogauit; an Sinarum Regnum tandem aliquando occupaſſet: tum nonnulla de Iaponibus, qui Amacaum aduenerant, & de Æthiopibus Luſitanorum ſeruis quæſijt: de Iaponibus ita reſpondit, eos procella aduectos commiſeratione humana exceptos fuiſſe, ſed extemplo in Iaponiam remiſſos. De ſeruis dixit eos, ſi quid Sinis inferrent moleſtiæ, id vel inſcijs, vel inuitis heris factitari. Ad extremum approbauit eius conſilium de Amacaenſi oppido relicto, vbi obtrectatores habuiſſet totius calumniæ inuentores. Reſcitum eſt à Noſtris deinde, eum ad Proregem ſcripſiſſe, ſe Cataneum vidiſſe, & innocentem declaraſſe, & rem omnem Amacaenſem compoſitam reperiſſe. His ita confectis, Prorex de re tota Regem libello longiore admonuit, & falſos rumores aperuit, imo rationibus permultis probauit ſane dilucide, Amacaenſes Luſitanos neque velle, ſed nec poſſe quicquam in Sinenſe Regnum machinari. hunc libellum noſtri legerunt, & Luſitanè ſcriptum ad Socios Amacaum remiſerunt.

Hoc diplomate muniti Socij duo iter ſuum pacatiſſime cōfecerunt, & Nanciani litteras P. Matthæi Superioris repererunt, quibus P. Cataneus Nanchini conſidere, P. Sabatinus Pechinum nauigare iubebatur. Facta eſt etiam P. Nicolao ab Architalaſſo facultas cadaueris Franciſci repetendi. ergo in Metropolim ſe contulit, & cadauer accepit agnitum ex ipſis veſtibus, & vinculis, quibus honeſtus potius, quam onuſtus *Franciſci Xanci honorificè ſepelitur.*

terræ

terræ fuerat commendatus. relatus eſt igitur Franciſcus Xauceum, & perſolutis Eccleſiaſtico ritu iuſtis à Neophytis æquè ac Ethnicis amicis ſolito ritu comploratatur: quæ res cōmode cecidit, vti intelligerent omnes, eius ac cæterorum innocentiam à grauiſſima calumnia liberatam: deniq; primo quoque tempore Amacaum ad communem Noſtrorum ſepulturam relatus eſt. atque hunc finem habuit Cantonienſis tumultus ille ita ſedatus, vt profuiſſe potius, quam in poſterum nocere poſſe videretur. ſed nondum laborum finis: eo ipſo tempore Noſtri Xaucei duplex diſcrimen adierunt.

Alia in P. Nicolaum falſa accuſatio.

Vrbis infimus Gubernator ac Præſes vir erat cupidus, & miris artibus vndecunque poterat largitiones per fas nefasq; corradebat; eo vel auctore vel diſſimulatore accuſatio falſa in P. Nicolaum libello ſecretiore, nocturnis horis in atrium cōiecta fuiſſe dicebatur; eo libello quatuor Regionis, in qua Noſtri commorabantur, Præfecti numerabantur, qui commiſſum à P. Nicolao adulterium cum muliere ex ea Regione aſſerebant. Monitus eſt Noſter ſe hac de cauſa in tribunal euocandum: præuenit igitur & petijt etiam atque etiam, vti hac de re inquireret, & pro rei veritate ſententiam pronuntiaret. Euocati ſunt Præfecti in libello nominati, vt accuſationem pro ſua recognoſcerent. Hæc fictè omnia agi ab homine cupidiſſimo dicebantur, vti largitionem aliquam ad præſens periculum propulſandum emungeret: quod nuper fecerat cum ſacrificulo quodam, qui idem crimen, criminisq; pœnam nummis redemerat. Euocati igitur Pręfecti, negant ſimilem accuſationem à ſe conſcriptam, nec vllis vnquam tormentis aut verberationibus adduci potuerunt, vt aliud enunciarent: imo in tormentis dixerat quidam, ſe ſi tam ingenti calumnia innocentem affeciſſet, neque ſe poſſe, neque poſteros ſuos cæleſtem vindictam euadere. Illa ipſa mulier criminis, vt aiebant, conſors, tormentis cedens, faſſa quidem eſt crimē cum

P. Nicolai innocentia deprehenditur.

alijs

alijs aliquot commiſſum, ſed ſemper ſe Sacerdotē externum vel vidiſſe, nel nouiſſe pernegauit. Ergo ad P. Nicolaum cupidus homo ſæpè ſubmittebat, qui nummos exigeret pro innocentiæ ſuæ declaratione: noluit tamen Pater, ne obolum quidem vel dare, vel promittere, ne quam è ſimili largitione criminis alicuius labem non alias facile eluendā admitteret: quæ res Neophytis Ethnicisq; permultis innotuit, non ſine admiratione conſtantiæ. ergo vbi ſpem largitionis amiſit, pronunciauit denique ſententiam in hunc modum. Mulctabantur Præfecti certa pecuniæ ſumma, quod accuſationem à ſe ſcriptam pernegaſſent. De P. Nicolao referebat, cum & hac calumnia liberum, & quolibet alias crimine magna integritatis fama ſemper vixiſſe: quæ ſententia Noſtris Deo gratulandi cauſam dedit, cuius opera periculoſa rei Chriſtianæ calumnia fuiſſet eius præco liberatus.

Alius labor huic deinde non ita multo poſt ſucceſſit. Venerat ſedato Cantonienſi tumultu Xauceum è Metropoli neſcio quis militum Præfectus: eo narrante perſuaſum eſt vicinis noſtris, vrbanæ trans flumen Regionis vrbem vniuerſam noſtra cauſa in euidens fuiſſe diſcrimen adductam. ergo hinc coniurationis occaſionem ſumentes, libello ſcripto ab eo ipſo Architalaſſo Cantonienſis cauſæ iudice poſtularunt, vti Noſtros ea vrbe pelleret, quorum cauſa toties vrbana trans flumen Regio vexabatur: à Magiſtratibus ſæpè mulctata, nuperrimo tumultu concuſſa, nulloq; ad eam diem commodo recreata. tametſi iudex intelligeret, quanta iniuria poſtulatio hæc ſcripta eſſet, & quam bene meritas legibus pœnas criminum ſuorum luiſſent, edictum tamen illis dedit, quo iubebantur obſeruare, num quiſquam alius Amacao Socius recens adueniret, neque ſineretur in alias prouincias penetrare: quod ſi feciſſent, omnes tum ſua ſede pellerentur, atque ita conquieuerunt. his permoti Socij ſedem hanc tandem aliquando

Alia calumnia contra Socios.

relinquendam alioque transferendam iudicarunt. Nam Cantonienſis tumultus ſuperior pleroſq; à Noſtris auerterat, aut Neophytis languorem excitarat, & vicinia vniuerſa non diu quietura iudicabatur, eo tamen tempore Noſtri, ne pelli viderentur, nihil mouendum cenſuerunt.

Ex India Cataium Luſtraturus mittitur è Noſtra Societate Benedictus Goëſius Luſitanus.

Caput Vndecimum.

Sinarum Regnum Cataium olim dictum.

SOciorum litteris, qui Mogoris Regiam incolunt, auditum eſt in India de celeberrimo Regno illo, quod Saraceni Cataium vocant, cuius iam olim nomen auctore Marco Paulo Veneto notũ fuerat Europæis, ſed aliquot deinde ſæculorum memoriæ ita exciderat, vix vt eſſe crederetur. ſcribebant Patres illi Catai Regnum illud ad ortum ſpectare, Borealiorem aliquanto ipſo Mogorum Regno: in eo fidei Chriſtianæ cultores reperiri multos, templa, Sacerdotes, ritus, perſuadebãt. Ergo P. Nicolaus Pimenta Luſitanus Indiæ Orientalis Viſitator moueri cæpit cupiditate gentem illam Sociorum Noſtrorum opera excolendi, maxime quod pronum eſſet coniectare gentem à ſuo capite tantis locorum ſpatijs diuulſam in errores aliquos incidiſſe. ergo de re tota Pontificem Maximum Regemq; Catholicum cenſuit admonendum, Regis iuſſu Indiæ Prorex (qui tum erat Arias Saldagna) habebat in mandatis, vti hanc expeditionem è Viſitatoris præſcripto, ſumptu ac fauore proſequeretur, quod ille pro ſua in fidei propagationẽ & nominatim in ordinem noſtrum propenſione præſtitit cumulate. Ad eam rem igitur Viſitator explorandam, fratrem è Noſtris vnum delegit Benedictum Goëſium nomine, Luſitanum, virum apprimè Religioſum ac prudentem, qui ex longa, quam traxerat in Mogorum Regno moram, ſermonem

P. Nicolaus Pimenta Cataium excolere adlaborat.

Perſicum

Perſicum exacte callebat, & Saracenorum mores omnino penetrarat, quæ duo neceſſaria videbantur ei, qui hoc iter tentandum ſuſcepiſſet.

Audierant Noſtri quidem è P. Matthæi litteris è Sinarum Regno Regiaq; transmiſſis, Cataium alio nomine Sinenſe regnum appellari, quod iam ſupra varijs rationibus confirmatum eſt: ſed quod hęc cum Sociorum Mogorenſium litteris pugnarent, dubitatum eſt primo, & deinde à Viſitatore in Mogorenſium Sociorum partes inclinatum: aſſerebatur enim in Cataio Saracenos complures reperiri, de Regno Sinenſi credebatur ineptiſſimam ſectam minimè penetraſſe, & negabatur in eodem regno vllum eſſe Chriſtianæ legis ab omni ſæculorum memoria veſtigium: hæc quia Saracenis auctoribus, qui oculati teſtes hæc ſe vidiſſe narrabant, credita ſunt certiora: viſum eſt igitur Regnum illud Sinenſi conterminum etiam nomen ſuum vicino conceſſiſſe, atque ita negotium proſequi viſum eſt, ſiue vt omnis dubitationis ſcrupulus eximeretur, videreturq; num ex ea parte compendioſiore via commercium cum Sinis inſtitui poſſet.

Cataium regno Sinenſi viſum eſt conterminum.

De Chriſtianis porro, qui apud Cataium, id eſt Sinas, vt infra videbitur, reperiri certum habebatur, Saraceni vel more ſuo mentiebantur, vel certis inditijs deluſi hallucinabātur. cum enim ipſi nullam venerarentur effigiem, & in Sinarum templis multas viderent non abſimiles ſpecie, qua Dei parentem Diuosq; nonnullos pingimus, arbitrari potuerunt, vtramque Religionem in vnum conſpirare: videbant cereos ac lampades aris imponi, profanos illos Sacerdotes penè ſacris veſtibus, quas pluuialia libri noſtri rituales vocant, indui, ſupplicantium pompam explicare, canere ad eum fere modum, quo in Eccleſia canitur ex D. Gregorij inſtituto, aliaq; ſimilia, quæ dæmon ineptus ſacrorum imitator & honorum Diuinorum affectator eò tranſtulerat: his omnibus igitur adduci

Saracenorum error circa legis Chriſtianæ profeſſores.

facile potuerunt Negotiatores maximè Saraceni, vt arbitrarentur, hos eſſe Chriſtianę legis Profeſſores.

Benedictus Armenij Chriſtiani habitu iter inſtituit.

Benedictus noſter igitur hac ratione iter ſuũ inſtituit, Negotiatoris Armenij Chriſtiani habitum imitatus, nomen accepit Armenio ex more Abdula, quod Dominum ſignificat, & addit, Iſai, quod ſonat Chriſtianum: accepit etiam à Rege Mogorũ, Achabar nomine, Sociorum amico præcipue verò ipſius Benedicti, varia ad Regulos varios diplomata, qui vel ei vectigales vel amici eſſe ſciebantur. ergo pro Armenio habitus eſt, quibus tranſitus liberior datur, à quo prohibitus fuiſſet, ſi pro Hiſpano haberetur: varias ſecum merces detulit, tum vt ſeipſum illis diſtrahendis ſuſtineret, tum vt Negotiator haberetur. merces erant ex India Mogorisq; Regno permultæ, ſumptum ſubminiſtrante indico Prorege, & etiam ipſo Achabar adiuuante: Adhibiti ſunt illi à P. Hieronymo Xauerio, qui miſſioni Mogorenſi iam multos annos præeſt, Socij duo natione Græci, locorum periti; eorum alter Sacerdos erat ad Benedicti ſolatium, & hic Leo Grimanus vocabatur, alter negotiator erat nomine Demetrius: His additi ſunt quatuor famuli natione primùm ac profeſſione Saraceni, poſtea vero Chriſtianis adiuncti. Verum hos omnes in Regia Mogoris altera Laòr nomine, inutiles ſibi dimiſit, & Armenium vnum nomine Iſaac, in hac ipſa Regia coniuge & filijs auctum ſubſtituit. hic præ cæteris omnibus fidelis fuit, & perpetuus totius itineris Achates. Diſceſſit igitur à ſuperiore ſuo Frater noſter, vt ex eius litteris patentibus conſtitit, anno ſupra ſecularem tertio Ianuarij, menſe die ſexto.

Benedicti Socij.

Anno quolibet, Mercatorum comitatus ex hac Regia inſtituitur in alterius Regni Regiam, quæ proprium Regem habet Caſcar nomine appellatam: ſimul omnes iter inſtituunt, vel mutui auxilij cauſa, vel vt ſe à latronibus tueantur. numerus fuit fere ad quingentos magno iumentorum Camelorum

Benedictus diſcedit è Regia Laòr.

rum & curruum numero. E Regia igitur Laòr diſceſſit per ſolemnes ieiuniorum dies, ipſo anno, & menſtruo itinere deuenerunt in vrbem Athec nomine, etiam tunc in Prouincia Laòr ſita. poſt dies fere quindecim flumen transmiſerunt latum, quantum ſagittæ tractus excurrit: id transmittitur nauigijs ad Negotiatorum cõmoditatem. Ex altera fluminis ripa dies omnino quinque ſubſtiterunt, admoniti de latronibus magno numero imminentibus: deinde poſt duos menſes in aliam vrbem, cui nomen Paſſaùr perueniunt: ibi dies viginti ad neceſſariam quietem ſubſtiterunt. poſtmodum in aliud oppidum exiguum tendentes, obuium habuerunt peregrinum quendam Anachoretam, ab eo intellexerunt, triginta dierum itinere vrbem abeſſe, nomine Capherſtam, in quam Saracenis aditus minimè permittitur, adeuntes vero capite puniuntur, Ethnici tamen Negotiatores minime prohibentur ingreſſu vrbium, ſed à templis tamen excluduntur: narrabat illius Regionis indigenas omnes non niſi atratos ad templa procedere, agrum eſſe feracem, & vuæ copiam reperiri. Frater noſter Benedictus eo propinante, vinum eſſe probauit, noſtrati ſimile: quæ res vti apud Saracenos eorũ locorum eſt inſolens, ita ſuſpicionem ingeſſit, eam Regionem fortaſſe à Chriſtianis habitari. in eo loco vbi peregrinum illum repererunt, viginti alios dies ſubſtitere. & quoniam latrocinijs infeſtum iter ferebatur, à loci Domino milites quadringentos ad comitandum acceperunt. hinc diebus quinque ſupra viginti in locum cui Ghideli nomen eſt deuenere. toto hoc itinere impedimenta & ſarcinæ ad pedem montis vehebantur: Negotiatores cum armis ex ipſo montis apice latrones explorabant: Solent enim tranſeuntes ſaxis obruere, niſi quis ex ipſo monte vim vi propulſarit. In hoc loco tributum à Negotiatoribus penditur, & latronum impetu facto, multi mortales ſaucij, vix vitam ſarcinasq; tuiti ſunt. Benedictus Noſter fu-

Athec.

Paſſaùr.

Cupherſtam.

Ghideli.

Locus à Latronibus infeſtus.

Cabul emporium.

gam in ſyluas arripiens euaſit, ſed nocturnis horis redeuntes ſeſe à latronibus ſubduxerunt. poſt alios dies viginti Cabul tenuerunt (ea eſt vrbs, emporium frequens, nondũ extra terras Mogoris regno ſubiectas) eo in loco Noſtri totos octo menſes ſubſtiterunt. nam è Negotiatoribus aliqui de vlteriore itinere cogitationem depoſuere, & reliqui ſua paucitate deterriti, pergere non audebant.

Soror Regis Caſcar in Negotiatorũ comitatum incidit.

In hoc ipſo emporio incidit in Negotiatorum comitatum ſoror Regis Caſcàr, per cuius Regnum in Cataium tranſitus erat neceſſarius: Rex dicitur Maſſamet Can: eadem erat domini Gotàn alterius Regis parens: ipſa vero Agehanem vocabatur: Age, prænomen eſt, quo Saraceni eos cohoneſtãt, qui peregrinandi ſtudio ad impoſtoris cadauer ſeſe Mecham contulerunt: illa enim impię Religionis cauſa tanto locorum interuallo Mecha redibat, & neceſſario ſumptu ad iter deſtituta, à Negotiatoribus auxilium expetebat: addita promiſſione, ſe omnia cum fide ac fœnore liberaliſſimè reddituram, cum in ſuum regnum mercatores deueniſſent. viſa eſt Fratri noſtro non omittenda occaſio, vti alterius regni ſibi Regem deuinciret, iam enim Mogorica diplomata expirabant. ergo mutuos illi è diſtractis mercibus aureos ferè ſexcentos dedit, qua liberalitate, quod etiam in contractu fænus reſpuiſſet, vinci ſe minimè paſſa eſt: nam deinde marmoris illius apud Sinas nobiliſſimi fragmenta reſtituit, qua merce nulla alia eſt Cataium petentibus accommodatior.

Alter è Socijs Benedicti reuertitur.

Hinc itineris inſtituti moleſtijs cedens, reuerſus eſt Leo Grimanus Sacerdos: & Demetrius eius ſocius in ea vrbe ſubſtitit Negotiationis cauſa. abijt Frater noſter cum vno Iſaaco Armenio in cæterorum Negotiatorum comitatu. iam enim accedentibus alijs tuto ſibi pergere poſſe videbantur. prima

Ciaracàr.

vrbs quæ obuia fuit, Ciaracàr vocatur, quo in loco magna eſt ferri copia hîc moleſtiam paſſus eſt inſignem Benedictus noſter.

ſter. nam in his extremis Mogorum regni finibus diploma Regium negligebatur, quo diplomate immunis ab omni ve-ctigali hactenus iter fecerat: inde poſt dies decem in oppidum exiguum deueniunt, Paruàm nuncupatur, & hoc eſt vltimum Mogorum Regis oppidum. Poſt quinq; dierum quietem, in altiſſimos montes, iter eſt diebus viginti in Regionem, cui Aingharàn nomen eſt, deuenerunt: poſt alios quindecim Calcià tenuerunt. Gens eſt huius Regionis capillitio barbaq; flaua inſtar Belgarum, qui hanc Regionem varijs in pagis incolunt. poſt dies decem obuium habuerunt locum quendam Gialalabath appellatur: hic Bracmanes vectigalia exigunt ipſis è Rege Bruarate conceſſa. poſt dies deinde quindecim Talhan deuenerunt: vbi menſem vnum ſubſtiterunt Ciuili tumultu deterriti. nam ex rebellione Calcienſium populorum itinera minus ſecura ferebantur. hinc in Chemàn pergentes, ſub Abdulahan Rege Samarhan, Burgauiæ, & Bacharate, aliorumq; Regnorum conterminorum oppidum eſt exiguum, cuius Pręfectus ad Negotiatores miſit, qui moneret intra muros ſeſe reciperent, extra nõ ſatis tutum eſſe à tumultuantibus Calcienſibus: verum Negotiatores reſponderunt: velle ſe tributa pendere, & nocturnis horis iter ſuum perſequi. Verum oppidi præfectus plane inhibuit, aſſerens rebelles Calcienſes equis hactenus carere, quos ſi comitatui rapuiſſent, ijs ipſis acrius populaturos & oppido maiorem moleſtiam procuraturos: tutius videri, ſi vna cum ſuis vim Calcienſium propulſarent, vix dum ad oppidi muros aduenerant, cum nunciatur, Calcienſes aduenire: quo audito Præfectus vna cum ſuis gloriosus fugam arripuit. Negotiatores in hoc diſcrimine ſubitam è ſarcinis velut arcem excitarunt, & in eam magnam vim ſaxorum intulerunt, quæ vſui eſſent, ſi quando ſagittæ defeciſſent id cum Calcienſes reperiſſent, Legationem ad Negotiatores mittunt, nihil eſſe quod vereantur, ſe itineris comites

Paruàm oppidum.

Aingharàn.

Calcià.

Gialalabath.

Talhàn.

Chemàn.

Negotiatores ex Sarcinis arcem excitant, & ſpoliantur.

mites

mites ac defenſores futuros: neque enim fidendum tumultuantibus arbitrabantur. ergo communi conſilio fugam arripiendam iudicarunt, hoc negotiatorum conſilium neſcio quis ad rebelles detulit. ergo impetu facto dimiſſis ſarcinis in ſiluam vicinam ſeſe receperunt, interim latrones è ſarcinis quidquid placuit eduxerunt, deinde euocatos è ſiluis negotiatores, latrones ipſi intra vacuos muros cum ſarcinis reliquis abire permiſerunt. Benedictus noſter nihil præter equum amiſit, quem tamen etiam poſtea cum goſſipinis pannis permutatũ recepit. Intra muros degebant illi non ſine ingenti metu, ne fortaſſe à rebellibus omnes impetu facto mactarentur. Verum eo ipſo tempore ad rebelles miſit Dux quidam è maximis, nomine Olobet Ebadaſcan, Bucharatis Regione fratrem ſuum, qui minus Culcienſes rebelles adegit, vt Negotiatores liberos abire permitterent: ſed toto eo itinere varie à latrunculis commeatus cauda carpebatur. & quidem in Benedictum noſtrum, cum nonnihil ſubſtitiſſet, quatuor latrunculi ex inſidijs èruperunt, quorum ipſe vim eluſit in hunc modum: eripuit capiti Perſicum pileum, & in latrones coniecit, hi de pileo harpaſti ludum exercentes ſpacium fratri noſtro dederũt adactis equo calcaribus ſagittarum ictum præcurrendi, ſeque reliquo comitatui adiungendi. poſt octiduum peſſimo itinere in Tengi Badaſcian peruenerunt, Tengi iter moleſtum ſonat, eſt enim anguſtiſſimum, & non niſi ſingulis tranſitus patet in altiſſima magni fluminis ripa: huius vrbis Incolæ vna cum cohorte militum, quæ comitabatur, in negotiatores inſiluerunt, & erepti ſunt Fratri noſtro tres equi, quos deinde munuſculis redemit; decem dies hic ſubſtitere, & diei itinere Ciarciunar tenuerunt: hic dies quinque imbribus detenti ſunt in aperto campo, & ſupra cæli inclementiam iterum à latronibus inuaduntur. hinc poſt dies decem in Serpanil deuenerunt, ſed deſertus locus erat, mortalibus omniq; comitatu deſtitu-

Latrunculi 4. Benedictũ inuadunt.

Badaſcian vrbis incolæ in Negotiatores erumpunt.

Ciarciunar.

Serpanil.

deſtitutus; in arduum montem conſcenſum, cui Sacrithma nomen eſt, in hunc montem euadere non niſi robuſtiores equi potuere, reliqui longiore ſed faciliore itinere perrexerũt. Hic fratri noſtro è iumentis duo læſis pedibus claudicabant, & famuli labore fatigati eos dimittendos iudicabant, ſed demũ reliquos conſecuti ſunt. viginti dierum igitur itinere in Prouinciam Sarcìl deuenientes, pagos ibi multos vicinos repererunt. Biduum ad reficiendos equos ſubſiſtunt: inde poſt aliud biduum ad pedem montis, cui nomen Ciecialith perueniunt, eum multa niue conſperſum dum conſcendunt, plurimi mortales frigore obriguerunt, & ipſe Frater noſter ab extremo periculo parum abfuit. nam ſex omnino dies in hac niue tenuerunt. Denique in Tanghetàr, quæ eſt Regni Caſcàr, delati ſunt: ibi è ripa magni fluminis in aquas cecidit Armenius Iſaac, & horas octo totas ſemianimis iacuit, verum deniq; Benedicti auxilio ad ſe redijt, & poſt alios dies quindecim Iaconich oppidum tenuerunt, & eiuſmodi fuit iter, vt Fratri noſtri ſex equi labore interierint. poſt dies quinque comitatum præueniens noſter Benedictus ſolus in Metropolim præceſſit, quæ Hiarchan appellatur: ex ea equos miſit ſubſidiarios, & ſocijs de neceſſarijs quoque prouidit, qui non ita multo poſt incolumes cum ſarcinis & mercibus Metropolim tenuerunt Nouembri menſe eodem anno ſupra ſæcularem tertio.

Sarcil Prouincia.

Tanghetàr.

Iaconich.

Reliquum itineris Cataium vſque quod Sinarum Regnum eſſe compertum eſt.

Capvt Dvodecimvm.

Hiarchan Regni Caſcàr Regia celeberrimum eſt emporium, vel negotiatorum cõcurſu, vel mercium varietate. In hac Regia finem accipit Cabulenſium Negotiatorum co-

Hiarchan.

Rex Caſcar vendit Præfecturam comitatus Cataium vſque.

mitatus : & inde inſtituitur nouus Cataium verſus, cuius comitatus præfecturam Rex multo pretio vendit, ac Præfecto Regiam in Negotiatores omnes per iter vniuerſum communicat poteſtatem : is priusquam coaleſceret annuum ſpatium fuit. ad iter enim periculoſum ac longum non niſi multi conſpirant, nec annis ſingulis adornatur, ſed ijs tantum, quibus in Cataium Regnum norunt iam ſe eſſe admittendos: nulla eſt negotiatio pretioſior frequentiorúe in hoc itinere toto, quam fragmentorum pellucidi cuiusdam marmoris, quod Iaſpin nos vocabuli ponuria ſolemus appellare: hæc fragmenta Regi ferunt allecti magnitudine pretij, quam Cataienſis Rex eſſe arbitratur è ſua dignitate: quidquid Regi minus placet, liberum eſt in priuatos diſtrahere; lucro tali, cuius ſpes tantos labores ſumptusq; bene collocatos putat, ex eo marmore variam ſupellectilem concinnant; vaſa, veſtium & zonarum ornamenta, quę frondibus ac floribus affabre inſculptis ſanè non exiguam referunt maieſtatem: ea marmora quibus plenū eſt, hodie regnum, Sinæ Tuſcè vocant, & duplex eſt eius marmoris ſpecies : altera pretioſior, quæ è flumine Cotàn, non procul à Regia educitur, eo fere modo, quo gemmas vrinatores piſcantur, & inſtar ſilicum craſſiorum educi ſolet: altera ſpecies inferior è montibus eruitur, & in ſaxa maiora diffinditur in laminas duabus fere vlnis latiores, quæ deinde ad iter accommodari ſolet: abeſt mons iſte ab hac regia dierum viginti itinere, & Canſangui caſcio, id eſt, mons lapideus appellatur, quem veriſimile eſt eum eſſe, qui eodem nomine in geographicis deſcriptionibus huius regni quibusdam nuncupatur. eruuntur hæc fragmenta labore incredibili, vel loci ſolitudine, vel marmoris duritia, ad quod tantiſper emolliendum ferunt extructo deſuper igne luculento domari: huius quoque eruendi facultatem magno pretio Rex alicui Negotiatori vendit, ſine cuius facultate toto contractus tempore

Negotiatio in Iaſpide.

Duæ ſpecies Iaſpidis.

cæteris

cæteris negotiatoribus effoſſio prohibetur. cum eò tenditur, annuus ad operarios alendos defertur commeatus: neque enim breuiore ſpatio ad exculta hominibus loca reditur.

Frater noſter Benedictus Regi viſitationis officium impendit (dicitur is Mahamethin) gratus fuit delato ex munere, nam horariam machinam è collo penſilem, vitrea ſpecula, aliaq; Europæa detulit, quibus Rex ita recreatus eſt atque delinitus; vt datorem in amicitiam patrociniumq; ſuum receperit. Non aperuit initio Noſter, velle ſe in Cataium proficiſci, ſed ſolum de Regno Cialis ad ortum huius regiæ ingeſſit ſermonem, & ad iter illud diploma Regium impetrauit, adnitente maximè filio peregrinæ illius Reginæ, cui aureos ſexcentos mutuos dederat, arctam etiam cum Palatinis varijs neceſſitudinem contraxit.

Benedictus Regem inuiſit Mahamethin.

Sex menſes abierant, cum ecce tibi Demetrius ex antiquis Socijs vnus, qui Cabuli ſubſtiterat aduenit, cuius aduentu Benedictus noſter & Iſaac Armenius geſtierunt, ſed breue gaudium fuit: nam ipſius Demetrij cauſa breui Noſter aliquod adijt diſcrimen: eo tempore ex Regis facultate Imperator ludibundus appellatus eſt è Negotiatoribus vnus, cui cæteri Clientelaria obſequia & etiam dona ex more deferebant, tergiuerſabatur Demetrius ne ſumptum faceret, & quoniam huic licet rebelles in vincula trudere, vel etiam verberatione plectere, parum ab vtoque abfuit Demetrius: verum rem vniuerſam ſua prudentia compoſuit Benedictus noſter, & interceſſione ſupra munuſculũ veniam impetrauit. Aliud etiam grauius periculum fuit, nam cum in domum latrunculi irrupiſſent, Armenium vinculis conſtrictum adacto etiam in pectus fetro à clamore prohibebant. Sed, è tumultu à Fratre noſtro Demetrioq; auditi fugam rapuerunt. Abierat ad recipiendos mutuos nummos ad Parentem Reguli Quotàn Benedictus, aberat illius Regia itinere dierum decem, & eundo redeun

Demetrius Benedictum aſſequitur.

Benedictus occiſus falſo ſermone proclamatur.

deundoq; menſtruum ſpatium effluxit; Eo ſpatio ſparſere Saraceni de morte Benedicti falſos ſermones, aiebant enim eum à Sacerdotibus ſuis interemptum, ideo quod impoſtoris Prophetæ ſuæ nomen inuocare detrectaſſet, & iam hi arcani Sacerdotes Caciſces vocant, Eum velut ab inteſtato ac ſine hærede mortuum, ſuis fortunis ſpoliare aggrediebantur, quæ res Demetrio Armenioque ſatis moleſtiæ intulit, dum ſeſe tuerentur, vterque Benedicti Socij mortẽ quotidiano luctu proſequebantur, vnde poſtmodum ex eius incolumitate gaudium duplex fuit. redibat enim cum precioſiore marmore cumulate reſtitutus, inde ad gratias Deo referendas multa in egenos eleemoſynæ nomine diſtribuit, quod ſuum inſtitutum ipſe toto itinere liberaliter retinebat.

Benedictus Mahometem inuocare iubetur.

Die quodam conſederat cum alijs Saracenis epulo reficiendus, ad quod eum Saracenus quidam euocarat, ingreſſus eſt neſcio quis armata manu furens, & ſtricto in pectus mucrone iuſſit, vti Mahometis nomen inuocaret: Reſpondit Noſter, in vniuerſa lege ſua nullum hoc nomine inuocari ſolere, quod ideo omnino facere detrectabat: ei ab aſtantibus ſubuentum, & furens ille domo extruditur, hoc ipſum de intentata morte, niſi Mahometem imploraret, ſæpè ac ſæpius accidiſſe narratur, ſed eum Deus in itineris finem liberauit. Alio die quodam ab ipſo Rege Caſcàr euocatur præſentibus legis impuriſſimæ Sacerdotibus atque litteratis: Litteratos Mullàs vocant, interrogatus, quam legem profiteretur. an Moyſis, an Dauidis, an Mahometis, & in quam partem ſeſe verteret Deum oraturus? Reſpondit noſter, ſe Iesv legem profiteri, quem ipſi Iſai vocant, & ad quamlibet partem orando conuerti, quod vbique Deum eſſe conſtaret, de hoc vltimo reſponſo magna inter eos orta diſceptatio, ipſi enim ad occaſum obuertuntur. Demum concluſum eſt ab ijs, noſtram quoque legem bonam poſſe videri.

Interim

Interim comitatus futuri Negotiatorum Præfectus renunciatus eſt ex indigenis quidam Agiaſi nominatus: Is quoniam de Fratre noſtro audierat, virum eſſe cordatum & negotiatorem vtcunque copioſum, eum domum ſuam ad celebre epulum euocauit, in quo præter fercula Muſici gentis more concentus minimè defuerunt, ſub epuli finem rogauit, vti ſe in hoc itinere Cataium vſque comitaretur, nihil magis optabat Noſter, ſed vſu Magiſtro didicerat tractare Saracenos: itaque rogari ſe voluit, vt optimis legibus gratiam facere non acceptare videretur, ad id igitur impetrandum Rex ipſe à Præfecto adhibetur. Is enim Benedictum rogauit, vt Caruan baſa, id eſt, Comitatus præfectum comitaretur recepit ſe facturum, ſed ea lege, Si patentes litteras in vniuerſum iter daret. Hac re offenſi ſunt prioris comitatus Cabulani ſocij: nolebant enim eius abſentia priuari. nam multitudinem iam ſæpè neceſſariam dixi. Monebant illum, ne indigenis fideret: Gentem peruerſam hac arte fortunas eius omnes vitamq; deuoraſſe: Cauſatus eſt noſter Regis ſe auctoritate permotum, comitatus Præfecto promiſſum dediſſe, à quo non eſſet integrum reſilire. horum negotiatorum metus non erat vanus; ex ipſis enim indigenis aſſerebant permulti, tres illos Armenios quos à legis ſimilitudine confundebant, vix egreſſos vrbanis muris ab itineris Socijs mactatum iri. Ergo Demetrius hoc metu territus, iam ſecundo ab vlteriore peregrinatione deſtitit, & hortabatur etiam Fratrem noſtrum, vti retrò ſe referret: verum, eum à ſe repulit aſſerens: nullo vnquam tempore ſe ab obediendo mortis metu deterrendum, maximè eo in negotio, è quo maxima Dei gloria ſperabatur; indignum ſibi videri ſpes multorum irritas mortis metu truncare: Archiepiſcopum Goanum, Proregem ipſum ſumptu facto fraudare: ſperare ſe eius auxilio rem perfecturum, cuius patrocinio huc vſq; perduxerat, quod ſi minus ex animi ſententia cederet, vitã libenter in hac cauſa poſiturũ.

Benedictus ſe comitem addicit Præfecto comitatus Cataium vſque.

Iter inſtituũt. Cataium verſus.

Ad iter igitur accinxit ſeſe, & equos decem ſibi ac Socio ſarcinisq; ſuis comparauit: alterum iam domi habebat. interim abierat Negotiatorum Præfectus domum ſuam ad iter ſeſe comparaturus, quæ aberat ab Regia quinque dierum itinere. Ex eo loco Nuncium miſit ad fratrem Noſtrum, vti quamprimum iter arriperet, & exemplo ſuo cæteros Negotiatores vrgeret. fecit libens, anno ſupra ſæcularem quarto, medio fere Nouembri, peruentum ad locum Iolcì nomine, vbi vectigalia pendi & Regia diplomata reuideri ſolent. Hinc Hancialix alceghet, Hagabateth, Egriàr, Meſetelec, Thalec, Horma, Thoantac, Mingieda, Capetalcòl Zilan, Sarc Guebedal, Canbaſci, Aconsersèc, Ciacor, Acsù, vigintiquinq; diebus hæc omnia loca peragrarunt, iter fuit moleſtum, vel ſaxorum multitudine vel arenæ ſitientis inopia.

Loca ſaxoſa.

Acsù oppidum eſt Regni Caſcàr, cuius Pręfectus erat Regis Nepos, annorum duodecim. Is iterum Fratrem noſtrum euocauit, qui puerilibus eum donis proſecutus, ſaccarum & ſimilia donauit, exceptus eſt ab eo perhumanè, & cum ſolemnis eſſet coram eo ſaltatio, rogauit Fratrem noſtrum, vti gentis ſuæ more ſaltaret, quod fecit ipſe, ne rem tantillam Regi negaſſe videretur, Parentem quoque huius Reguli inuiſit, eique diploma ſuum oſtendit, quod magna veneratione admiſſum eſt, huic muliebria munuſcula dedit Criſtallinum ſpeculum, goſſippinum ex India pannum, & alia huiuſmodi. Euocatus eſt etiam à pueri Moderatore, qui publica negotia adminiſtrabat. In hoc itinere ex iumentis noſtri Negotiatoris vnum in flumen rapidum incidit. nam cum neſcio quo fune impeditos haberet pedes, diruptis vinculis in alteram fluminis ripam euaſit, ſenſit hanc iacturam Benedictus, & inuocato IESV nomine equus ſeipſo ad cæterorum Societatem incolumis renatauit, cui beneficio grates è præſenti periculo ereptus Deo retulit. In hoc ipſo itinere deſertum decurritur,

Benedictus iubetur ſaltare à Regis Nepote

Equus incolumis ſeruatur.

cui

cui Caracathai nomen eſt: id terram nigram Cataienſium ſonat, ideo quod ferant, Cataienſes ibi diutius commoratos: in hoc oppido quindecim dies cæteros Negotiatores præſtolati ſunt: inde tandem diſcedentes in Oitograch Gazò, Caſciani, Dellaì, Saregabedàl, Vgan, ac deinde Cucià deuenerunt, oppidum etiam exiguum, in quo ad reficienda iumenta menſem integrum ſubſtiterunt: nam & itineris moleſtijs, & marmoris pondere hordeiq; inopia propè vires amiſerant. Hic è Noſtro quæſitum eſt à Sacerdotibus, quid eſſet cauſæ, cur per ſolemnis apud ſe ieiunij dies minimè ieiunaret, id faciebant ſpe largitionis, vti relaxationem impetraret, aut mulctam perſolueret: non exiguus fuit vim propè inferentium, vti in fanum ſuum ire cogeretur. hinc Abeuntes poſt quinq; & viginti dierum iter in vrbem Cialis peruentum eſt, exiguam illam quidem, ſed bene munitam. Hanc Regionem moderabatur Regis Caſcàr filius illegitimus, qui audito Fratrem noſtrum cum Socijs aliam legem profiteri, terrere illum cæpit, aſſerens audaciorem æquo fuiſſe alienæ legis profeſſorem in has regiones penetraſſe: licere enim ſibi illi vitam fortunasq; eripere, ſed lecto diplomate placatus, & accepto munere etiam amicus fuit. Nocte quadam diu Dynaſta de lege ac ſecta ſua cum Sacerdotibus litteratisq; diſceptabat, & ſubito illi in mentem venit Benedictum noſtrum euocare: miſſo igitur equo eum in palatium inuitauit, & quoniam alieno tempore id fecerat; is qui primùm parum benignè eum excepiſſet, vix dubitarunt eum ad mortem euocari. ergo à Socio non ſine lachrymis auulſus, ipſe ad mortem comparatus obeundam, hortabatur Armenium Socium, vti idem animosè præſtaret, vt ſi forte præſens periculum euaderet, Socios de ſua morte redderet certiores. Benedictus igitur in Palatium ingreſſus, iuſſus eſt cum legis Mahometanæ Doctoribus diſceptare, & eo inſpirante, qui dixit: Dabitur vobis in illa hora quid loquamini, tam

Garacathai.

Cialis Regiam perueniunt.

Benedictus à Rege vocatur ad diſputandū

tam aptis rationibus Chriſtianæ legis veritatem confirmauit, vt ad turpis ſilentij metas deuenirent. Regulus Fratrem noſtrum ſemper tuebatur, quæcunque diceret approbans, denique concluſit Chriſtianos eſſe veros Miſermanos, quæ vox fidelem ſonat, adiunxit etiam maiores ſuos eandem legem profeſſos fuiſſe: diſceptatione finita, ſolemni eum epulo excepit, & eam noctem intra palatium pernoctare iuſſus eſt: dimiſſos die poſtero iam tardius, ita vt iam Iſaac de eius reditu deſperaret: Reperit eum collachrymantem. perſuaſerat enim mortem certiſſimam tardius redeuntis. In hac vrbe tres omnino menſes ſubſtitere. neq; enim Negotiatorum Præfectus abire non niſi cum copioſo comitatu voluit, quo enim numeroſior eſt, eo Præfecto quæſtuoſior: hac igitur ex cauſa minimè permittebat, vt quiſquam præcederet. Frater noſter moræ longioris tædio & ſumptuum magnitudine prouocatus, ad diſceſſum aſpirabat; ergo nouis donis delinitum Dynaſtam induxit, vti ſibi faceret eundi facultatem: impetrauit illo inuito Pręfecto ac Socijs, inter quos in poſterum interrupta familiaritas fuit.

Benedictus à Rege humanè tractatur.

Iam abire parabat ex oppido Cialis, cum è Cataio ſuperioris comitatus Negotiatores rediere. hi vt ſolent legationem mentiti in Cataienſem Regiam penetrarant, & quoniam in eodem cum Noſtris aduenarum palatio Pechini fuerãt commorati, de P. Matthæo ac Socijs miranti Noſtro ſe pro Cataio Sinas reperiſſe, certiſſima nuncia retulerunt. Hi Saraceni erant illi ipſi, de quibus libro ſuperiore ſcriptum eſt, eos eodem tempore intra palatium idem trimeſtri fere ſpatio cum Noſtris cõmoratos: narrarunt igitur Noſtros Regi obtuliſſe horarias machinas, Clauicordium, pictas imagines, & alia huiuſmodi ex Europa: eoſdem in ea Regia à maximo quoque coli, & veris falſa coniungentes, dixerunt Noſtros cum ipſo Rege ſæpè collocutos, & ſociorum vultum ſatis aptè pingebãt,

Benedictus de ſtatu Sociorũ Pechinenſium docetur.

ſed

ſed nomina ignorabant; nam è Sinarum more Noſtri aliud nomen ſuperinducunt; addiderunt etiam ad fidem acrius exigendam ſchedulam à Noſtris ſcriptam ſermone Luſitano, quam è famuli cubiculum verrentis ſordibus eripuerant ad rei memoriam, vti ad ſuos reuerſi, narrarent eam gentem, quæ hoc vtitur charactere, ad Sinas penetraſſe. his nuncijs cũ Socio Noſter ſatis recreati ſunt, nihilq; deinde dubitarunt Cataium à Sinenſi Regno ſolo nomine diſcrepare, ipſamq; Regiam à Saracenis Cambalù appellatã Pechinum eſſe, quo priusquam abiret ex India ſciuerat Sociorum litteris Noſtros cogitare.

Abeuntem Regulus ſuis litteris ſecuritatis cauſa proſecutus eſt, & cum de illius nomine ageretur, qua ratione vellet inſcribi, quæſijt vellet ne Chriſtiani nomen apponi. Volo, inquit ille, nam hoc Iſai nomine appellatus vniuerſum iter huc vſque decurri, cum eodem certum eſt terminare. Audijt hoc fortè è Saracenis Sacerdotibus ſenex venerandus, qui ereptum capiti pileum in terram abijciens, exclamauit: Ita plane oportet, hic fidelis eſt legis ſuæ obſeruator; nam ecce in tua ipſius præſentia, qui aliam legem profiteris, & in cæterorum conſpectu nihil dubitat IESVM ſuum confiteri. Noſtri aliter plane ſe gerunt: nam vna eum Regione Religionem mutare perhibentur: Inde ad Noſtrum conuerſus, eum inuſitato honore proſecutus eſt. Ita ſplendet etiam in tenebris virtus, & ab inuitis etiam hoſtibus honoratur. Abijt igitur tandem cum ſocio ſuo & alijs paucis, & diebus viginti iter in Pucián eiuſdem Regni oppidum promouerunt, vbi humaniſſimè ab loci Præfecto excepti, neceſſario ex eius domo commeatu honorabantur. Hinc, in Turphàn munitam vrbem præuenientes menſem vnum ſubſtiterũt. Inde in Aramuth: hinc in Camul munitum quoq; locum deuentum eſt: hîc, alium menſem ſe ac iumenta refecerunt, quoniam intra regni Cialis ditionẽ ſunt habiti

Benedictus palam Chriſtiani nomen ſibi aponi petit in litteris patentibus.

Puciàn oppidũ

Turphàn, Aramuth, Camul.

perhumanè, cuius in hoc oppido termini claudebantur. E Camul diebus nouem ad Boreales illos Sinenſis regni muros deuenerunt, ad locum, qui Chiaicuon appellatur: ibi dies quinque ſupra viginti Proregis eius Prouinciæ reſponſum expectarunt. Ergo tandem intra muros admiſſi diei vnius itinere in

Socieù.

vrbem Socieù ingreſſi ſunt, vbi de Pechino multus ſermo, aliiſq; iam notis nominibus, omni deniq; ſcrupulo Fratrem noſtrum exemit, nihil in poſterum dubium Cataienſe regnum à Sinenſi, vt modo dixi, ſolo nomine diſcrepare. Quidquid

Locus à Tartaris infamis.

Cialis inter ac Sinenſis regni terminos iacet, Tartarorũ incurſionibus infame eſt; ideo Negotiatores magno per hæc loca metu procedunt, interdiu enim explorant è vicinis montibus, ſitné aliqua Tartarorum excurſio, ac ſi ſecurum iter iudicent, nocturnis tenebris ſilentioq; tuti ire pergunt. varios in itinere Saracenos miſere mactatos repererunt, quod ſoli pergere minimè dubitaſſent, quanquam raro Tartari indigenas ipſos

Tartarorũ ratio viuendi.

mactent, aſſerentes eos eſſe ſeruos ſuos ac paſtores, quibus arietum greges, & boum armenta eripiunt; ſed neq; frumento, neq; oriza alioue legumine ipſi veſcuntur, dicentes hoc iumentorum eſſe non hominum pabulum: ſola igitur carne veſci ſolent, nec ab equis, mulis, aut Camelis abhorrent, & tamen fama eſt eos diutiſſimè viuere, & ferè annorum centum excedere ſenectutem. Saraceni populi, Sinis ex hac parte contermini, imbelles ſunt, & à Sinis nullo negotio ſubijci poſſent, ſi Sinæ de ſubijciendis ſibi nationibus laborarent. In hoc iti-

Benedictus ſemianimis inuenitur.

nere nocte quadam Benedictus equo excidit, præeuntibus ſocijs nec aduertentibus, eoq; caſu ſemianimis in terra iacebat; & iam comitatus in hoſpitij locum deuenerat, cum ſentitur abeſſe Benedictus, Eum ſocius Iſaac per obſcuram adhuc noctem quærens minimè reperiebat, donec vocem ſenſit, quæ Iesv nomen inuocabat, eius ſonum ſecutus, Benedictum reperit, qui iam de aſſequendis ſocijs deſperarat: dixit igitur,

quis

quis te Angelorum huc adduxit, vt me periculo eximeres imminenti, adiutum igitur Armenius ad hoſpitij locum deduxit atque recreauit.

Fratris Noſtri Benedicti mors intra Sinenſe regnum, poſtquam ad eum excipiendum è Noſtris vnus Pechino miſſus aduenißet.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

AD occiduam Sinenſis regni partem, qua in Boream flectitur, celebres illi muri finiuntur, & ſpatium erat ducentorum fere milliariorum, quo ſpatio Tartari muris excluſi, ſæpe in Sinarum regnum excurrentes tentabãt ingreſſum, & etiam nunc, ſed minore periculo tentant: extructæ ſunt enim ad retundendos eorum impetus vrbes duæ munitiſſimæ & ad præſidiũ milites in ſuas turmas diſtributi ſelectiores deputantur, habent proprium ſupra ſe Proregem, & alios Magiſtratus, quibus à Regia duntaxat imperari poteſt: in altera harum vrbium Prouinciæ Scenſi, Canceù appellata reſidet Prorex cum reliquis præcipuis Magiſtratibus: altera Soceù appellata, proprium habet Gubernatorem, & in duas partes diſtributa eſt: altera Sinæ (quos hîc Saraceni Cataios vocant) altera Saraceni cõmorantur, qui è regno Caſcàr, & ſimilibus ab occaſu Negotiationum cauſa conueniunt: ex ijs multi, quod redire nolint, iam vxoribus & filijs illigati prope pro indigenis habentur, ad eum fere modum, quo Amacai in Prouincia Cantonienſi conſident Luſitani, ſed in eo differunt, quod Luſitani ſuis legibus viuant, & proprios habeant Magiſtratus: Saraceni à Sinis gubernantur, à quibus nocturno tempore intra vrbem ſuam clauſi proprijs muris continentur, ac in reliquis nihil ab indigenis differunt, eorum Magiſtratibus per omnia ſubiecti. Lex eſt, eum qui annos nouem ibi ſubſtiterit,

Muri contra Tartaros.

Vrbes duę cõtra Tartarorũ impetus.

Saraceni Sinarum ſubiecti legibus.

ad ſuos reditum prohibendum. In hanc vrbem fere ab occaſu Negotiatores adueniunt, qui legatione ficta, ſeptem octóue regnorum antiquis cum Sinenſi regno pactis impetrarunt, vti ſexto quoque anno duo ſupra ſeptuaginta legatorum nomine Regi tributum pendant, marmor illud pellucidũ adamantum fragmenta, cæruleum colorem, & alia huiusmodi neſcio quæ inde, in aulam ſumptu publico, euntes, ſumptu quoque publico reuertuntur, vectigal eſt honorarium potius, quam vtile; nam nemo carius hoc marmor comparat ipſo rege, qui ab externis quicquam gratis accipere contra magnitudinem ſuam eſſe arbitratur; & quidem ita regio ſumptu excipiuntur, vt omnibus in numerum adductis, certum ſit eos die quolibet ſupra neceſſarios ſumptus à ſingulis ſingulos aureos in lucro reponi. Hinc fit, vt certatim à pluribus hæc legatio ambiatur, & magnis à Præfecto Negotiatorum, ad quem nominatio pertinet impetretur, cum tempus legationis aduenit publicas Regum ſuorum litteras effingunt, quibus Sinarum Regi clientelare obſequium deferunt. Similes legationes è varijs regnis admittunt Sinæ è regnis Caucincino, Siàn, Leuchieù, Coriano, & ab aliquot Tartarorum Regulis non ſine incredibili ærarij publici ſumptu, quibus artibus ipſi Sinæ (qui fraudem minimè ignorant) Regem ſuum ludunt, adulandi ſtudio, quaſi vero Sinenſi regno vectigal orbis penderet vniuerſus, cum è contrario verius ijs regnis à Sinis tributa pendantur.

Vectigal Regi Sinarum à Negotiatoribus quale pendatur.

In vrbem Soceù Benedictus noſter exeunte anno ſupra ſæcularem quinto peruenit, & quod ſatis diuinam prouidentiam prodit, ex itinere longiſſimo copioſus peruenerat: iumenta tredecim, famulos quinq; ſtipendio conductos, pueros duos in ſeruos coëmerat, & ipſe precioſſimũ præ cæteris marmor afferebat, quæ omnia aureis bis mille quingentis æſtimata dicuntur; ſupra hæc viribus integris non ipſe minus quam

Benedict' peruenit in vrbem Sinarũ Soceù

quam ſocius Iſaac vtebatur. In hac vrbe in alios incidit Saracenos è Regia reuerſos, qui & ipſi iam audita de noſtris cōfirmarunt, & alia non ſupra fidē ſolum, ſed etiam ſupra modum hyperbolicè addiderunt, à Sinarum Rege noſtris quotidie argenteum ſtipendium, non pendi, ſed certo menſuræ genere dicebant effundi: ergo mox Pechinum ad P. Matthæum litteras ſcripſit, quibus eum de ſuo aduentu commonebat: has litteras tradidit Sinis quibusdam, verum quoniam Sinenſe noſtrorum nomen ignorabat, & Regionem in quo cōmorabantur, Europæis quoque characteribus eos inſcripſiſſet, qui deferebant, in Noſtros incidere minimè potuerunt: alias addidit anno inſequenti ſub Paſchalem celebritatem, quas detulerat è Saracenis neſcio, quis ex vrbe illa fugitiuus: neque enim ipſi vel egredi vel ingredi iniuſſu Magiſtratuum permittuntur: his litteris itineris ſui rationem & cauſam cōmemorabat, rogabatq; vti modum quærerent Noſtri, quo ſe huius vrbis ergaſtulo eriperent, & Saracenorum conſuetudinē cum ſuauiſſimo Sociorum contubernio permutare, cupere ſe in Indiam nauigatione redire, qua via ſolent Luſitani. Iam dudum ſuperiorum ex India litteris de inſtituta profectione noſtri redditi fuerant certiores: Itaq; quotannis eum expectabant, & ſi quando negotiatorum mentito legationis nomine comitatus in Regiam deueniret; de eo Noſtri inquirebant diligenter, ſed ad eam diem nihil certi fuerat inauditū, ſiue nominis ignoratione: ſiue quod reuera ſuperiorum annorū legatis ignotus eſſet: magnā igitur his litteris Socij Pechinenſes conceperunt voluptatem: hæ in exeuntem annum dimidiato ferè Nouembri redditæ fuerant: actum eſt extemplo de mittendo ad eum è ſocijs vno, qui quolibet modo eum in Regiam adduceret. Verùm id conſilij deinde diſplicuit: ne externus externo plus noceret quam prodeſſet: ergo miſſus eſt ex Alumnis vnus, qui nuper in Societatem cooptatus Tyro-

Benedictus ad P. Matthæum ſcribit litteras

Vnus è Socijs ad Benedictū mittitur in Sinas adducendum.

cinium nondum incæperat, Ioannes Ferdinandus dicebatur, iuuenis inſigni prudentia & virtute: cui huiuſmodi negotiũ tuto committi poſſe videbatur; additus eſt illi Socius earum regionum peritus Neophytus quidam, accepit in mandatis vti Benedictum, ac ſocios in Regiam omni arte adducendos curaret, quod ſi Magiſtratuum excubiæ falli, aut facultas impetrari minimè poſſet, ipſe cum Fratre noſtro remaneret, datiſque litteris denuo ſocios admoneret, non defuturos ex amicorum fauore modos eum adducendi.

Satis importuna videbatur huiuſmodi peregrinatio, quo maximè tempore vis hyemis maxima in ijs regionibus eſſe ſolet, aberat enim fere quatuor menſium itinere ab Regia Pechinenſi oppidum illud, in quo ſubſtiterat Benedictus, & tamen P. Matthæus iudicauit, nihil vltra differendum, ne diuturniori tempore anceps de Noſtrorum ſtatione dubitaret, & opportunum ſanè conſilium fuit: ſi enim dies paucos moram traxiſſet, in viuis Benedictum minimè reperiſſet: additæ ſunt ad eum P. Matthæi litteræ quibus monebatur, qua ratione iter ſuum tuto inſtituere deberet, ad eum etiam reliqui ſocij duo ſcripſere, fuſe de rebus Noſtris in ea Regia cupidum huiuſmodi rerum commonentes.

Benedictus noſter in hac vrbe interim plus aliquantùm à Saracenis patitur, quam in itinere tolerarat, & ob annonæ caritatem, quæ eſt in ea vrbe, marmor ſuum vilius propè dimidiato diſtrahere cogebatur. corraſit igitur aureos mille ſupra ducentos, è quibus magnam partem æs alienum diſſoluit, ex reliqua æris ſumma familiam vniuerſam anno toto ſuſtinuit. Interim negotiatorum comitatus cum ſuo Præfecto peruenit. Hìc in conuiuis excipiendis labente tempore eo anguſtiarum redactus eſt vt mutuato viuere fuerit tandẽ coactus: & quoniam in ſeptuaginta duorum legatorũ numerũ adlectus erat, aliquot marmoris fragmenta comparauit, & libras centum in terra

terra occultauit, ne Saracenorum inſidijs pateret: etenim ſine hoc marmore ab itinere Pechinenſi fuiſſet omnino excluſus.

Ioannes Ferdinandus Pechino exijt eiusdem anni Decembris vndecimo: & ecce tibi nouum in itinere infortunium. E Metropoli Prouinciæ Scianſi, quæ Singhan appellatur, aufugit famulus, & mediam viatici partem ſecum extulit. Inde tamen aliorum duorum menſium itinere in vrbem Soceù magno labore peruenit, anno ſupra ſecularem ſeptimo, Martio exeunte. Reperit Benedictum noſtrum morbo lethali lectulo afflictum, qui ſuperiori nocte, ſomnione an viſo incertum, didicerat, die inſequenti è Noſtris vnum Pechino aduenturum, qua ex cauſa ſocio Armenio dederat in mandatis, vti in forum pergeret, neſcio cuius rei coëmendæ cauſa, quam diſtribueret in egenos, Deum obteſtatus, ne hoc ſomnium ſpem eius eluderet. Armenius in foro neſcio à quo admonitus, Socium Pechino aduenisse, eiq; oſtenſus eſt Ioannes Ferdinandus, qui Armenium ſubſequutus Fratrem noſtrum Benedictum Luſitano ſermone ſalutauit, è quo agnoſcens quod erat, litteras accepit, & eas ſurſum erigens ſolatio plenus ac lachrymis in canticum, Nunc dimittis, erupit; videbatur enim iam ſibi quæ habuerat in mandatis executus, peregrinationem ſuam terminaſſe: litteras deinde legit, & totam eam noctem apud ſe pectori admotas retinuit. Quæ dicta quæſitaq; fuerint facilius erit conijcere, quam ſermone longiore proſequi. ergo Ioannes Ferdinandus ad eum iuuandum applicuit animum, vt tentaret vtrum recuperatis viribus iter aggredi poſſet Pechinenſe, ſed vires vna cum Medico aptisq; pharmacis defecerant, & aliud adhiberi malo remedium non potuit præter cibos Europæo more conditos, quos illi Ferdinandus præparabat, atque ita diebus ab eius aduentu vndecim Benedictus expirauit, non ſine ſuſpicione inſtillati à Saraçenis veneni.

Vnus è Socijs Pechino ad Benedictum proficiſcitur.

Benedict⁹ diē ſuum obit.

Habebant

Habebant illi perpetuos excubitores ad ea rapienda, quæ morienti ſuperfuiſſent; factum eſt hoc ab ijs immaniſſimè, & in hac iactura nullius rei maior cenſus fuit, quam perijſſe itineris diarium, quod minutiſſimè conſcripſerat, huic volumini Saraceni admodum inhiabant. ex eo quod debitorum chirographis in eo ſcriptis multi cogi poterant ad ſoluendum, quod indignè rapuiſſent. Mortuum idem Saraceno ritu ſepeliendum volebant, ſed Ferdinandus importunos Sacerdotes excluſit: & ipſe feretro impoſitum loco nitido, & ad corpus deinde reperiendum accommodato ſepeliuit: Vterque deinde, Armenius inquam cum Ferdinando pia roſarij recitatione, quod rituales libri deeſſent mortuum proſequuntur.

Saraceni Benedictum ſpoliant.

Benedictus ſepelitur.

Benedicti Elogium.

Benedictus Goëſius natione Luſitanus (viſum enim eſt aliquid de eo Elogij loco commemorare) Vir erat ingenio acri, & animi magnitudine præditus, primo in Societatem ingreſſu ad miſſionem Noſtrorum in Mogoris regnũ volens amandatur: in ea expeditione multos años ſtrenue Socios adiuuit, & ipſos etiam Saracenos, Ethnicos, Neophytosq; pro inſtituti ſui ratione promouit: vulgo amabatur ab omnibus, & tametſi Sacerdos non eſſet, æſtimabatur tamen ab animi prudentia cæterisq; dotibus vel paribus vel innatis: hinc etiã Mogoris Regis intimus amicus fuit, & cum legationem Goam ad Proregem adornaret, vna cum legato ſuo Benedictum etiam legati nomine ablegauit. Huic Regi animus erat ad Indiam ſibi ſubijciendã, verum ſua prudentia dici poteſt Benedictus hoc cum potentiſſimo Rege bellum auertiſſe: Paulò ante obitum per litteras Noſtros Pechini admonuit, ne Saracenis fiderent, neque hoc iter tanquam inutile & periculoſum tentarent. Celebre eſt etiam inter nos, quod ad viri ſanctimoniam declarandam ſpectat, tot iam annis peccata confitendo expiare nõ licuit, en morior, inquit, Sine hoc ſolatio, & tamẽ q̃ Dei benignitas eſt, nihil me conſcientia præteritorũ annorũ arguit, q̃ quidẽ alicuius eſſe momenti videatur. Tar-

Tartarea plane conſuetudine inter Negotiatores illos inualuit, vt morientium in itinere Negotiatorum bona inter omnes diuidantur, hac ex cauſa Benedicti Socium Iſaac vinxerunt, mortem minati. niſi Mahometem inclamaſſet. Ferdinandus autem dato libello ad Proregem in vrbe Canceù, ſtatuit Iſaac liberare: Prorex libellum ſubſcripſit, imperans vti Soceù oppidi Gubernator cauſam ex æquo bonoq; iudicaret: & patruum adoleſcēti ſuum cum demortui bonis reſtitueret. Initio Gubernator Ferdinandi fauebat, ſed coniuratione facta Saraceni ferè quadraginta Iudicem largitione corruperũt, effeceruntq;, vti verbera Ferdinando minaretur, & in vinculis etiam triduo detineret: nec tamen ab incepto deſtitit, ſed cum deeſſet ad litem perſequendam ſumptus, veſtes, quibus carere potuit, diſtraxit omnes, & menſes quinque in hoc negotio detentus, ad colloquendum tamen cum Armenio prohibebatur linguæ Perſicæ ingnoratione; neque enim ille Luſitanè vel Latinè loqui poterat: In Tribunal vocati Ferdinandus, Orationem Dominicam recitabat; Iſaac vero Benedicti Goëſij nomen repetebat, & aliquot Luſitana vocabula pronunciabat, quem ſermonem cum nemo intelligeret, arbitrabantur Iudex, eos Cantonienſi ſermone colloqui, ſeſeq; mutuo intelligere: tandem tamen Ferdinandus Perſicè loqui didicit, duorum ferè menſium ſpatio, atque ita cum Armenio colloquendi facultas in poſterum ſuppetebat. Si quando Saraceni obijcerent, oris lineamenta ita diſcrepare, vti ſine dubio hic Saracenus, ille vero Sina eſſe proderetur. Reſpondebat Ferdinandus; parentem ſuam Regni Sinēſis indigenā fuiſſe, & ſe ab ea oris totius ſimilitudinem accepiſſe, nihil tamen æquè Iudicem permouit. quam quod die quadam pro Tribunali dixit Ferdinandus, eum Saracenæ legis inimicum eſſe capitalem, cuius ſi eſſet profeſſor, ſuilla certè abſtineret, & proferens è manica ſuillæ carnis fruſtum, vterque non ſine adſtantium

Iſaac à Saracenis inhumaniſſimè tractatur

Iſaac & Ferdinandus in Tribunal vocātur

Ferdinādus ſe legis Saracenę inimicum profitetur.

tium ritu Saracenorumq; exploſione ſuillam comederũt; qua re viſa ipſi Saraceni in Armenium expuentes, è Tribunali abceſſerant, cauſamq; deſperantem reliquerunt, aſſerentes Armenium illum ab impoſtore Sina deluſum, neque enim Iſaac aut Benedictus toto itinere ſuillam carnem comederant, ne Saracenos comites offenderent: id ſi aliquando fecerant, occulte feciſſe credebantur: his permotus iudex pro Ferdinando ſententiam tulit, & omnia quæ Benedicto ſuperfuerant, reſtitui iuſſit: nihil tamen aliud repertum eſt, prȩter marmoris fragmenta, quæ terræ fuerant commendata, quo vendito debita diſſoluta, & ad iter Pechinenſe viaticum conflatum: nondum tamen ſatis fuit ad im̃odicos tot menſium ſumptus. mutuos igitur aureos viginti ſumpſerunt, & in pignus nonnulla, quæ ſuperfuerant fragmenta reliquerunt. Tandem aliquando ſollicitis iam de re tota Socijs vterque ſuperuenit, & mixtis mœrori gaudijs mortem Benedicti luxerunt, Armenio libertatem gratulati ſunt: eumq; vti vnum è Noſtris exceperunt (monuerat enim Benedictus ſe ab eo toto itinere fideliſſimè adiutum) Pechinum attulit Ferdinandus Crucem inaurata in charta eleganter depictam, quam ſolam inter Saracenos illos Benedictus detulerat, tria etiam trium Regum diplomata Caſcàr, Quotèn, & Cialis, quæ in Pechinenſi domicilio ad memoriam aſſeruantur: Sunt etiam litteræ P. Hieronymi Xauerij patentes, cum alijs eius ad iter mandatis, item Archiepiſcopi Goani Alexij Meneſij, & eiuſdem Hieronymi ad Socios Pechinenſes litteræ, quas dederant, ſatis certi Cataium Pechino non longe diſtare, duo Regna contermina arbitrati.

Sententia pro Ferdinando pronunciatur.

Menſem vnum Armenius Iſaac commoratus Pechini vna cum ſchedulis quibusdam Benedicti & memoriæ fide P. Mattheum de his omnibus monuit, quæ tribus his capitibus narrauimus: deinde ſolito Noſtrorum itinere Amacaum remittitur,

Iſaac Pechinũ peruenit.

titur, vbi exceptus eſt à Noſtris amiciſq; maxima humanitate: inde conſcendit nauim in Indiam rediturus, quæ nauis à pyratis Batauis in freto Sincapurano intercepta, Armenium reculis ſuis ſpoliatum in miſeram redegit ſeruitutem: Verum à Malacenſibus Luſitanis redemptus, iter in Indiam cæptum proſecutus eſt, vbi audita vxoris ſuæ morte, ab vlteriore ad Mogores itinere abſtinuit, & in oppido Indiæ Orientalis Ciaul nomine ſubſtitit, hodieq; cum hæc ſcribuntur, eſt ſuperſtes.

Nanciani grauiſſimus in Noſtros tumultus exoritur.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

ANNO ſupra ſecularem ſexto, & qui proxime ſecutus eſt rei Chriſtianæ progreſſum minimè inhibuit Nanciani, vel P. Soërij morbus magis ac magis ingraueſcens, vel P. Emmanuelis in Sinenſi ſermone infantia. nam hęc omnia ſuppleuit improbus Sociorum labor, adiutus maximè Fratris noſtri Paſchalis induſtria: nam hoc biennio ſupra ducentos antiquũ Neophytorum gregem anxerunt, & vulgo inſignem in pietatis exercitijs ardoré præferebant. Itaq; in ea metropoli Chriſtianæ legis nomen mirum in modum euulgatum eſt. Interim deſperata iam P. Soërij valetudine, viſum eſt eum Amacaum ad aërem permutandum morboque medendum amandare, verum in irritum omnia ceciderunt: Auguſto enim menſe anni eiuſdem mortalem hanc vitam cum alia commutauit, annos natus vnum ſupra quadraginta, è quibus tres ac viginti in Societate vtiliter collocarat. Conimbricæ in Luſitania tyrocinium inijt, eoq; vix dum expleto, Indicam miſſionẽ impetrauit, ac deinde expeditioni Sinenſi deſignatus eſt: annos amplius decem in Nanciana ſede rem Chriſtianam procurauit, magno virtutum Religioſarum exemplo, quo fiebat, vt P. Soerius diẽ claudit mortẽ.

ab omnibus vulgo pro viro ſancto haberetur, multa tulit, fecitq́; annis etiam aliquot, quibus è Societate ſolus in medio Ethnicorum degebat: à vicinis, alijsq́; maleuolis ſæpè domeſticis anguſtijs ad extremam inopiam redactus: eo enim, quod ſubmittebatur, contentus: nunquam queſtus eſt, aut annonã augeri poſtulauit: magnus fuit apud Neophytos doloris ſenſus, quem etiam permulti lugubri veſte aſſumpta ſua ſponte teſtati ſunt.

Domus alia emitur.

Anno ſeptimo ſupra ſeculare Auguſto menſe, alia domus capacior & commodior aureis mille, opera P. Emanuelis, coëmpta eſt, eò quod prior nimis eſſet anguſta, & aquæ eluuionibus pateret. Verum vbi Noſtri ſeſe ad migrandũ accingunt, oritur ſubito grauis in Noſtros tumultus: nam litteratuli aliquot Baccalaurei Legem noſtram euulgari non ſatis æquè ferebant, rem ſcripto libello deferunt ad Pimpitau Gubernatorem, qui vrbanis negotijs omnibus aduigilat: ab eo parum feliciter auditi ſunt. Reſpondit enim: ſi lex illa quam euulgat, vobis minus probatur; nolite amplecti, nondum enim audio illos vim intuliſſe. Si coëmpta domus magna eſt, in eam nihil expendiſtis, neque ipſi lutum vobis veſtrum eripient. Hoc reſponſo inſolentiores facti ad gubernatorem huius metropolis proprium ſeſe cõtulerunt: is iam annos plures Pechini cum P. Matthæo arctam inierat neceſſitudinem, Lù cognomento: acceptum igitur libellum ſepoſuit, nec adduci potuit à Notarijs reſcriptum vrgentibus, vt quicquam reſponderet: ſed neque hanc repulſam tulerunt moderatè. Sub menſis initium præcipui Magiſtratus vna cum Baccalaureis in Philoſophi ſui templum publicè conueniunt, hanc opportunitatẽ nacti, noua luna exhibitis in fano ritibus, non diuinis illis quidem, ſed ciuilibus: ex ijs vnus, cæterorum nomine, maximum, qui aderat, Magiſtratum, Pucinsù vocant, ita compellauit: Monemus externos eſſe in hac Regia Sacerdotes, qui inauditam

Tumultus in Socios oritur grauis.

in hoc

in hoc regno legem proponunt, ac domi ſuæ magnos vulgi cætus cogunt. Ab hoc remiſſi ſunt ad propriū Magiſtratum, qui huius Ludimagiſter eſt, & Tichò appellatur, Iuſſit ille libellum ſcribi, recepitq; ſe effecturum, vti pellerentur. eo ipſo die ſcriptus eſt, & à ſeptem ſupra viginti ſubſcriptus: alterum exemplar Ludi ſui Magiſtro: alterum ſupremo Magiſtratui tradiderunt: huius erat hæc fere ſententia: Matthæum Ricium, Ioannem Soërium, Emmanuelem Diaz, & alios quoſdam homines è Regnis Occiduis externos, & in Regem perduelles, in quinque Prouincias diſtributos, continuum inter ſe cōmercium habere, & per flumina paſſim latrocinari, ad corradendas, quæ in populum effundantur, largitiones. Eoſdem à Magiſtratibus & primaria nobilitate, militumq; Præfectis ſæpè viſitari, cum his fœdus ictum eſſe ad mortem vſque, ab his doceri nullo honore proſequendas maiorum imagines, quæ res in poſteris præceſſorum amorem extinguit, ab alijs idola perfringi, templa iam vacua relinqui, & miſeros Deos nullo patrocinio iuuari. Eos ipſos primum in anguſtis ſedibus habitaſſe, nunc vero alias capaces atque magnificas coëmiſſe, legem ab ijsdem tartaream prædicari, rude vulgus in fraudem induci, in eorum domum perpetuo coire, eamq; legem vrbanos muros egreſſam per pagos, & oppida vicina euagari: hac ex cauſa omnes in his regulis falſis ita detineri, vt neque ſtudioſi litteris incumberent, neq; artifices opus ſuum curarent, neque coloni terram ſubigerent: neq; fæminæ ipſæ domeſtica negotia curarent: Vrbem vniuerſam perturbatam, & cum initio centum huius legis profeſſores duntaxat numerarentur, nunc ad viginti millia excreuiſſe: eos certas imagines diſtribuere, neſcio cuius tartari aut Saraceni, quem dicebant eſſe Deum, qui ad mortales inſtruendos liberandosq; è cælo venerat, ab hoc opes, bonamq; fortunam dumtaxat dari poſſe, quibus promiſſis plebecula pelliciebatur: eos eſſe orbis

De Socijs pellēdis tractatus

Summa libelli contra Socios ſcripti.

contagionem, iuſtumq; eſſe metum, ne tandem extructis templis rebellarent, quod añis ſuperioribus in Fuchiana & Nanchinenſi Prouincijs dicebant accidiſſe: eos igitur commodis publicis Regniq; conſeruatione permotos, ad antiquas leges ſartas tectasq; conſeruandas hunc libellum adornaſſe: poſtulantes totius prouinciæ nomine, vti dato Regi libello hi externi omnes publica morte complecterentur, aut Regni finibus pellerentur in deſertam aliquam maris inſulam relegati. hæc erat libelli ſumma, ſed magna facundia conſcripti, allatis etiam librorum ſuorum teſtimonijs, quod hi litteratuli ſatis norunt ad perſuadendum accommodate texere. Vterque libellum ita ſubſcripſit: Prohibeatur legis Chriſtianæ dilatatio: Externi ſacerdotes vrbe pellantur, ſi ita Gubernatori, cauſa diſcuſſa, videatur, de quo nos oportebit admoneri: quotquot huius Regni negotia ſe noſſe arbitrabantur, nihil plane dubitarunt, quin minimum ex ea metropoli pelli Noſtros oporteret. Itaque amici complures remedium deſperantes ab auxilio ferendo ſibi temperarunt: ſed nihil ea res Socios perturbauit diuinæ prouidentiæ nixos, cuius in alijs periculis præſens numen ſenſerant adfuiſſe. Maximus labor penè fuit in ſtatuendo, quid in re graui primum tentarent: amicis pleriſq; videbatur interceſſorem quærendum, qui largitione delinitus ſententiam Magiſtratuũ fauore ſuo reuocaret. Verum P. Emmanuel libellum quo ſe purgaret adornauit, in cuius epilogo Magiſtratus etiam atque etiam obteſtabatur, vti eam rem accuratè diſcuterent, & deprehenſam culpã ex legum præſcripto plecterent. Libellum hunc Gubernator & ludi etiam Magiſter ſuſceperunt: Supremus vero Magiſtratus poſteaquam diu Noſtros genibus flexis in reorum habitu tenuiſſet, tandem in hæc verba erupit: Quid eſt, inquit, cauſæ, cur Baccalaureorum odio permoti minime vrbe diſceditis? quęnam lex eſt illa, quam euulgatis? quid mali perpetraſtis? quorſum maiores

P. Emmanuel Apologiam adornat.

iores

iores venerandos prohibetis? quorſum imaginem tartari colitis? vnde vobis ſumptus ad illas ædes tanti? aliaq; ſimilia parum vrbanè obiecit. Ad hæc reſpondere, adhibito Fratre noſtro interprete, aggreſſus eſt. Tradidit illi doctrinæ Chriſtianę compendium, oſtendit inter legis Diuinæ præcepta, primum ſecundùm Deum honorem parentibus iniungi: Verum ille nihil nec audire, nec accipere voluit, ſed prętetulit omnia ſe falſa arbitrari. hac repulſa res magis ac magis deſperata videbatur. ergo Noſtri ad orationum, ſacrificiorum, corporisque afflictationum remedia ſeſe acrius retulerunt: Iam Aduerſarij victores triumphabant: iam de ſupellectilis noſtrę diſtributione inter ſe iurgabantur, & ne ſibi deeſſent, nouis libellis & accuſatoribus accenſum ignem acrius inflammabant; Vrbis primores ad vrgendos Magiſtratus incitabant, ex ijs Magiſtratibus inferioribus ad quos noui libelli deferebantur, dixit vnus velut adulandi ſtudio: nihil opus eſt excutere, vera ſit illa lex nec ne: ſufficit illam ab externis euulgari, vt antiquanda iudicetur: ſe quidē ſimile hominū genus exterminaturū fuiſſe, niſi ad ſuperiores magiſtratus libelli perueniſſent. Gubernator igitur, quem amicum eſſe ſatis conſtabat, aduertens pleraq; in accuſatione contenta, apertam inuoluere falſitatem, Ludimagiſtrum admonuit, ſciret nec ne Emmanuelem Socium eſſe Matthæi, quem in Regia maximus quisque colebat, & ærario Regio propter data munera ſuſtineri conſtabat; Socios iam annos duodecim ita Nanciani vixiſſe, vt nulla de ijs querela, quæ vera eſſet, aut contra leges audita ſit: videret etiam atque etiam maturius, quid in hoc negotio ſtatuendum: Ad hæc Ludimagiſter reſpondit; cupere ſe, vti Gubernator ipſe ſingula excuteret, & ad ſe deinde referret. Idem à ſupremo Magiſtratu auditum imperatumq;, & opportune quidem ille ipſe, cum primum P. Matthæus Nancianū venit, Gubernatoris munus adminiſtrabat, & figendæ ea in vrbe ſedis Pro-

Gubernator Sociorum cauſam tuetur.

regis

regis auctoritate fecerat facultatem: deinde per varios honorum gradus ſenſim in hac metropoli peruenerat ad ſummam dignitatem: Publica Noſtrorum repulſa prudenter ab eo facta fuerat, ne perſonæ fauere videretur, ſed deinde, quod ita ſtatuiſſet veritati, nolebat etiam litteratorum poſtulationes omnino reijcere, quorũ etiam olim ludimagiſter fuerat.

Hoc eodem tempore, ex Accuſatoribus nonnulli, iam de victoria certi, per Neophytorum domos Chriſti Seruatoris imagines conquirebant, & duas tréſue ſacrilegè lacerarũt, ideo moniti ſunt à P. Emanuele Neophyti, vti eas tantiſper furentium oculis ſubducerent, nec in prima aula de more aſſeruarent: non negari hac ratione fidem, ſed ſacrilegorũ iniuriam propulſari: ſufficere quod publice ſuas coronas geſtarent, imo neque ad hoc etiam Chriſtianis legibus adſtringi. Excuſſo igitur libello, & libelli apologia, pro Tribunali litteratos ipſos examini ſubiecit, & Noſtrorum patrocinium ſuſcipiens, ipſe ſeipſo calumnias refutauit: ait conſtare ſibi externos illos probos viros eſſe, in ea domo Socios duos, non viginti quod aiebant, numerari. Reſponderunt illi Sinas illos eſſe externorum diſcipulos: tum Gubernator, quid eſt quod ab indigenis noſtris timeamus? neſcitis fortaſſe Matthæum Ricium ab omnib⁹ Pechini coli, regio ſtipendio ali? qua fronte extra Regiam Magiſtratus eos eijcient, qui in regia commorari permittuntur? annis iam duodecim in hac vrbe pacatos commoratos. Præcipiam, inquam, ne magnas illas ædes comparent, ne populus eorum legem ſequatur. Deinde pro tribunali Noſtros humaniſſimè admonuit, quibusdam in vrbe diſplicuiſſe, quod ædes illas coëmiſſent, videri ſibi anguſtiores poſſe ſufficere: de lege minimè prohiberi, vt eam ipſe cum ſuis obſeruet, ſed ne eam indigenis traderet: Noſtri enim inquiebat, improbi ſunt, ac tametſi initio legem veſtram ſequantur, poſtea tamen obtrectabunt: ſimilia dixit complura,

Gubernator pro Noſtris ſententiam dicit.

quæ

quæ omnes in fauore repoſuerunt. deinde cum Collega ſuo colloquens, pro tribunali dixit in hunc modum: Lex quam euulgat, rectæ rationi conſentanea eſt: ipſe quoque vitam legi ſuæ conſentaneam viuit: ſed ideo quod externus eſt, nullo patrocinio tectus, auſi fuerunt illum Baccalaurei accuſare. Supremus quoque Magiſtratus Ludimagiſtrũ monuit, ne quicquam contra Em̃anuelem ſtatueret, iam denique conſtare libellum vniuerſum Baccalaureorum fuiſſe commentum, inuentumq́; ad largitionem emungendam. Nancianam gentem vulgo maleuolam eſſe, permitteret, vt ædes ſuo coëmeret arbitratu: iam enim olim ſe, cum Gubernator eſſet, Matthæo Ricio ædium coëmendarum feciſſe facultatem.

His auditis neſcio qui Regij propinqui, quos decoctis bonis nobilitas fecerat inſolentes, P. Em̃anuelem præſtolabantur, vti è Tribunali exeuntem male mulctarent, ac deinde ad diripiendam domum ſe conferrent: ſed hoc vltimo Gubernatoris reſponſo territi, nihil ſupra minas addiderunt: Ad extremum poſt dies paucos ſcripta eſt pronunciataq́; in hunc fere modum ſententia, Magiſtratus ſummi ac Ludimagiſtri ſigillis quoque munita, & in edicti morem publice pro vrbanis portis propoſita. illius hæc erat ſumma: Se examinata P. Emmanuelis ac Sociorum cauſa comperiſſe, eos Sinenſis Regni fama permotos, ex Occidente aduenisse, iam annos plures in hoc Regno nulla maleuolẽtiæ ſignificatione vixiſſe, poſſe iuxta legis ſuæ ritus viuere, ſed nõ ęquè placere, rudẽ plebeculam rerum nouarum cupiditate cæli Dominum venerari, in externorum diſciplinam tranſire, quod indignum videbatur. Ex Poëtæ etiam auctoritate id videri, ex altis arboribus in obſcuras valles deſcendere: ex ea re malũ aliquod Reipublicæ creari poſſe, niſi omnes publico edicto monerentur, ne ab antiquis ſacrificijs degenerantes in externos ritus tranſirent: hac ratione poſſe in publicam perniciem cætus cogi, ipſi etiam ex-

Edictum Magiſtratus ſummi.

terno nocituros: Se igitur illius Regionis Gubernatorem ſuperiorum Magiſtratuum iuſſu P. Emanuelem monuiſſe, vt à peruertenda plebe, & in externam legem inducenda abſtineret, domus maioris pretium venditor reſtitueret, ipſe aliam minorẽ pro ſtatu ſuo ſibi compararet, vbi quiete quod hactenus fecerat viueret: ad hæc monita obſeruanda Emanuelem cõſenſiſſe, ideo Præfectis Regionis præcipere, vti inquirerent, quinam illius numinis imaginem apud ſe retinerent, eamque eriperent, nec ſinerent indigenarum quenquam in externorum tranſire diſciplinam: neque cætus etiam orationis cauſa permitterent, quod ſi contra feciſſent, omnes ſeueriſſimis pœnis plecterentur, ipſiq; Præfecti, ſi remiſſiores forent, eiuſdem criminis rei haberentur. Addidit ad hæc in ſuo edicto Ludi Magiſter, ne ſineretur rude vulgus eam legem ſuſcipere, & ſupra limen domus Noſtræ inſcriptio legeretur, qua prohiberentur Noſtri frequens habere cum indigenis cõmercium.

Edictum in fauorem ſociorum.

Hac ſententia Noſtri, quod peius metuerent, ſatis alacres fuerunt: habita etiam fuit ab omnibus, in fauorem ſcripta ſententia; & legis Chriſtianæ curſum impeditum perfunctoria viſa eſt prohibitio, ne litterati plane neglecti viderentur; quoniam Noſtri, vt poſtulabant, vrbe minime pellebantur, maxime quod apud Sinas legem mutare non habetur in graui crimine, neque hæc prohibitio grauibus pœnis neglecta puniri ſolet, & ita Neophyti facto ſuo demonſtrant, nam quo prius ardore ſolebant ad ſacrificia coire, Tyrones Chriſtianæ legis adducere, minimè deſtiterunt, imo etiam aliquid ſupra ſolitum addidere, nam ne primis diebus edictum Noſtri neglexiſſe dicerentur, Neophytos in tres intra hebdomadam dies diuiſere, ne Dominico omnes conuenirent, ſed cepærunt illis ipſis diebus non ſecus ac Dominicis connenire, nec impetrari potuit, ne metum aliquem prætuliſſe viderentur: imo cum Pręfecti Regionis aliquos terrere aggreſſi eſſent, largitionis

nis eliciendæ cauſa, intrepide reſpondebant: eſſe ſe Chriſtianos & ſcripto nomen ſuum tradebant, vt ad Magiſtratus deferretur, nec fuit vnquam vllus ex ijs accuſatus.

Quod in cæteris Eccleſiarum perſecutionibus accidere ſolet, id in hac expeditione Chriſtiana, & priuatim in hac ipſa ſede notatum eſt accidiſſe. nam immiſſæ, Deo auctore, ad fidei Chriſtianæ incrementum ſemper ſedato tumultu plus aliquanto, quam pacis tempore perſecutiones attulerunt. Contendebant aduerſarij, Noſtros vrbe pellendos, & ecce firmius noſtrorum ſtatio confirmata eſt. nam primo P. Matthæi ingreſſu, ne ipſius quidem Proregis authoritate facultas domus coëmendæ ſcripto à Gubernatore potuit impetrari. In hoc euentu, tum ipſe Gubernator, tum alij duo ſupremi metropolis Magiſtratus Noſtrorum ſtationem, & domus coëmendæ facultatem publico ſcripto cõceſſerunt: vnde nulli videtur in poſterum futurus animus, vt de ea in dubium reuocanda audeat muſſitare: accedit etiam ad diuinæ gloriæ incrementum notatum à plerisq; , legis diuinæ præcones in Numinis eſſe clientela; & in Magiſtratuum, qui ſunt Numinis Vicarij patrocinio velut vmbra recreari. Intellectum eſt Noſtros, non ita Magiſtratibus ignotos, vt litteratuli coniectabant: neſciebantur vulgo de Magiſtratuum in Regia fauore permulta, nunc etiam pro tribunali cantata ſunt: & ſanè non minimum fuit prouidentiæ Diuinæ indicium, Cantonienſes calumnias in hanc Metropolim nondum penetraſſe. Si enim auditum fuiſſet, P. Cataneum è Socijs vnum rebellionis Amacaenſis caput declaratum, maleuolorum audacia creuiſſet, amicorum decreuiſſet. Iuuit etiam non parum quædam in libello aperte falſa obiecta fuiſſe: hæc enim veris aut veriſimilibus authoritatem ſuam detraxerunt, quod Noſtros dicerent à Magiſtratibus nobilibusq; viſitari, non ſatis cohærebat cum rerum nouarũ machinatione, cum latrocinijs, falſaq; doctrina. P. Matthæum

Perſequutiones ſunt incrementum Eccleſiæ.

thæum & P. Soërium nominarunt, alterum ſciebant Magiſtratus Pechini viuere, alterum pleriq; audierant iam viuere deſiiſſe: hac etiam perſecutione latius legis noſtræ ſanctiſſimæ nomen ſparſum eſt, & Noſtrorum conſilium de ea euulganda omnibus patuit. plurimi deinde rei nouæ cupiditate incenſi ad eam audiendam acceſſerunt, quæ ſi fortaſſe non ab omnibus ſuſcipitur, fere tamen probari ſolet. Neophytorũ porrò feruor indies mirum in modum creuit, & iam in Accuſatores libellus apologeticus Noſtris inſcijs ſcriptus erat: eum P. Emanuel repugnantibus eripuit, ne importuno tempore quicquã inconſulto tentarent: multi inter ſe agebant, quid reſpondendum ſi Magiſtratus fidem eiurare mandarent: nonnulli etiam ſocijs, ſi forte pellerẽtur, ſubſtitui geſtiebant ad rem Chriſtianam vel fouendam vel promouendam. Nunquam in tribunal itabant Noſtri, quin ad ianuam improuiſo Neophytorum circulo cingerentur: ex ijs aliqui, ſi mora trahebatur, cibum potumq; deferebant: Ingreſſum Noſtris facilem à ianitoribus impetrabant, & denique vt verbo dicam, nihil quod ad officium veri Chriſtiani filijq; pertineret, omiſerunt.

Neophytorũ feruor.

Pronunciatam ſententiam ad Noſtros duo treſue Magiſtratuum miniſtri detulerunt. & quoniam de more aliquid nummorum illis erat dandum, in eorum locum poſtularunt imaginem ſibi Chriſti Seruatoris ad eam venerandam dari, tametſi ipſa quam ferebant ſententia grauibus pœnis interpoſitis, imagines huiuſmodi prohiberet. dicebant enim ſe velle fieri Chriſtianos: ſed cum Noſtri dare recuſarent, forte eo ipſo tempore artifex quidã aliquot ſuis ſtrijs exornatas domum afferebat: illi vnam per vim rapuerunt, nec alio expectato munere abierunt: ex ijs vnus intra paucos dies æger baptiſmum petijt, impetrauit, & intra dies quinque expirauit. Summus ille Magiſtratus ad alium in Prouincia Cantonienſi maiorem euectus eſt, abeuntem P. Emmanuel in nauigio viſitauit, &

Imaginẽ Chriſti ſibi nonnulli venerandã dari poſtulant.

munere

munere proſequutus eſt, gratesq; retulit, ob impenſum in ſuperiore cauſa fauorem, inter cætera P. Matthæi de Chriſtiana doctrina volumen dedit, & cum aliquid legiſſet, adſtantibus Magiſtratibus dixit: quam falſò dicuntur hi parentum honorem perhibere, cum in ſuæ legis præceptis contrarium legatur; Iuſſit Noſtros de ſua ſtatione ſecuros, iam Ludi Magiſtrũ de innocentia reſciuiſſe. Gubernatorem in protectorem noſtrum nominaſſe; deinde vt munus repẽderet, aureos aliquot obtulit, quos P. Emanuel reiecit obſtinatè, ſed ille per vim interpreti accipiendos ingeſſit, quos non oportebat pertinacius reijcere. Ex his conſtare arbitror, res noſtras ſedato tumultu in hac metropoli fuiſſe meliores, & id amici agnoſcentes, magna frequentia gratulati ſunt, aſſeruerutq; tantum Magiſtratuum pro externis in Litteratos indigenas fauorem nullo pretio comparari potuiſſe.

Summus Magiſtratus euehitur.

Nanciani exantlato labore geſta.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

PRæcipui libellorum & accuſationis authores, credi vix poteſt, quantã ex repulſa infamiã ſuſtinuerunt, omniũ erant vulgo fabula, digitoq; notabantur inſignes Litteratuli, q; ab homine aduena fuiſſent publicè ſuperati: alij, q; nihil emũxiſſent, alij, q; in ædiũ venditione arbitrati, non fuiſſent euocati. Pudebat eos, & omnẽ affinitatẽ in edicto publico nominari. Ille ipſe Ludilitterarij Magiſter ijs velut calumniatorib⁹ infenſus, prope gradum litterarium eripuit, ergo vti ſe apud omnes purgarent libellum ediderunt, quo huius negotij euentus ſcribebantur, omnes in eo legebantur libelli, Magiſtratuumque reſcripta: eum in vrbis primores ſparſerunt, & in aliquos quoque Magiſtratus, eiusq; ad nos quoque exemplar ſubmiſerũt: titulus erat ac ſcriptio huiusmodi, vt à litterato quopiam cele-

Litteratuli Accuſatores infamia notantur.

Litteratuli ſe libello edito infamiæ notã deiicere conantur.

bri concinnata videretur: eo volumine hanc quoad fieri poterat famæ labem eluebant, in primis probare nitebantur, ſe nullo priuato commodo adductos, ſed Reipublicæ incolumitati ſeruientes, & patrias leges propugnantes aduenas impugnaſſe: commemorabant, quantis calamitatibus iam inde à Sinenſis imperij primordijs aduenarum hominum commercium Rempublicam afflixiſſet: eos patria conſuetudine non niſi recluſos, arcibus & ergaſtulis retineri, non permitti, quo velint inſtar indigenarum vagari; & minus aliquanto vulgi Magiſterium affectare, & vt inuidiam augerent, aſſerebant; Noſtros regni ſui magnitudinem ſupra Sinenſis Imperij amplitudinem euehere, nec inſtar cæterorum externorum ſub eius immenſitate ſubmitti: imitatione enim Regni ſui, quod magni ſplendoris appellant, Noſtros etiam Europam noſtram magnum Occidentem appellare; ex eo quod Sinarum Imperator cæli filius nuncupetur, Deum ſuum cæli Dominum nominant, res ſuas tantum euehentes, quantum à Parente ac Domino filius ſuperatur: Eos etiam annos ab alio neſcio quo, quam à Sinarum Regis inauguratione numerare: Characteres, quibus diſcipulorum ſuorum ædes contra ſpiritus malignos tutantur (auguſta Iesv ac Mariæ nomina notabant) ſimiles omnes eſſe arcui, ſagittis, ſecuribus, & alijs bellicis inſtrumentis, quæ ſine dubio præſagia ſunt malorum: Inde concludebant omnino periculoſum eſſe, gentem huius generis apud ſe liberam retinere: neque vlli iure mirum videri, quod Prouinciam ſuam huiuſmodi peſte purgare laboraſſent: id antiquiores feciſſe ſæpe litteratos, erutaq; ex annalibus hiſtoriarum monumenta referebant: Naſcenti malo occurrendum prius, quam à tempore vires capiat medicinam reſpuendi. In operis epilogo furorem vniuerſum in P. Emanuelem euomebant, Canem, Lupum appellabant, eius ventrem infortunijs calamitatibusq; plenũ pronunciabãt, aliaq; contumelioſa intemperantius addiderunt.

Viſum

Viſum eſt Noſtris ſilentio potius rem ſepelire, quam ſcripta apologia crabrones irritare, Deus enim non multo poſt, duos mali incentores inopina morte vindicauit. Eodem quoque tempore extincti ſunt e tribus litteratorum legis prædicatoribus duo, quorum erat indigna profeſſione ſua ſimulatio; cum Noſtris enim etſi familiariſſime agerẽt, accuſationis tamẽ ignem accendebant. Alij etiam aliquot varijs malis infortunijs, quæ afflicti materiam Ethnicis ipſis dedêre diuinæ manus agnoſcendæ, quæ furoris ſui fulmina in electa calumnioſè capita vibraſſet.

Vindicta diuina.

Cum ampliores ædes Noſtri coëmiſſent, veteres diſtraxerant ea lege, vt ex ijs emigrarent, cum in nouas immigraſſent: verum vt erat è propinquis Regijs nobilitate ſua inſolentior, qui emerat, ante conſtitutum tempus ſupellectilem in ædes Noſtras immiſerat, & de ijs emittendis importune laborabat: quo tempore Noſtris nemo accuſatorum metu deterritus, vel ædes vendere vel elocare volebat. Sub idem tempus ſeptem è Noſtris nouo concurſu aduenerant, & res eo res deuenit, vt Noſtris prope in hoſpitium publicum fuerit emigrandum, ſed tandem ex amicis vnus ædes quas habebat vacuas, anguſtiores illas quidem, ſed pro tempore accõmodas Noſtris eſt mutuatus, recuperato denique non ſine labore ædium, quod iam perſoluerant pretio, aliam conquirebant, quæ non ſatis apta reperiebatur, & Noſtri iam præſentis mali ſenſu litium vbiq; periculum formidabant, ac tandem coëmpta eſt domus vna ſane capax, ſed quia à duobus poſſidebatur, multorum annorum litem illa nobis præbuit.

Difficultas ædium comparandarum [illegible]

Eo ipſo tempore aliæ quorundam factiones de Noſtris impugnandis ciebantur, quarum edicto quodam, Diuini Numinis prouidentia, quamprimum finis eſt impoſitus. Sed neque ille ipſe annus infructuoſus fuit, nam Neophytos cæteris addidit ſexaginta. Eadem in vrbe Senem quendam, qui

ſupremum

Æmuli noſtrorum ſenem quendam in ſuas partes deducere conantur.

ſupremum Colai munus diu geſſerat, opibus & reliquo apparatu celebrem in partes ſuas æmuli noſtri deducere conati ſunt: idq; hac arte tentabant. Celebre illud fanum, de quo ſuperius plura, fortuitis ignibus arſerat, ad reparandas flammarum iniurias electus eſt ſenex ille vel auctor vel adiutor: cuius auctoritate aureos ſupra decies mille corraſa ſtipe compilarũt. Hæc dum corraderentur, Neophyti legis ſuæ ſanctitate ſe ab impio ſumptu excludebant: id etiam feciſſe dicuntur Ethnici nonnulli legis Diuinæ profeſſionem mentientes: inde auctoribus litteratis ad Colaum queſturi ſeſe contulerunt exactores: quibus ille; eleemoſynæ nomine collata ſponte, non per vim corradi debere, nemini ergo moleſtiam faceſſeret. Cum ijdem de P. Emmanuele ſermonem ingeſſiſſent, deque lege noua ſeminari cæpta queſti eſſent, reſpondit: conſtare ſibi legem eſſe ſanctam, eiusq; præconem virum probum: nec Sinicis legibus litteratorum admodum repugnantem; cumq; externum eſſe vrgerent: quid eſt, inquit, quod vobis ab vno externo in hac vrbe timeatis, cum conſtet in vtraque regia tot Saracenorum millia impune commorari, & ad litterarum honorumq; gradus admitti? Cum eo, opera Reguli cuiusdam, amicitiam Noſtri contraxerunt, eumq; ad obitum vſque res Chriſtiana, multosq; alios proceres delectabat.

Sacellum adornatur & aperitur.

Toto hoc tempore Noſtri ab æde ſacra publicè aperienda ſtudio abſtinuerunt, ne Magiſtratuum edicta neglexiſſe dicerentur, placuit etiam explorare, quales vicinos haberemus, interim domus ſacellumq; poſtmodũ reſerandum concinnabatur, aras duas erigi placuit, in ſacellis ſingulis ſingulas, alteram Chriſto Seruatori; Deiparæ alteram dedicarunt: eam deniq; anno ſupra ſecularem nono, magno apparatu Neophytorumq; concurſu, ſed Ethnicorum tamen maiore aperuerunt, ipſo Dominici Natalis die: ornatus Europæo more cõcinnatus, ſua nouitate Sinarum oculis blandiebatur: vtramq;

aram lampades duæ, nocturnis æque ac diurnis horis ſplendent, & oleum à Neophytis certatim ſubminiſtratur, cum nouo ſacello, nouus Neophytorum ardor & inſolens in ſagenam nouorum piſcium conuenientium multitudo, & magno feruore pœnitentiæ ſacramentum frequentabatur: ſi cui vero cæleſtis epuli communio fiebat, is ad Chriſtianę pietatis apicem ſibi videbatur perueniſſe: ad ſacrificium etiam multis non Dominicis ſolum aut feſtiuis diebus, ſed profeſtis etiam quotidiani concurſus erant. Neophytorũ feruor.

Geographicam orbis deſcriptionem à P. Matthæo editam Rex ipſe intra palatium recudi iubet, & Pechinenſis Eccleſia nouis incrementis augetur

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

ANNIS proxime ſuperioribus frequentes Noſtri in Palatium vel euocabantur, vel ſua ſponte ad viſendos Eunuchos itabant, maxime ſi quando, vt dictum eſt aliâs, horaria machina peccaſſet. Cum die quadam eo ſe contuliſſent Pater Matthæus, ac P. Didacus, Collegij Mathematici Rectorem ſatis perturbatum nuncio quodam Regio inuenerunt: Petebat Rex duodecim Geographicæ deſcriptionis exemplaria in ſerico panno excuſa, in ſex tabulis permaximis, quod opus erat P. Matthæi non ita multo ante ab amico Magiſtratu ligotzum editum, iubebatur is à P. Matthæo tabulas poſtulare, quoniam ipſius ibi nomen velut auctoris legerant, id ad regem peruenerat ab Eunuchis ipſis Regi oblatum, quod à Noſtris nuper acceperant, itaq; placuerat, vt vellet in filios cæteroſq; intra palatium propinquos ſingula ſingulis exemplaria diſtribuere, vt ijs palatinas aulas implerent, ſpectarentq; cum voluptate. Hoc opus Noſtri, ne Regi ad eam diem offerrent, deterriti fuerant vano metu, veriti ne fortaſſe non creditam orbis Rex petit Geographicam deſcriptionem.

bis amplitudinem Sinenſis imperij contemptum arbitrarentur, quam ipſi orbem vniuerſum appellabant hactenus, & credebant: verum contra res accidit. Rex enim, quo valet iudicio ac ſolertia, non eſt arbitratus, poſſe Regno ſuo à veritate iniuriam inferri. Dixi ſupra hanc editionis formam bis excuſam fuiſſe, neutrius tamen tabulæ apud nos remanebant: nam alias Ligotzum ſecum extulerat, aliæ Typographorum in nobili illa fluminis eluuione perierant, ea res Mathematicos Regios angebat: ne Rex minimè voti compos factus indignationem in Eunuchos conuerteret, neque ſatis credebant tabulas Noſtris deeſſe, ſed neſcio quo fortaſſe prætextu celari arbitrabantur, donec quatuor Eunuchis domum viſitantibus ipſa, quæ aquis ſuperfuerant tabularum fragmenta monſtrata ſunt: alias tamen oſtenderunt à Li Paulo euulgatas ampliori etiam deſcriptione, nam octo tabulis vniuerſa conſtabat. Sed Regi ſex tabulas petenti octo ingerere formidarunt. ergo Noſtri alias intra breue tempus ſeſe ſculpturos receperunt, eo conſilio vt rei Chriſtianæ ſæpius occaſione quæſita ingererēt mentionem: ea editio tota mēſtruo ſpacio confici poterat. Huius rei ſcripto libello Regem admonuerunt: ſed noſtrorum labori ſumptuiq; pepercit. iuſſit enim, vt intra palatium ad ſuperiorum exemplar, tabulas recentes concinnarent, quod etiam perfectum eſt eo ipſo tempore, quo de hoc ipſo opere varia varij loquebantur: atque in dubium reuocabant ibi conſcripta ſculptaq;, ideo maximè quod contra ſimulacrorū ineptias non pauca legerentur, & Chriſtianæ fidei capita non ſine ſtomacho à quibusdam audirentur: ſperamus aliquando fore, vt vel Rex ipſe, vel è ſucceſſoribus vnus aliquis è ſpectata tabula lectiſq; ad eam commentarijs in cupiditatē veniat de hac ipſa lege inquirendi. hoc ſaltem ſpectaculum interim Sinenſes animos deprimit, dum Regni ſui vaſtitatem Orbis vniuerſi angulum non maximum conſpiciunt.

Inte-

Interim amicus noſter Ligotzum ad Gubernatoris vrbani dignitatem in Prouincia Pechinenſi fuerat poſt humile officium, q̄ geſſerat, reuocatus, & is dum negotia & officij ſui litteras in Regia expedit, à Noſtris auelli non poſſe videbatur, de Chriſtiana lege multa didicit, de rebus Mathematicis multa, ex Euclide maximè, quem nondum Sinicè loquentem audierat ſtupueratq́ꝫ: propè vniuerſos id temporis è ſatellitio ſuo ac familia Chriſtianis ſacris imbui permiſit, hortatusq́ꝫ eſt: ex ijs duo eius propinqui iuuenes litterati Chriſtianã legem ſolito ardentius arripuerunt, id fecerant vel ingenij bonitate diuino lumine colluſtrata, vel viri tanti auctoritate permoti, cuius de lege noſtra continuus erat ſermo, aſſerentis, extra eam nullibi ſalutem reperiri, quam ipſe laudabat magis quam amplectebatur veritatem; Ex ijs vnus Michael appellatus, in idola prius propenſiſſimus fuerat, ab incunabilis enim frequẽti recitatione, & profana ieiunatione, alijsq́ꝫ ſacrilegis ritibꝰ, impia parentum pietate fuerat educatus; hunc ferunt mox in lucem editum in hæc verba prolocutum: Ego ex hac familia non ſum, ſed ex tali quam nominabat profanorum Sacerdotum propinquitate: id Dæmonis opera factum credi poteſt. ſi quidem verum fuiſſe arbitramur, vti puerulus in ea propenſius educaretur. Is iam diu ſtatuerat poſt relictum ex ſe filium in aliquod eiusmodi Cænobitarum ſeſe luſtrum recipere: ſed auditis lectisq́ꝫ legis Diuinæ capitibus, falſam non pertinacia, ſed errore æſtimatam eiurauit vanitatem, & propenſionẽ in odium vertens, in omni ſermone atque ſcriptione eiusmodi nugas confutabat. toto eo tempore quo in Regia licuit commorari, nullum iam dicendi nunc & ſcribendi finem faciebat, ne quæ de Chriſtiana lege audierat in Doctorum abſentia memoria laberentur, maximè ſacros faſtos deſcripſit, feſtaq́ꝫ mobilia, quæ vocamus, didicit Europæo more accuratè inuenire: neque doctrinæ Chriſtianæ compendio Sinicè recitando contentus

Ligotzum ad dignitatem euehitur.

Eius familia legem Chriſtianam ſuſcipit.

Michaelis & Hieronymi propinquorũ Ligotzum conuerſio.

tentus fuit, ſed latine quoque, quantum Sinis licet ex aliquot litterarum defectu recitare aſſueuerat: alias etiam addidit orationum formulas, quæ nondum Sinicè leguntur. ante diſceſſum ipſe cum Socio Hieronymo de peccatis rite confeſſus eſt, inde cum propinquo ſuo ad vrbanum Magiſtratum poſt dierum decem iter peruenerunt: de hoc etiam Michaele frequens erit infra dicendi locus in Annalibus noſtris, qui vna cum hac hiſtoria in lucem eduntur: ad hunc etiam dum Pechino abeſſet viſendum venerat iam vetulus parens ab ipſa tot itinerum ſpatijs prouincia Cechiana: ardenti filij deſiderio commode cecidit ad parentis, vt ſperamus, ſalutem hæc viſitatio: ipſe quipqe ingeſtis de Chriſtiana lege ſermonibus effecit, vt quam annis ſupra quinquaginta fuerat profeſſus, abiuraret idolorum vanitatem, ipſeq; de parente ſuo ſcripſit, eum has ineptias velut attritos calceos abieciſſe, cum deinde in patriam reuertiſſet, vniuerſam propinquitatem ad ſui imitationem permouit.

Michael parẽtem ſuum conuertit.

Nondum abierat è Regia Ligozum, cum incidit res ad rei Chriſtianæ commendationem celebrata. è domeſticis famulis quidam inſcio hero, Chriſtianis ſacris imbuebatur, eo ipſo tempore in morbum incidit, qui fætore ſuo domeſticos auertebat, & iam deſignatus baptiſmo dies aduenerat, cum è Socijs vnus, expurgato lectulo, cubiculum odorifero ſuffitu repleuit, ad odorem occurrere domeſtici, & ſtupuere legis Diuinæ ſupra naturæ honorem, eminere charitatem: id audiuit herus, & ſupra admirationem ſeipſum incuſauit. quod in eo diſcrimine famulum neglexiſſet. vnde multis additus eſt animus ad laudatæ virtutis imitationem, intra triduum baptizatus expirauit, inuocato prope continuo ſanctiſſimæ Trinitatis nomine, ſpemq; fecit æternæ ſalutis intra dies paucos adeptæ. eam rem frequentibus ſermonibus apud amicos herus ipſe celebrabat. hoc domeſticorum ipſius ardore, è ſatellitibus,

Famuli baptiſmum inſcio hero ſuſcipiũt.

ſitibus,aut Curialibus potius eius duo, qui ad eum non diutius pertinebant, quam interim dum in Regia commorabatur, permoti Chriſtianam fidem atripuerunt,& magno deinde rei Chriſtianæ emolumento, quod ſuſceperant, euulgarunt: Andreas dicebatur alter, tenuior aliquanto, qui minori auctoritate rei Chriſtianæ vtilitatem intra domeſticos duntaxat parietes, propagauit; alter Lucas appellatus, copioſus in primis,& vniuerſæ aulæ cognitus, varias, quibus opes corraſerat fraudes vitæ permutatione reſarciuit. Prima illi parentis cura fuit, quem annorum ſeptuaginta,cum naturæ curſu diu in viuis retinere non poſſet, omni ratione curauit, vt pro mortali vita illi procuraret im̄ortalem: hoc illius intentum cunctantem adhuc toto impetu in Eccleſiæ caſtra compulit: erat eius parens audiendi facultate prope deſtitutus. Itaque iure veritus eſt, ne à Noſtris ingeſta minus facile in aures animumque admitteret. ergo ipſe ad ediſcendum domum noſtram veniebat, vt quæ didicerat Parenti,qua verbis qua nutibus, inſinuaret. Vterq; hac induſtria captus eſt, neq; enim iudicauit prudentis eſſe alteri ſalutem ſua neglecta procurare. Verum obſtabant huic eius deliberationi permulta, quibus non ſine peculiari Numinis auxilio ſeipſum expediuit. nam ſupra legitimam, pellicem habebat, quæ vbi ſe prohiberi à ſua conſuetudine intellexiſſet impotentius debachata; Noſtros mille contumelijs affecit: minabatur etiam ſi ſe dimiſiſſet, laqueo ſe ad eius portam perituram: id ſatis frequens eſt in hoc regno eorum, qui impotentius iniuriam ferentes mortem ſibi deſperatione conſciſcunt, eo conſilio vt aduerſarium Magiſtratuum pœnis exponant; ſolent enim pœnas luere, qui mortis cauſa fuiſſe creduntur, prope ac ſi miſeros illos enecaſſent: verum auctoribus Noſtris Diuinoq; Numine pellicis minas amoremque contempſit, paratus etiam quidlibet ſubire; ne ſalutem negligeret, maxime quod inde vulgandum erat, Chriſti legem

Quidam pellicis minis & amoribus contemptis Chriſti legem ſuſcipit.

à ſimilibus nuptijs abhorrere. Verum importuna mulier volens nolens beneficijs fere placata, de vita minimè prodigenda, meliora conſilia ſuſcepit. Præter hanc, etiam puellam pro futura pellice educatam, matri ſuæ virginem reſtituit, & legitimam vxorem ad ſuam fidem amplectendam adduxit. Simulacrorum denique ingens cumulus extructa fornace, flammis abſumptus eſt. In eorum locum ſucceſſit Chriſti Seruatoris effigies non inelegans, quam exturbatis idolis in renouatam aram eleganti ornatu ſuffecerunt. ad eam perpetuo lumine lampas ſplendet in Numinis honorē accenſa. Huius viri permutationem in meliora non ſatis æquanimiter tulere propinqui, quorum minas non ſpreuit ſolum, ſed etiam amicos rationibus vitæq; melioris exemplo permotus pleroſque in ſententiam ac imitationem traxit. Fuerat hic cuiuſdam ſodalitij ad inanes Deos honorandos inſtituti Præfectus: inde ſparſere quidam eum ſubductis è ſodalitio nummis compluribus ab eo defeciſſe, quod cum audiſſet ille, frequenti ſodalitio ſe immiſit, & facti ſui ratione reddita queſtus eſt, ſe immerito furti notatum, velle igitur ab ijs audire, quid maximè ſubduxiſſet, & in quo ſodalitio iniuriam feciſſet vnquam, velle ſe pro quolibet aureo, quem debere probaretur, decem refundere. Nemo fuit ex omnibus, qui ſparſi rumoris inuidiam voluerit ſuſtinere, ſed pacate reſponderunt: cuiq; quam vellet legem eligendam nullo prohibente videri: de nummis non ſolum nihil habere quod repetant, ſed etiam conſtare inter omnes eum liberaliter de ſuo multa olim expendiſſe. his auditis abceſſit; & quotidie deficiens ſodalitio, nihil in poſterum muſſitauit.

Simulacra liquefacta.

Infamiæ nota deletur.

Ad propinquos, ad rem Chriſtianam alliciendos, nouum adhibuit inuentum: dixit velle ſe in familia monumentū relinquere poſteritati legis nouæ à Parentibus ſuis primum, deinde à ſe ſuſceptæ; nam permagnā Chriſti Seruatoris effigiem

Parens monumentum Chriſtianæ fidei filijs relinquit.

depingi

depingi iuſſit,& ad vtrumq; imaginis latus propinquorum effigies, qui Chriſti fidem ſuſcepiſſent nixos genibus vna cum precario ſerto & appenſa è collo reliquiarum theca, cum exigua cruce, qua maxime poſſet naturæ imitatione appinxit: ea res multos incitauit iam certos ſe propinquorum numero excludendos, niſi fidei propinquitate ſanguinis communionem illuſtraſſent. Dici vix poteſt, quam liberaliter eos, qui vinculis tenebantur adiuuerit; litigantes quoties compoſuerit: aliaque pietatis exercitia frequentarit. ſolum dicam de Dei Parentis ſodalitio, quod ipſe adhibitis aliquot ſocijs, primus in Sinenſi Regno inchoauit, anno ſupra ſecularem nono, quo die Virginis natalem celebramus: id tametſi Noſtrorum fuerit inuentum, non debuit tamen Lucas in hoc opere Dux & caput innominatus relinqui: ipſe enim cum de ea conſuetudine apud Europæos inaudiſſet, coactis ſocijs, regulas etiam legesq; ſcripſerat, quas ad P. Matthæum detulit approbandas: fecit ille additis quæ maximè addenda viſa ſunt, è ſodalitij Romani legibus ab annunciata Dei parente nominati: Non vltimum huius inſtituti conſilium fuit, Neophytorum funera ritu Chriſtiano cohoneſtare, & egenis in hoc pietatis genere ſubuenire, id enim apud Sinas religioſiſſimos funerum curatores habetur in pretio. Hi celebrioribus per annum diebus ædis noſtræ ſacræ curant apparatum: prima quaque cuiuslibet lunæ Dominica in Rectoris domo conueniunt, quem ſubito omnibus ſuffragijs primo cætu Lucam appellarunt. Eo è Socijs vnus ſe confert, ſermonem de rebus diuinis habiturus, & difficultatum nodos interrogantibus ſodalibus enodaturus, ſodalitij nomen à Dei Matre mutuauit, & initio ſtatim Neophyti omnino quadraginta conuenerunt, qui quotidianis incrementis Chriſtianam pietatem augent & cumulant. Eo, qui Lucæ baptiſmum ſubſecutus eſt anno, ſupra centum Tyrones Neophytorum numero acceſſerunt, qui magnam

Sodalitium B. Virg in Sinenſi regno inchoatur.

partem

partem Lucæ vel exemplo vel cohortationi debetur, & inſequenti Natalis Dominici celebritate omnino quatuordecim ad ſacrum epulum admiſſi ſunt, quæ parcitas his initijs magnum ſolet eſſe Neophytis ad virtutem incitamentum.

Rei Chriſtianæ apud Nanchinenſes progreſſus.

Capvt Decimvm Septimvm.

IN cæteris res Chriſtiana ſedibus quotidianis, quæ vidimus creſcebat incrementis, id neque Nanchinenſis Eccleſia ſibi defuit, quæ in annos ſingulos non exiguum Tyronum numerum veteranis adiungebat: imo annis prope ſingulis numerus numerum duplo ſuperabat, & qui multiplicabat gentem, magnificabat quoque lætitiam: ſed ne multa ſibi ſimilia ſingulis in ſedibus repetantur, ſufficiet monere, nihil hos Neophytos cæteris inferiores videri: eandem enim finem pari pietatis ardore cohoneſtabant; ſi quæ ſint peculiaria, ea narrabuntur. & quidem è falſo quodam rumore plus formidinis fuit quam mali. anno ſupra ſecularem ſexto Magiſtratus vnum aliquem è plebe perduellionis reum comprehenderũt, & cum eo ſocios fere quindecim ſedecimue, hic conuictus fuit tria perduellium millia in perniciem Magiſtratuum Nanchinenſium coëgiſſe. In hac coniuratione liber deprehenſus dicebatur coniuratorum nominibus adſcriptis, qui publica inter ſe officia diuiſerant, &, quem quisque ad necem deſtinaſſet, eius occupabat dignitatem: ex ijs coniuratis, vt fit in minime ſecreta multitudine, quidam ſua dignitate non ſatis contentus, cæteros ſuſcepit ipſe prodendos. Horũ conſilium fuiſſe conſtitit è conſpirationis volumine, mactatis Magiſtratibus antiquorum Regum palatium inuadere, & in ærarium irruere antiquis aliquot ſæculorũ Theſauris inhiantes, & ſanè

Coniurati in Magiſtratum plectuntur.

niſi

niſi ea res inditio patuiſſet, publicam in vniuerſum Regnum inuehebat calamitatem, coniurati crudeliſſimo mortis genere ex tormenti mora enecti ſunt. in collum tabulas imittunt in circuli formam, eas deinde claudunt, & ſuo pondere in humeros recidunt, hę tabulæ ita ſunt latæ, vt reus ori manum admouere minime poſſit, alenaq; manu indigeat ad veſcendum, coguntur nocturnis diurnisq; horis ſtare, donec defluentibus in crura tibiasq; humoribus caro computreſcit, & columnis deficientibus vniuerſum corporis ædificium ruit. hoc genere mortis periere perduelles, & ex ijs aliqui dies omnino quindecim in eo tormenti genere perdurarunt, ideo quod fortaſſe vt aliquando euenire ſolet largitionibus inducti carnifices nocturnæ aliquid temporis quieti concedant.

Supplicij genus.

Hæc res miniſtris dæmonis occaſionem dedit, rumorem tota vrbe ſpargendi, Noſtros coniurationis huius fuiſſe auctores, ea de cauſa Neophyti vexati, & factum vt eorum numerus decreſceret: ſed hoc tumultu ſedato, duplicatus eſt, diſcuſſa ſuſpicionum nebula, ſerenitatis ſplendor.

Suſpicio vana Noſtros coniurationis fuiſſe auctores.

His annis ſuperioribus, ex quo P. Cataneus valetudinis cauſa petierat Amacaũ, P. Ioannes Roccia ſedi Nanchinenſi præfuerat: is demum anno nono ſupra ſecularem ad Nancianam ſedem adminiſtrandam ex P. Matthæi voluntate diſceſſit: P. Emmanuel enim Præpoſiti Generalis mandato renauigarat Amacaum. Nanchini remanſit P. Alphonſus Vagnonus Pedemontanus, qui iam annos quatuor in ea ſede continuo ſtudio Sinenſe idioma egregiè didicerat: habuit Socium P. Petrum Riberium: nam P. Felicianus Siluius ad curandam è graui morbo valetudinem cæli Nanchinenſis impatiens, in Amacaenſe Collegium mittebatur, is valetudine deinde vtcunque recuperata, ad ſuam redijt ſtationem. ergo ſolitum curſum tenebat fidei euulgatio, Neophytorum numerus creſcebat, Magiſtratuum amicitiæ innouabantur: eam rem pro-

mouit aduentu ſuo Ciù Paulus, qui patrio funere in patria detentus poſt biennium bis venit Amacaum: ridere ſolebat Magiſtrum ſuum quoties eius conſilia narrabat, quibus ei reditũ ad idolorum ſectam perſuadebat. Dici vox poteſt quantum rem Chriſtianam vbique promouerit, Ignatium ante annos aliquot Chriſto adiunctum ad ſtudia pietatis accendit, alijs multis res noſtras ita ingerit, vt prope aliud agens, complures tamen Chriſto adiungat: idem etiam B. P. N. Ignatij pijs exercitationibus eruditus, eum fructum fecit, vt earum vſum in Sinenſes admodum propenſos induxerit. vnde ſperare licet, his commentationibus mirabilia quædam in hoc regno perficienda.

Iterum redijt Ciù Paulus, cum in Regiam Pechinenſem expleto Parentis funere ad intermiſſam redibat dignitatem: appulit ipſa Domini Natalis nocte, & muris excluſus, in ſuburbano fano ſacram noctem triſtis peregit. vix dum illuxerat, cum Noſtros de aduentu ſuo moneri iubet, & ſellam geſtatoriam ad ſe aduehendum conquiri: verum quod longiorẽ traheret moram, veritus ne Miſſę ſacrificio tardior adueniret, ipſe pedibus per medium hyberni temporis lutum magnam itineris partem confecit. huius apud nos moræ conſiliũ erat, vt Magiſtratus omnes, qui ad ſe viſendum veniſſent, Noſtris conciliaret; & ſanè Magiſtratus grauiſſimi ad Chriſti fidem conuerſionem magnopere promouit, de qua paulò infra dicetur. Centenarius ferè ſingulorum annorum concurſus ad Chriſti fidem fuit: & ad Neophytorum pietatem excitandam Pechinenſium imitatione, Deiparę ſodalitium etiam Nanchini erigitur, è qua ſperati fructus collecti ſunt.

Nanchini ſodalitium Deiparæ erigitur.

Itaque interim dum mortales immortalis Dei honorem promouent, ipſe quoq; non raram ſuæ potentiæ ſignificationem prodigiorũ auctoritate prodebat; inter quæ inſigne eſt, quod puellæ contigit, quam dæmon importunus obſeſſor varijs

Dæmon puellam obſidet.

rijs

rijs figuris terrebat, & ad libidinem incitabat, ſæpè negotiatorem, aliâs ſacrificulum, nonnunquam ſenem, iuuenem aliquando ſimulans, ad execranda ſcelera hortabatur: aiebat enim nulla alia re, quam infantili ſanguine placandum: profani in eius auxilium vocabantur Exorciſtæ, ſed ludebat quas minime formidabat deprecationes, ex ara cereos & candelabra ſubducebat, audijt fortaſſe ex eadem vicinia Neophytus quidam, neſcio cuius opificij artifex, is cum Ethnicis colloquens, Diuini numinis vim in cæteros æquè ſpiritus ac homines exponebat: cui ita intulerunt: Quid eſt igitur cur vicinæ puellæ deſinis ſubuenire? habet, inquit ille, certiſſima contra dæmones præſidia, ijs ſi placuerit vti, importunus hoſtis ſine dubio victus abſcedet: ergo ſimul omnes ad puellæ parentem ſe conferunt: rogant, velint necne ab importuno vexatore liberari; quod ſi voluerint, cæli Dominum ſuſcipiant venerandum: annuentibus, ſubmiſſus eſt è Fratribus noſtris vnus qui ad eos Chriſti Seruatoris effigiem & venerandum IESV nomen detulit; ex ara dæmonum ſimulacra extrudũtur, & Chriſtianæ doctrinæ capita ab vniuerſa familia ediſcuntur, ex eo ipſo die, res mira, nunquam in ædes ingredi dæmoni licuit, ſed tamen ex atrio minitabundus inclamabat: verum peracto baptiſmo in perpetuum diſparuit. quæ res multorum ſermonibus celebrata, ſatis ſtuporis incuſſit: quod tanta facilitate diuina vis perfeciſſet, quod nulla rituum Sinenſium efficacia perfici potuiſſet.

Dæmon pellitur.

Hoc eodem anno Chriſto adiunctus eſt vir grauiſſimus, prope in ſupremo huius Regiæ Magiſtratu conſtitutus, & quo maior hactenus nemo in Chriſti gregem cõceſſerat: nam Ciù Paulus dignitate ſuperior eam iam Chriſtianus accepit, gerebat officium, quale apud nos vocari poteſt ſummi Cancellarij: Sinæ vero Tuncinſu vocant: ab eo libelli omnes ad Regem reuidentur, & alia habebat munera: quæ cum è quatuor ſumis

Vir ſupremi Magiſtratus fidem Chriſtianam profitetur.

huius Regiæ Collegis ſtatuebat vnum, Iam ante annos aliquot contraxerat cum Noſtris familiaritatem ille quidem, ſed nullam vnquam ad fidei noſtræ ſanctitatem propenſionem oſtenderat: narrabat potius poſt ſuſcepta Chriſti ſacra, ſe in perlegendo P. Matthæi Catechiſmo nihil reperiſſe quod placeret, id eo maximè quod ineptias quaſdam confutaret, quibus ille perditè addictus erat: notauit in eo P. Alphonſus hoc rerum Diuinarum ſalutisq́; faſtidium, ergo eſcam ei iniecit res Mathematicas, quibus mire delectabatur. non alias patuit euidentius, Deum hæc remedia delegiſſe ad conciliandos ſibi huius Regni magnates. Sphæram igitur ac ſolidum terræ globum ei iuſſit ab artificibus concinnari: aptas addidit ad inſtrumentorum notitiam cõmentationes: his familiaritas inter vtrumque & amor creuit, quem cum ille die quadã grauiſſimis verbis exaggeraret: Reſpondit Noſter: Quæ hactenus ex me didiciſti, quantula ſunt illa, ſi cum fidei noſtræ rebus comparentur: cui nõ ſublimius videbitur cæli Dominum venerari, quam ſydera contemplari? cui non magis neceſſarium de ſtatuenda in cælis ſede, quam de ſpectanda tractare? cupere igitur ſe pro familiaritate tot annorum tantisq́; beneficijs eius ſalutẽ in tuto collocare: poſtulare vnum duntaxat, vt qua contentione Mathematicas arripuerat diſciplinas: ea ipſa legis Noſtræ veritatem exploraret: videretq́; num ea digna ſit, quam Sinenſis Regni primores complecterentur: ac deinde de auditis ſtatueret, prout ipſe ſua prudentia diuina luce colluſtrata conſequeretur. Mouerunt hæc ingenuum hominem dicta cordatè: ergo recepit ſe omnino legẽ Chriſtianam attentius exploraturum, inde cõmendat noſter, vti hac noua voluntatis propenſione denuo de doctrina Chriſtiana volumen legat attentius, addidit illi breues cõmentarios quatuor, quos ipſemet nuper addiderat: De Deo vnum: de anima imortali alterum: de originis culpa tertium: De Deo homine

P. Alphonſus virum in re Chriſtiana erudit.

homine poſtremum. Non defuit ſincerè legentis voluntati lux Diuina, nam veritatem aſſecutus, ſuo quoque exemplo monſtrauit, quod iam vſu longiore comperimus, apud Sinas libros aliquanto facilius perſuadere, quam inſtitutas de lege noſtra diſceptationes.

Iam intellectus cognitæ dederat manus veritati, voluntas etiam nunc paucis laqueis irretita ſeſe expedire laborabat; è laqueis vnus erat Sinarum ineptiſſima cupiditas. nam de vita meliore ſubdubij, quam longiſſimis poſſunt ſpatijs hanc extendere laborant, & hic Noſter nouæ militiæ tyro impoſtores aliquot adhibuerat in Magiſtros, quorum nugis eam fidem adhibuerat, vt etiam de vita protrahenda commentarios edidiſſet; & quoniam has ſpes vitæ longioris ſuperſtitioſis ritibus procurabat, eos non facile vna cum Chriſtiana lege dimittebat. Non minus alio ſcrupulo angebatur. nam in dierum faſtorum nefaſtorumq; electione potius verebatur rerũ ſuarum euentus temere perturbare: Futura etiam ab vaniſſimis coniectatoribus exquirebat, neque facile hanc à puero conſuetudinem dimittebat. Hi difficultatũ nodi aptis reſponſionibus ita enodati ſunt, vt ſuam ipſe damnaret in his credulitatem, & cæcam horreret falſitatem. ergo magno animo à ſe tandem reſecat, quidquid Ethnicam ſuperſtitionẽ redolebat: huius deliberationis conſtantiam in euentis maximè duobus demonſtrauit. Audierat in Regiam veniſſe hominem, qui maiorum cuiuslibet familię veras imagines ſe depingere poſſe iactaret, tametſi mortuorum ante aliquot ſæcula, nulla memoria ſupereſſet, imo nomina etiam abſq; errore, vt fidem priori faceret ediſcebat. Magna igitur tenebatur cupiditate, effigies maiorum, quæ in vrbe quadam Iaponenſium excurſione incendio perierant recuperandi, & parum abfuit, quin ad ſe accerſeret impoſtorem: verum mentem pupugit exortũ dubium, id ſibi per leges Chriſtianas liceret nec ne. Ergo per lit-

Cupiditas vitæ diu producendę

Conſtantiæ exemplum.

teras id ex Noſtro inquirit, qui dilemate ita reſpondit: Hunc hominem vel fallere oportet, vel dæmonis arte vti. prudentem falli minimè oportet, nec dæmonis opera vlla in re vti Chriſtiano licet. Ea res igitur aut inutilis erat, aut illicita. ſatis hoc fuit ad rem prope cæptam extemplo dimittendam. De alio conſtantiæ teſtimonio, poſtea narrabitur. Munere quodam magnifico ad nos cum litteris transmiſſo teſtatū eſſe volebat, ſe in Noſtrorum tranſire diſciplinam. reiectum eſt illud conſilio ſupra cōmemorato, cui accedunt etiam Societatis Noſtræ conſtitutiones, quæ exercitiorum noſtrorum præmium non admittunt. poſtulabat etiam ad ſe mitti Chriſti Seruatoris effigiem poſthac venerandam: eam Noſter Sacerdos ad eum detulit, quam magnifico publicarum veſtium apparatu inſignis excepit: ac deinde ſolemni epulo Doctorem ſuum cohoneſtauit. deinde poſt dies aliquot Chriſti caſtris dato in baptiſmo nomine aggregatus eſt, in eo nomen Ioannis accepit, & profitebatur, ſe incredibili hilaritate perfuſum, vim aquæ ſentire ſalutaris: eo expleto ritu, ſuperius munus auctum aliquot ſericis pannis remiſit beneficium gratulatus: ſed neque tunc admiſſum eſt: quem huiusmodi procedendi modum mire ſuſpexit atq; prædicauit, poſtquàm repulſa ſua dona queſtus, conſilij noſtri rationem approbaſſet.

Baptiſmum ſuſcipit.

Munera reiecta.

Non ita multo poſt decrepita illi Parens occubuit. ergo è Sinenſi conſuetudine publicum munus dimittens, ad triennem luctum domum ſe recepit: & ante diſceſſum inuenit modum, quo ſuperiora munera minime reijcerentur. nam cum de extruenda æde noua ageretur, non minimum argenti pondus ad extructionem inchoandam donauit, quo nomine recipi ſine culpa, reijci non ſine offenſionis periculo poſſe videbatur: proſecutus eſt abeuntem Noſter dimidiati diei itinere eumq; docuit, quem in Parentis curando funere modum è Chriſtianis legibus obſeruaret, eiq; cum commendaret præceptorum

Documenta abeunti tradita.

ceptorum legis Diuinæ cuſtodiam, reſpondit Ioannes: atqui vt videas, quo animo Chriſti legem ſuſceperim, & antiquos errores abdicarim, hic ipſe dies à me ſtudio electus eſt itineri inchoando, quo die per Sinenſes faſtos itinere prohibemur: id feci, vt ægrè dæmoni facerem, qui me tot annos eluſit, atq; ita alter ab altero diſceſſit magno vtrinq; ſolatio perfuſi. Domum cum perueniſſet, per litteras petijt officioſiſſimas, vt quoties commodè fieri poſſet, ad eum è Socijs aliquis mitteretur, qui rei Chriſtianæ myſteria minime nunc occupato per otium ingereret, id vt fieret ſuo tempore procuratum eſt. Huius viri ad Chriſtum conuerſio, & Leonis iam Neophyti exemplum (quem hactenus Ligotzum appellaui) eius paulo poſt ad Chriſtum conuerſionem cum de Pechinenſi ſede agetur, ſuo loco commemorabimus. Hæc, inquam, duo, magnopere Neophytos reliquos recrearunt, & ad imitandos Viros Principes pietatis quoq; Chriſtianæ Duces incitarunt, id maxime viſum eſt ſacra Dominici Natalis nocte, quam ipſe cum Neophytis Leo, nullo ſuæ dignitatis apparatu in ſacris vel ſermonibus vel colloquijs, vel expiandis quoque peccatis fundendiſq; ad Deum precibus, vtiliter ſanè conſumpſit.

In Patriam Doctoris Pauli Vrbe Scianhai nomine vtiliter biennij ſpatio P. Cataneus laborat.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

CVm in Patriam ad Patris funus curandum reuertiſſet Ciu Paulus, triennem moram in familiæ ciuiumq; ſuorum ſalutem, & cõmodum deſignauit: impetrauit igitur à P. Matthæo vnum è Socijs, qui eo ſecum mitteretur, ad eamq; rem P. Cataneus eſt deſignatus, qui Nanchini degebat recens Amacao reuerſus, & cæteris minus occupatus videbatur.

Vrbs Scianhai Nanchinenſis eſt prouinciæ, imo etiã Regionis *Vrbis Scianhai deſcriptio.*

gionis ex infimo vrbiũ genere, quod Haien appellatur: abeſt à Nanchinenſi Regia centũ quadraginta quatuor miliaribus Italicis: habet eleuatum polum gradibus nouem ſupra viginti: non procul abeſt à mari Orientali, è regione regni Coriani, & Inſulis Iaponicis ita vicina eſt, vt malit eſſe remotior. cum enim vento ſecundo horis quatuor & viginti fretum illud nauigetur, patet excurſionibus pyraticis frequentius, vnde magnis præſidijs ora maritima & claſſibus etiam defenditur. à vicinitate maris nomen accepit: Scianhai quippe ſupra mare ſignificat. murorum ambitus duobus milliaribus continetur, ædes tamen ſuburbanæ nihilo ſunt pauciores vrbanis. ergo quadraginta fere familiarum millia numerat (Focos vocare ſolemus) hinc tranſiens lectorem moneo, nihil mirum videri, ſi vrbes nonnullæ incredibili munero habitentur incolarum, cum infimum vrbium vel oppidorũ genus ita frequenter incolatur; ager vniuerſus planus eſt absq; vllo etiam colle, & verius dixeris totum agrum vicinum, vrbem eſſe hortis plenam, quam agrum ſuburbanum, turribus enim villis ac pagis ita continuatus eſt, vt vicies mille focos præter vrbanos ſuburbanosq; contineat, ago ſolum de huins oppidi ditione, in quo conſtat cum ipſa vrbe mortalium trecenta millia numerari. Et ſola hæc ditio Regi pendit annuè centum & quinquaginta aureorum millia, in argenti pondere, & eandẽ ſummam in oriza, quæ trecenta aureorum millia conficit: hinc etiam incredibile videri deſinit, Sinarum Regem tot annuas tributorum myriades numerare, de quibus libro primo. Ager feraciſſimus eſt orizæ maxime & goſſipij, vnde plurimi panni texuntur, & textorum ducenta millia numerari volunt. hinc in Regiam Pechinenſem & alias prouincias panni exportantur. gens eſt natura viuax, & nonnihil inquieta, maxime quæ vrbem incolit; in bonis ingenijs numeratur, & frequentes habet ſcholares atque litteratos, & quod inde ſequitur Magiſtratus,

Vectigal annuu.

Textorũ ducenta millia in ditione Scianhai.

tus, qui adminiſtrata olim Reipublicæ partis opibus priuati fruuntur; quorum ſunt magnifica palatia, ſed vrbanæ plateæ ſunt anguſtiores: Cælum clementiſſimum eſt, vnde fit, vt incolæ diutius aliquanto viuant, quàm alijs in locis: ſexagenarius apud eos nondum inter ſenes computatur: annis octoginta fere aut nonaginta vulgo vitam trahunt, & centenarij quoque non pauci reperiuntur. Homines diuturnæ vitæ.

In hoc oppido natus eſt Doctor Paulus, qui præire voluit priusquam P. Cataneum euocaret, & prima funeris pompa ſeſe expedire. Statuerat ipſe Nanchinum ad Patrem adducendum reuerti, vt ei neceſſariam ad Euangelium euulgandũ pararet auctoritatem, ſed ægritudo propinqui litterati, quem ipſe in eo periculo Chriſto aggregarat: & Baptiſmum perſuaſerat impediuit. mittit igitur Nanchinum extemplo famulorum ſuorum primarium, qui P. Catancum ad ſe adduceret, ſcriptisq; litteris variè ſeſe excuſabat, quod ipſe pro voto ſuo non veniret, in iter etiam ſumptus liberaliter miſit. Interim dum Sacerdos noſter euocatur, Tyroni ſuo minime defuit Paulus, ſed legis noſtræ myſterijs imbuens, Virginis effigiem venerandam dedit, & precatoriorum globulorum penſum, quod ille manu nunquam dimittebat, continuis precibus Deum obteſtans, ne ſine Baptiſmo mori pateretur. Magnus erat ægrotantis de peccatis dolor, cuius vi baptiſmiq; voto ſperari poteſt eum ſalutem conſecutum. neq; enim baptiſmum impetrauit, tametſi nulla fuerit euocati mora, niſi quã itineris longitudo neceſſario trahebat. id enim temporis nondum Noſtri Baptiſmi formam ad neceſſitatis euẽtus in Sinenſe verterant idioma, ſed ſolum latina formula Sinicis characteribus vtcumq; exprimebatur, qua Neophyti pauciſſimi vti ſciebant: ſed huic tandem incommodo occurſum eſt. Votum Baptiſmi.

Nanchino diſceſſit anno ſupra ſæcularem octauo prope exeunte: ad eum excipiendum venit Paulus in ipſum nauigiũ,

P. Cataneus peruenit in oppidum Scianhii.

eumq; domi ſuæ triduo detinuit maxima amoris & beneuolentiæ ſignificatione; dolorem Tyronis ſine baptiſmo mortui abſterſit aliquantū P. Catanei ſermo, quo declarauit baptiſmi votum, ſi contritionis dolor acceſſiſſet, vim habere baptiſmi, hoc enim nondum Paulus audierat. Ergo re accurate diſcuſſa, exequiæ illi ritu Chriſtiano procuratæ ſunt, quod ſacrificuli moleſtius tulerunt, ereptum ſibi tam inſigne in primarij viri funere procurando lucrum. ergo ſtatim initio ſparſerunt, legem noſtram à maioribus colendis poſteros deterrere, ſed ea calumnia ſua facile corruit falſitate: nam è diuinis præceptis contrarium mox honorato Deo legebatur. triduū in Pauli ædibus in aduentu gratulando collocatum eſt. pleriq; vrbis Magiſtratus, ac primores eum per eos dies viſitarunt; intellexit admonente Noſtro Paulus rei Chriſtianæ curſum domus ſuæ hoſpitio prohiberi, ad quod non niſi viri primores & ipſius quoq; Pauli familiares venturi videbantur: ergo eum in amici domo tamdiu commorari iuſſit, donec ipſe accommodatas ædes comparaſſet: ædes hæ ſuburbanæ erant ad animi laxationem inſtructæ, ſed non fuit ibi Sacerdoti noſtro otium; nam tantus concurſus fuit, vt omnino ſolum obrueret: vix illi ad officij Diuini penſum ſacrificiūq;, minus ad corporis neceſſitates tēporis aliquid ſupererat: prope omnia in horas nocturnas neceſſario differebantur: nec laborem fructus fefellit; nam hoc primo concurrentium, ac nouitatis tumultu quinquaginta Chriſto nomen dederunt: & intra biennium numerus creuit ad ducentos, quod nullibi hactenus intra huius temporis primitias vidimus accidiſſe. Vt concurſus auctior eſſet, Paulus ædes intra vrbem coëmit ad vſus Noſtrorum accommodatas, multa ad Diuinum obſequium notatu ſane digna contigere: memor tamen inſtitutæ breuitatis ſeligam illuſtriora. In primis vrbis Gubernator frequenti viſitatione ſermonibus locum dedit, quibus tota vrbe celebrabatur, eum

Viſitantium concurſus.

Fructus è laboribus P. Catanei.

ad

ad Chriſti ſacra adſpirare, quod etſi falſum fuit, promouit tamen rem non parum Chriſtianam, multosq; ad inquirendum de ea incitauit. Sanctæ Crucis effigie mirabilia multa contigerunt. Neophytus in tertianam febrim inciderat vna cum filio ſanctam Crucem à Noſtro petijt, eaque in domum recepta, extemplo vterque conualuit. Cum ipſis etiam Ethnicis mirabilis erat Deus, non ſolum cum ſanctis ſuis: noua nupta à dæmone vexabatur, qui eam ſomno ciboq; prohibebat, & aliena multa loquenti ingerebat: Neophytus eam hortatus eſt, vti Deum venerari, eiusq; fidem ſuſcipere proponeret, annuit illa, & ab ipſo momento, quo ſanctæ Crucis formulam ediſcebat, nec dæmonem vltra vidit, nec in ſomno ciboque capiendo moleſtiam ſumpſit, poſtea baptizatur, & prima è ſuo ſexu Chriſtum agnoſcit. Neophytus quidam ante Baptiſmum idola incenderat, eam iniuriam dæmon vlciſci, Deo permittente, in hunc modum cæpit: quoties orizam coquebat, euaneſcebat illa, & aqua teterrima inſtar atramenti duntaxat remanebat; ad Sacerdotem Noſtrum venit conſilij cauſa, ab eoque crucem accepit domo collocandam, cuius vim non ferens culinæ moleſtator, abſceſſit. E Pauli familia famulus ſubita ægritudine correptus à P. Cataneo viſitur, inſtruitur, baptizatur, & ipſo momento conualeſcere incipit, & intra dies paucos priſtinam recuperat ſanitatem: in huius beneficij memoriam ab hero ſuo impetrauit, vti Sacerdoti Noſtro ædiq; ſacræ famulari permitteretur, quod fecit ille accuratè ſanè & vtiliter. Ethnici permulti à grauiſſimis morbis ad Crucis aſpectum ſola promiſſione, ſe Chriſtianam fidem ſuſcepturos, liberati ſunt, quos inter adoleſcens ab incæpto reſiliens, die quadam domi colubrum reperit, quem cum occidere parat fuga conſulentem minime aſſequitur, nocte inſequenti ſomnium habuit fortuitum ne, an ad ſalutem immiſſum, non facile eſt iudicare: videbatur audire dicentem ſecundo: vis in

Per effigiẽ S. Crucis mirabilia patrata.

Dæmon pellitur.

Morbi curantur.

me credere nec ne? cumq́; ille ſecundo negaſſet: eadem vox ait: ſi credideris, colubrum occidam; ſi nolueris, abſtinebo: ille vero tum ſibi viſus eſt annuiſſe ea res adoleſcentem terruit, & ad bene cæpta perſequenda incitauit.

Eadem clementia vſus eſt Deus in Ethnicũ, cuius filius erat Chriſtianus; quem cum non facile ab Idolorum veneratione auocaret, ſuſcepit Parentis nomine, quoties ipſe ſimulacra venerabatur, Chriſti effigiem adorare: nocte quadam, qua in ægritudinem inciderat, viſus eſt ſibi videre illum ipſum, cuius effigiem filius venerabatur, ex eoque audire, ego te paululum iuuare volo, & mox melius habere cæpit, viribusq́; reſtitutis nihil de beneficio dubitãs, in eius legem & ſacra transiuit. Verum hæc Diuina auxilia claudam vetuli ſimplicis ac pij exemplo. Is globulos precatorios continuo recitando decurrebat, ſæpè Chriſti Seruatoris coronam: aliàs Deiparæ ſertum, quod coronam aut roſarium vocamus, texebat: is narrabat, ſe inter recitandũ continuo eo odore recreari, quem ſacris diebus ædes noſtra redolebat, quocunq́; tandem in loco verſaretur, & apparet boni ſenis pietatẽ hoc incenſo compenſari, cuius oratio dirigebatur, vt incenſum in conſpectu Domini. His maxime prodigijs puſillus grex recreabatur, & ipſi quoq; pietatis ardore pares pro viribus eſſe nitebantur. Inſignis fuit primæ noctis, quæ Dominum naſcentem excepit, prima feſtiuitas, aderant Neophyti omnes, & Doctor Paulus præ cæteris: primum officij matutini penſum à P. Cataneo publicè recitatum eſt: deinde ad ſingulas miſſas ſermonem habuit ſingulis ſacrificijs accommodatum. In his omnibus pietatis exercitijs præibat ipſe Paulus, & pro ſua modeſtia Neophytos ignobiliores ita tractabat, vt ad conſidendum inuitaret, qui alioqui ne oculos quidem in eum conuertere pro dignitatis magnitudine debuiſſent. Parenti eius mortuo, quod Pechini factum fuerat magno apparatu Eccleſiaſticis ritibus

Vis recitationis roſarij.

Celebritas noctis ſacræ.

eſt

eſt parentatum, & tametſi ſolus erat Sacerdos noſter, tamen rei nouitas, rituumq; ſanctitas suppleuit maieſtatem, & Neophytos maxime recreauit, quod viderent Chriſtianos ritus tanto interuallo Ethnicos ſuperare. Iam quatuor Fratres noſtri Tyrociniũ expleuerant: ergo ſocius Patri miſſus eſt Franciſcus Lageus, qui Patris labores, iam diuiſos, effecit leuiores. Verum non ita multo poſt hanc expeditionem Noſtri dimiſerunt: neque enim in tanta operariorum paucitate Noſtri minoribus in oppidis occupantur, & quoniam in Hancianam Metropolim Cechianæ Prouinciȩ expeditio parabatur, triduo ſolum ab hoc oppido diſſitam, viſum eſt è proximo coli poſſe cæptum nouale, & Noſtrorum labores in celeberrimo Regni totius emporio Noſtrorum induſtriam vtilius collocandam. Ergo ipſius Pauli voluntate; qui iam expleto triennio Pechinum redierat, ſedes alia commutatur, imo etiam ipſi Neophyti, ne adeo inſignis expeditio deſereretur, in diſceſſũ Noſtrorum è maiori Dei obſequio conſpirarunt. De hac expeditione nihil hoc volumine cõmemoratur: ea enim poſt P. Matthæi obitum inſtituta eſt, in cuius morte primum Sinenſis hiſtoriæ volumen clauditur: ne tamen poſtea geſtis lector fraudêre, interim dum anni ad ſecundum volumen fluunt, annales biennij ſeparatim damus, è quibus deinde in vnum compilatis hiſtoria contexetur. Hanciana expeditio paratur.

In Sede Xauceana res eo tempore geſtæ narrantur.

CAPVT DECIMVM NONVM.

TAmetſi Magiſtratuum beneuolentia, & Architalaſſi noui, qui de P. Catanei cauſa iudicauerat integritate, res noſtræ in priſtinum ſtatum reuocatȩ videbantur, tamen ex inflicto linguæ vulnere nondum ſatis cicatrix inducta erat, nec in-

duci vnquam potuit, & recens caſus tumultus pæne ſuperiores renouauit: nam cum è domeſticis famulis quidam Xauceo cum litteris mitteretur Amacaum, in reditu cum reſponſis ab excubitoribus deprehenſus eſt: id crimen apud Sinas nihilo minus eſt perduellione, litteras nimirum ad externos extra regnum conſtitutos deſtinare. Seruus igitur cum litteris deprehenſus, ab excubitoribus in omne lucrum intentis ſollicitatus eſt, vt largitione non maxima ſeipſum redimeret. Verum ille neſcio, qua ſpe fretus nihil eduxit è loculis, pertinacia illi nobisq́; carò conſtitit, nam res initio ſatis exigua magnas deniq; turbas concitauit: comprehenſus igitur intra Anſanenſis Oppidi fines: Diſtat oppidum illud, æquali fere ſpatio metropolim inter & Amacaum diei videlicet itinere; ergo ad illius Gubernatorem deducitur, ab eo mittitur in metropolim Gubernatori tradendus, ille eum Architalaſſo ſiſti iuſſit, quod hæc ad externos cauſa pertineret: ibi prima verberatione ſalutatus in vincula remittitur, cauſa ipſius ad Gubernatorem Collegasq́; dimiſſa; vti de eo cauſa cognita ſecundum leges iudicarent. Ab his conquiſiti ſunt interpretes, vti reſcirent litterarum argumentum: aderant eo tempore in ipſa metropoli aliquot Luſitani, qui lectas è Magiſtratuum voluntate litteras adhibitis interpretibus Sinice reddiderunt: ea omnia à librarijs excepta, in vnum compegerunt, & vna cum ipſis authographis in Archiuium vrbis retulerũt: in his nihil fuit Deo ita volente, quod Sinas alioqui ſuſpicaciſſimos offenderat, erant enim domeſtica omnia, & ad Rempublicam Sinenſem parerga, tametſi id publica interpretum ſententia conſtaret, attamen ne hac indulgentia futuris malis aditum aperirent, ipſe, qui litteras tulerat, in publicam Regis ſeruitutem damnatus eſt per vitam vniuerſam, & qui eum miſerat P. Longobardus extra Prouinciam Cantonienſem in Regni interiora relegatur. hæc ſententia, qui à ſuperioribus Magiſtratibus confir-

Crimen perduellionis.

Famulus comprehenditur.

confirmari non poterat, nō eſt effectum ſuum ſortita. de eius euentu ſuo loco tractabitur. Hoc ipſo anno ſupra ſæcularem nono, moritur in hac ſede P. Bartholomæus Tedeſchius, Italus, ex agro Sabino, poſtquam in ea ſede continuus fuiſſet P. Longobardi comes ſupra ſeptennium. Hic cum Romæ apud Noſtros litteris operam daret, maxime recreabatur audiendis legendisq; ijs, quæ ex India in Europam nauigabant, vnde fatebatur ſeſe hac occaſione à Deo in Indicā meſsē euocatū. Societatem igitur noſtram petijt, & impetrauit, nec minore ardore Indicam expeditionem à Superioribus euicit: magnum domi fuit eius ſemper deſiderium. Morbo febrili quo vehementius quolibet anno ſolebat æſtuare fuit extinctus. Cum ſentiret ſe ad metam vitæ perueniſſe: tradidit Socio Sacerdoti ſchedularum faſciculum, in quem retulerat, quicquid ipſe vel ab alijs admonitus, vel conſcientia teſte accuſatus in ſe notaſſet, vt certius omnes animi latebras aperiret. legit quæ tradita erant Socius, magno innocentiæ talis exemplo, ipſe enim ſeipſum prope anathomice inſpexerat: inde ad eius confeſſionem excipiendam euocatur, quam ab eo tempore repetiuit, quo ordinem noſtrum inierat: ſumpto igitur ſacri corporis viatico, eo die vitam clauſit, quem Eccleſia Iacobo Apoſtolo colendo deſignauit, ægritudinis vero nono. Ad mortuum complorandum Neophyti & familiares è ritu Sinenſi conuenere, exequiæ vero Eccleſiaſtico more celebrius inſtitutæ ſunt, quod per eos dies Nanciano Patres Emmanuel & Rodericus repetebant Amacaum; qui in hac ſede tranſitus opportunitatem præſtolabantur. externi quippe non ſatis tuto abſque Magiſtratuum facultate repetunt Amacaum, poſt bimeſtre ſpatium abeuntes, ſecum demortui feretrum ad Sociorum ſepulturam euehebant.

P. Bartholomæ' Tedeſchius moritur.

Et quoniam de duobus his ſocijs ſermo incidit, ad hanc ſedem pertinere videtur periculoſum ſanè iter, ꝙ Amacaum

vſque

vſque tenuerunt; habet enim non mediocrem Diuinæ pro-tectionis ſignificationem. Ibat igitur P. Emanuel è mandato Præpoſiti Generalis in Amacaënſe Collegium, vt ei deinde præficeretur. P. Rodericus grauiſſimis morbis nullũ apud Sinas remedium reperiebat, ad curandam valetudinẽ eo mittebatur. In P. Emanuelis locum ſuffectus eſt P. Longobardus vt Auſtralibus Noſtrorum domicilijs, tribus ſub P. Matthæo præeſſet: abituris viſum eſt tutius tranſituros, ſi feretrum deferrent; nam vel ſuperſtitioſa formidine, vel in vita functos reuerentia Sinæ ad feretra non accedunt: abiere tandẽ Xauceo comite vno è Noſtris fratribus, & intra dies paucos ſecundo flumine Cantonem peruenerunt: tota difficultas eſt in ſcapha permutanda, vt è Metropoli biduo nauigetur Amacaũ. ſubſtitere igitur Noſtri in portu quodã minus frequenti, media quoque ab vrbe Leuca; ne pro externis in frequentia excubitorum dignoſcerentur; Inde Frater noſter exſcendit, & cum Nauarcho quodam demortui feretro Amacaum deuehendo conuenit; cum eodem Collegij Rectorem de aduentu ſuo monuerunt, vti ſtatueret, quo maxime modo in Collegiũ tuti peruenirent, hoc enim vti conſilium caperent, coëgit neceſſitas. neque enim Luſitanos Negotiatores in nundinis, vt arbitrabantur, repererunt: eo peruenit feretrum, & in communem noſtrorum tumulum immiſſum eſt. Interea dies abiere quadraginta, nullusq; qui externos contra leges eueheret ibi Nauarchus repertus: in tanto igitur temporis ſpatio, nihil mirum fuiſſe deprehenſos. Ergo die quadã ante lucem in nauigium Noſtrorum repente irruerũt exploratores inclamantes ſe ſubtractas neſcio quas mulieres inquirere. Noſtri nondum è lectulo aſſurrexerant; id ſaluti fuit, nam in tempore perfrigido inter paños ſeſe inuoluerunt: ſed pedes nonnihil extra veſtem ſtragulam educentes oſtenderunt, nullam ibi iacere mulierem; nam Sinenſes fæminæ omnes pedes ha-

bent

bent prodigioſe breues, & ne creſcant diu noctuque colligatos; cuius cauſam alibi iam legeris. Ea res Noſtros nō parum perturbauit, conſtabat enim iam excubitoribus quibusdam externos eo nauigio contineri; arbitrabātur ergo ſe prætextu mulierum conquiri. Verum hi Magiſtratuum miniſtri re vera fugitiuas mulieres quærebant, quas cum vidiſſent in eo nauigio nullas eſſe, ſine vlteriori diſquiſitione abierunt, illis etiam videtur Dominus oculos occluſiſſe: nam Eccleſiaſticarũ precum breuiaria, libri Europæo more compacti, & alia externæ gentis indicia etiam in nolentes incurrebant.

In hoc igitur euidenti diſcrimine Luſitanũ, qui ex metropoli reuerſus, Amacaũ verſus, in alia fluminis parte in ſuo nauigio cõmorabatur, admonendũ curant, vt niſi ſe perditos velit, qualibet ratione ſubueniat: Is ad Socios interpretem ſuum miſit, qui eos in ſuum nauigium, non ſine proprio diſcrimine adduceret, eam enim debemus laudem animumq; gratũ Luſitanis: quam plurima ab ijs adiri ſæpè Chriſtianæ rei cauſa pericula. Egreſſi ergo ſuo nauigio Fratrem noſtrum Xauceum inde extemplo remittunt, veriti, ne ſi ad ſe conquirendos aliqui veniſſent, Frater noſter omne diſcrimen ſubiret. Luſitani Nauarchus viſos agnitosq; è vultu Socios adduci non potuit, vt in nauigium reciperet, tametſi argento nauigium oppleuiſſent: itaq; coacti in ripam exſcenderunt, ibi arborum vmbris illuſtrem noctem fallentes ſeſe occultabant: ſed cum neque ita ſatis tuti eſſent, Sociorum alter in arborem euaſit, alter in ſpineto delituit: atque ita totam noctem inſomnè peregerunt, & eſt in ſimili diſcrimine metus malo peior. Mira fuit diuinæ prouidentiæ demonſtratio, noluiſſe Nauarchum ſocios intra Nauigium recipere, vix enim è conſpectu abierāt: cum ad Luſitani nauigium excubitorum celox adremigat exploratura, ſi quid mercium, quas efferre leges vetant, fortaſſe reperirent, quæ ſi Noſtros in eo nauigio reperiſſet, actum erat de re vniuerſa.

Luſitanorũ erga Noſtros affectus.

Socij à Nauarcho excluduntur.

Hhhh Non

Non defuit in hoc diſcrimine Socios Negotiator Luſitanus; quem Noſtrorum diſcrimen vti proprium acerrime angebat. Nauarchus qui Noſtros excluſerat, ab Luſitano miſſus erat, vt ædes aliquas reperiret, in quibus Socij laterent, donec nauigij copia daretur Amacaum nauigaturis, abierat ille quidem, ſed non redibat, itaq; non temere formidabatur, ne ad eos deferẽdos aliquem adijſſet Magiſtratum. Eam noctem partim oratione, partim euadendi induſtrijs delineandis trans egerunt, & iam certum erat ad ipſos adire magiſtratus, ſi fortaſſe aurora nullum melius conſilium adduxiſſet, nam tutius erat vincula præuenire, quam ab ijs præueniri, interim diluculum imminebat, & creſcebant anguſtiæ, hinc enim patiendi deſideria cũ expeditionis Chriſtianæ periculo decertabat, primã lucẽ, vbi nihil in humanis præſidijs ſpei ſupererat, Sub ecce tibi ſcapha piſcatoria cum vniuerſa, vt ſolet familia ad ripam in qua noſtri latebant appellit, cum eo Negotiatoris interpres conuenerat, vti Noſtros vel in priſtinũ nauigium reduceret, vel ſi iam abijſſe comperiretur, deueheret Amacaum. Abierunt igitur ad nauigij locum, & Fratrem noſtrum abijſſe nunciatur, ergo diſceditur non ſine periculo & incommodis, nam exigua erat ſcapha, & claſſis excubitorum fallenda ſupererat. nam interdiu, ſi quod nauigium conſpexiſſet, piſcari aggrediebatur, vbi diſparuerat, nocturnis horis maximè remos vrgebat; hac ratione nauigantes in deſertam inſulam deuenerunt, in qua ſtatuerat piſcator totum eum diem commorari, & nocturno ſilentio iter proſequi: Inuitat igitur Noſtros fidus piſcator, vti animum nonnihil laxaturi in Inſulam exſcenderent, & ſanè ſuperiorum dierum fatigatio hoc ſolatiolo indigebat. Obambulabat è Socijs vnus, & nonnihil ab ripa in interiorem Inſulam penetrarat, cum ecce tibi in cadauer incidit hominis crudeliſſimè mactati, nam caput in duas partes diuiſum diſſilierat ingenti, vt credibile eſt, ſaxo, quod

Creſcit metus.

Incidunt in cadauer hominis cæſi.

ad latus viſebatur; id maleficij iudicatum eſt à latronibus eſſe perfectum, vnde collegerunt eum locum non vacare periculo, ſed in ripa conſiſtentibus nemo ſuperuenit. Inde ſub noctem nauigatur Amacaum, eoq; peruentum die Diuæ Vrſulæ ſodalibus ſacro, ſub horam matutinam. Eo die Batauorũ pyratarum nauis in conſpectu erat: ea ripas omnes ſpectatoribus excubijsq; oppleuerat, ergo piſcator concurſu deterritus verebatur, ne à quopiam forte Sinenſi notaretur, deferreturq; ad ipſos in Metropoli Magiſtratus, quod è Regno externos euexiſſet: atque ita Noſtros expoſuit prius aliquanto, quam in vrbem peruenirent: vnde itinere terreſtri in collem vrbi vicinum euaſerunt, in quo eſt pium Deiparæ ſacellum, quæ ea ex parte ſeſe videndã præbens, vnde oneraria in Iaponiã ſoluit, Dux itineris appellatur, per hanc enim onerariã vniuerſæ fortuna nauigat Ciuitatis: ibi Virgini Duci gratijs actis, quod eius ſecundum Deum præſidio, è tot periculis in locum tutum deueniſſent, miſerunt ad Collegij Rectorem, qui eum de ſuo aduentu admoneret: nam in habitu Sinenſi venerant, nec eos decebat per vniuerſam vrbem, maximè in Sinarũ conſpectu ad Collegium penetrare, ac tametſi bellico tumultu ciuitas minimè munita trepidaret, quod ferebatur pyraticam claſſem inter vicinas inſulas deliteſcere; non defuit tamen domi gratulantium ſociorum beneuolentia, quæ præteritorum laborum memoriam vel extingueret, vel à tutis non ſine grata recordatione commemorarentur, & ſimiles anguſtiæ frequentes ab ijs tolerantur, qui ſeſe ſacris inter Ethnicos excurſionibus, & in hac priuatim expeditione conſecrarunt: Verum laborum animoſa cupiditas generoſos pugiles ex Europa educit, qui ad delitias & cæteras, quæ à mortalibus tanto ſtudio expetuntur inæquali ſtudio nauigarent.

Amacaum perueniunt.

Deiparæ aguntur gratiæ.

De felici P. Matthæi Ricij obitu.

Capvt Vigesimvm.

DEgebat P. Matthæus Ricius in vrbe regia Pequinenſi, ea hominum de ſe opinione concepta, quam Dominus ad Euangelij promulgationem ei conciliarat, quæ tanta fuit tamque admirabilis apud gentem alioqui ſagaciſſimam, & quæ externos omnes in barbaris reponebat, vt eam nō ſolum ſperare nemo, ſed ne optare quidem auſus fuiſſet, intra paucos illos annos, ex quo vrbem Regiam attigerat, vna prope eaq; continua occupatio eum cum hoſpitibus, qui ex omni parte ventitabant, detinebat, quibus ex more quem violari eſt nefas, cum viſitationis officium rependebat, hanc occupationem grauius etiam duplicabat. Ad hæc ad eum ex vniuerſo Sinarum orbe ignoti iuxta & cogniti ſcriptitabant, multa de ſanctiſſima lege noſtra, multa de vana idolorū & ſacrificulorū ſecta; multa de reliquis, quæ ſcriptis voluminib⁹ ſparſerat ſciſcitantes: quibus cum reſponderet, næ maximum onus ſubibat. Litteraria quippe apud Sinas ſcripto ſupra modum ſolet eſſe accurata, quam ſcriptionem niſi etiam rebus accuratiorem redderet, multum de fidei noſtræ, deq; rerum quas tractabat opinione detraxiſſet. Præterea cum vniuerſæ præeſſet Miſſioni, Sociorum litteris reſpondere cogebatur, quos cum ille amaret tenerrimè, faciebat hoc ſedulo & prolixè. Nec ideo quod in tot eſſet negotia diſtractus, à familiari Neophytorum tenuium collocutione vnquā abſtinuit, quos ille ſemper animaduerſus eſt in ſummis negotijs eo vultu excepiſſe, quo maximum aliquem ex ijs à quibus interuiſi ſolebat optimatem. Imo iam hoc erat ei ſolemne, Neophytum à quo viſebatur, quo tenuior eſſet, eo diuturniore ab eo colloquio detineri. His omnibus ſi addideris librorum quos edebat ſcribendorum laborem, Noſtris prælegendi aſſiduitatem, quam ipſe

P Matthæi Ricij occupationes.

P Matthæi Ricij erga Neophytos amor

ipſe ad extremum vſque ſpiritum inter infinita negotia nunquam intermiſit, vere dicas homini ad neceſſariam quietem vix tantillum temporis ſuffeciſſe. Sed nimirum ita ingenioſus erat in tempore diſpenſando, vt ad exercitia ſpiritualia non ſolum ſufficeret, ſed etiam redundaret, neq; enim ille ſtatis temporibus contentus, ſemper inueniebat, quod neceſſarijs alioqui occupationibus ſuffuraretur. Hæc omnia attonitos in eum rapiebant ſocios, dubios, quid primum mirarentur, an infatigabilem eius animum an corpus, nam ab illo nullus non labor aſſumebatur, ab hoc nullus recuſabatur. Tempus rebus ſpiritualibus tributum.

Hæc quæ dixi perpetua illi erant, ſed in hunc ipſum annū alia multa prę̨ter ordinē inciderunt, á quibus obrui, fatigari autem nunquam potuerit: nam ſub hoc tempus ſtati, ad Regem viſendum Magiſtratuum ex omni Sinarum Imperio concurſus, ad quinque millia fiebant. Hoc eodem anno Sinicus ille Doctoratus, qui ſolum in aula cōfertur, ſuos item concurſus habebat, nam tametſi non amplius trecenti ex omni numero ſeligantur, tamen ſupra quinque Litteratorum millia in competitorum examen admittuntur. Vnde fiebat vt hic eorum aduentus ad Pequinenſem Regiam ſummè Patris labores auxerit, eo´q; hic concurſus incōmodior accidit, quod in ſacri temporis ieiunium inciderit, vam vt erat vir Religioſiſſimus ieiuniorum Eccleſiaſticorum obſeruator, adduci ab ſocijs nunquam potuit vt ad intermiſſam ſemel refectionem ſe referret, aut horum mutaret, aut ſibi ipſe vel tantulum indulgeret Accidebat etiam ſacræ ædis extructio, cuius maxima laborum pars, Doctore Leone ægrotante, de quo ſupra egimus, illi incumbebat non ſine moleſtia. Itaque cum die quadam ab hoſpitum viſitatione feſſus domum repetijſſet in lectulum ſe abiecit: initio arbitrati ſunt ſocij, ſolitam illius eſſe hemicranij ægritudinem, quam cum ea vexabatur aliquantula vnius diei quiete depellebat. Verum interrogatus, aſſeruit alia

Concurſus ad Regem viſendum.

P. Matthæus in morbum incidit.

alia eſſe omnia, ægritudinem è ſummo labore ac fatigatione ortam eſſe lethalem, quare non ſolum nihil eſt turbatus: ſed non ita multo poſt interrogatus ab vno è Socijs, quî haberet, ait ſe ea ipſa hora coarctari è duobus, nec ſatis ſcire quid optaret, an æterna illa, quæ imminebant præmia, an diuturniores in hac expeditione Chriſtiana labores. Inciderat eius ægritudo in tertium diem Maij, quo die Doctor Leo Neophytus, qui è morbo nonnihil indies recreabatur, medicũ, quo vtebatur, ad eum miſit, cuius cum pharmaca iam dies aliquot nihil prodeſſent, Socij ſex tota vrbe celeberrimos conuocarunt, à quibus cum in eandem Sententiam non iretur, relicta ſunt tria pharmacorum genera, dubijs Socijs quod è tribus eligerent. coram crucifixo ſtatuerunt (frequentiſſimus tunc erat Neophytorum viſitantium concurſus) nixiq; genibus rogarunt, vt ab eo docerentur, quam ægro vellet eſſe ſalutarem; qua in oratione mirum erat, quo ſenſu nonnulli Dominũ rogarent, vt ſibi quos annos vellet adimeret ad communis Parentis vitam prorogandam. Denique è pharmacis vnum illi, ſed nullo fructu datum, quæ res mœrorem omnibus, vni ægro ſolatium adferre videbatur, velut nunc aſſecuto ſe ad laborum metam deueniſſe. Itaq; rara ſemper fuit in eo hilaritas, & quæ Sociorum ac Neophytorum non parum mœrorem leniebat. Sexto ægritudinis die, de vniuerſa propè vita confeſſus, Socium qui audierat tanta ſpiritus alacritate perfudit, nullam vt aliam in vniuerſa vita maiorem ſe ſenſiſſe prædicaret, tanta fuerat Patris innocentia Spirituſq; ſuauitate delibutus. Die inſequenti matutinis horis ad ſacrum viaticum ſumendum ſe comparauit: ac tametſi eum vehemens ægritudo ita afflixerat, vt lecto dimoueri non ſine periculo poſſe videretur, vbi tamen audijt adeſſe Dominum ac Seruatorem ſuum, vires collegit, ac ſolus nullius adminiculo lectulo egreſſus, in genua prouolutus omnium in ſe animas copioſa lachrymarum profuſione coniecit.

Pharmaca coram crucifixo ſtatuuntur.

P. Matthæus Sacramentis munitur.

eo ipſo die pomeridianis horis vi morbi delirauit; ſed hæc ipſa deliria ex abundãtia cordis (vt ita loquar) egreſſa, facile prodebant, quid animo ſecum ipſe tractaret: Nam totum vnum diem ac noctem ſæpè de Neophytis, de templo, de Sinarum ad fidem atque adeo ipſius Regis conuerſione colloquebatur. Cum die inſequẽti in ſe plane rediјſſet, inungi voluit, ipſéque integris etiamnũ ſenſibus omnia aduertebat, Eccleſiaſticiſq; orationibus per ſe ipſe rẽſpondebat. Inde quatuor qui aderant Socij ab eo velut à morituro Parente bene ſibi precari poſtularunt, quibus ille annuens priuatas etiam ſingulis addidit ad virtutem cohortationes. Et quidem alteri è Fratribus dixit, ſe illi apud Dominum mortem in Societate IESV impetraturum, ideo quod nihil tum occurreret melius atq; iucundius, quam quod ipſe eo ipſo tempore ſentiebat. Quæſiuit vnus è Patribus, aduerteret tunc ſatis, quo in loco ſocios ſua ope tantopere, indigentes relinqueret. Relinquo vos, ait ille, in oſtio ad magna merita patefacto, ſed non ſine multis vel periculis vel laboribus. Rogauit alius, vti ediceret ea potiſſimum hora, qua ratione amorem illum ſuum poſſent remunerari: Reſpondit, ea beneuolentia, quam venturis ex Europa Patribus ſemper oſtendetis, & quidem non vulgarem, ſed eum amorem toties à vobis duplicari ita decet, vt quem ibi in vniuerſis inueniunt, hic in ſingulis inueniant. Quo animorum zelo arderet facilè oſtendit, quod intermortuis prope vocibus ab eo eſt auditum; ego P. Petrum Cottonum, qui apud Regem Galliæ degit, in Domino plurimum amo, ad eum tametſi ignotum, pro eo quod Dei gloriam promouit, hoc anno ſcribere & gratulari ſtatueram, eumq; priuatim de noſtræ miſſionis ſtatu reddere certiorem, nunc peto à vobis, vt quoniam mihi hoc omnino præſtare non licebit, vti me apud eum excuſetis. Quod ſi non eſt factum ab eo, cui rem eam Pater commendauit, hoc eius dicto hîc narrato, ſupremam Parentis noſtri pro exple-

Sacro oleo inungitur.

Documenta.

expleta haberi cupimus, voluntatem. In eum ferè modum ſuauiſſimè, modo cum Noſtris modo cum Neophytis collocutus, ad vndecimam Maij diem peruenit, qua die ſub veſperũ in medio lectuli conſidens, animam ſine vllo motu aut corporis contorſione Deo reddidit, & oculos velut ſopori permittens, per ſe ipſe claudens, in Domino ſuauiſſimè obdormiuit.

P. Matthæus Ricius animam Deo reddit.

Luctus Neophytorum.

Hîc Neophytos, qui morienti magno numero aderant, à luctu & lachrymis cohibere neceſſe fuit, nam verendum erat ne immoderatior luctus de noſtræ fidei veritate, deque Patris gloria nonnihil detrahere videretur. Ergo ij ab inerte luctu in laudem verſi, heroicas Patris virtutes pro ſe quiſque prædicabant: Eum virum ſanctum, Sinarumq; Apoſtolum compellantes: Inde importunis precibus extorſere ab altero è Fratribus, qui pingendi artem vtcumque callebat, vt viri effigiem ad commune ſolatium exprimeret. Solent Sinæ vita functorum cadauera ligneis arcis includere, Eas arcas ex incorruptibilibus, quoad licet, tabulis compaginant, ea in re nulli ſumptui parcentes, quem ſumptum neque noſtra tenuitas, neque religioſa parſimonia patiebatur. Sed tamen noluit Dominus ſeruum ſuum, quem ornandum non in cælo ſolum, ſed in terra quoque tantopere, vt videbimus anno inſequente, volebat, hac etiam celebritate funeris priuari. Vbi enim audiuit Doctor Leo extremus Patris partus, optimum parentem ſibi ereptum, miſit (nondum enim per ægritudinem ipſe poterat) domum noſtram conſolatores, qui nunciarent de feretro, ne quidquam noſtri laborarent, hoc ſe omnino ei curaturum, à quo paucis ante diebus bis vitam accepiſſet, neque vererentur, ſi qua eſſet mora, ne Patris cadauer grauem de ſe redderet odorem; in talis viri cadauere ſolitas naturæ leges non ſeruari. Et quidem ita prorſus accidit, nam biduo toto & amplius in ſummo æſtu inſepultum vultu ſemper viuido, oriſq; totius colore viuo ſimilior quam functo, vitam

Feretro includitur.

qua

qua iam beatior viuebat præferebat: Cadauer itaq; arcæ incluſum in ædem ſacram delatum eſt, ibiq; funebri miſſæ, defunctorumq; officio optimo Parenti ab Socijs ac Neophytis Eccleſiaſtico ritu parentatum. Inde feretrum Sinenſi ex more in aulam domeſticam delatum, & aræ impoſitum, amicorum viſitationi expoſitum eſt. Nefas eſt enim Sinis quenquam intra vrbium muros terræ mandare, atque ideo interim, dum ſuburbanum agrum coëmunt, aut funus parant, cadauera arcis ligneis includunt, & arcas ipſas ſuo illo pellucido bitumine ita illinunt, vt in annos plures cadauera nullum grauem odorem ſpirantia poſſint aſſeruari. P. Matthæo parentatur.

Sanè annis ſuperioribus mortis memor, deque ſepulchro ſolicitus agrum coëmerat ſuburbanum, ſed neſcio quomodo factum eſt, vt interim cum pretium appenditur, orta controuerſia venditor reſilierit. tum Pater ad Socios conuerſus ait: Nihil admodum refert, nam breui alium eumque meliorem ſepulturæ locum poſſidebimus, quibus verbis, viſus eſt id quod poſtea contigit, præſenſiſſe; nam ei ſepultura ab Rege ac reliquis ſocijs eſt attributa. Nec hoc ſolum, ſed illud ipſum obitus tempus viſus eſt prænouiſſe. Nam illis ipſis menſibus hiſtoriam à R. P. N. Claudio Aquauiua Præpoſito Generali illi impoſitam, de vniuerſa re Chriſtiana apud Sinas ad ea vſque tempora perduxit, litteras omnes exuſſit, ſcripta ſua compoſuit, & duabus ſchedulis altera rem domeſticam, altera vniuerſam miſſionem concinnauit. Ea porro ſchedula, quæ de vniuerſa miſſione agebat, ita inſcripta erat: P. Nicolao Longobardo Sinicæ miſſionis Superiori; & infra, Matthæi Ricij quondam eiuſdem miſſionis ſuperioris. Porro hæc ægritudinis tempore perfici minime potuerunt, nam Socios monuit, vti ſcriniolum ſuum poſtquam diem clauſiſſet aperirent, eamque ſchedulam reſerarent, quæ ad eos attinebat, alteram ad Patrem Nicolaum Longobardum deſtinarent. Vbi auditum Mortem præſenſit.

eſt ab amicis Magiſtratibus, Patrem obijſſe, maximi ad eum de more complorandum virorum grauiſſimorum facti ſunt concurſus, ſuumq; his vocibus animi dolorem, teſtati ſunt. O virum ſanctum! ô virum verè ſanctum, eæq; nō fictis lachrymis interruptæ. Non ſe tenuit intra vrbem luctus, nam reliquis in ſedibus ab Socijs, ab Neophytis, ab amicis, bono Patri iuſta ſunt perſoluta. Nanquinenſes ſeſe Neophyti ſupra cæteros extulere, nam Pequinum ad Patris tumulum funebria dona ſubmiſere, & inſignem de illius laudibus panegyricum: cuius æmulatione ſtimulati Pequinenſes alteram adiunxerunt, quæ vtraq; ad vtrumq; aræ latus appenſa à Viſitatoribus amicis magna comprobatione legebatur. Cum initio huius operis P. Matthæi Ricij vitam inſpiciendam dederim, funus eiusdem eo ſermone claudam, quo cum ipſe, extremum prope diem clauſit. Nam ſæpè paucis ante obitum menſibus Socijs audientibus repetebat, Cogitanti mihi ſæpius Patres mei, qua potiſſimum ratione rem apud Sinas Chriſtianam liceret promouere, nihil efficacius occurrit mihi, quam ſi ego diem obiero, cumq; Socij reclamarent, atq; dicerent ad eam ipſam rem vitam eius adhuc in multos annos neceſſariam videri: ipſe contra inſtare, & multis id rationibus cōfirmare nitebatur. Et ſane ſi quæ eius obitum conſecuta ſunt cum prioribus temporibus conferamus, rem ipſam attigiſſe dicendus eſt. Neque adeo mirum eſt plus eum perfeciſſe ex eo loco, in quo & plus ipſe velit, & plus etiam poſſit.

P. Matthæo Ricio ab Rege ſepultura, Noſtris ædes ſacra & profana deſignatur.

Capvt Vigesimvm primvm.

Devs optimus Maximus, qui ſanctos P. Matthæi Ricij labores ſuo ſemper fauore fuerat proſecutus, noluit eorū

fructum

fructum vitæ terminis claudi, ſed vt alteri Sampſoni conceſſit, vt plus omnino moriens quam viuens perficeret. Id ita contigit: Expletis Eccleſiaſtico ritu exequijs, cadauer arcæ ligneæ incluſum ex more Sinico aſſeruabatur in æde noſtra, dum aliquis ad id terræ mandandum, ager ſuburbanus (nam intra muros Sinis eſt nefas) compararetur: quæ res non parum angebat Socios, vel Rei familiaris anguſtijs deterritos, vel rei nouitate ſuſpenſos, nondũ enim è noſtra Societate quiſquam ad eam diem extra Amacaenſis Collegij fines humatus erat. procuratum enim, vt vel in eo Collegio morerentur, vel eò mortui ad communem Sociorum ſepulturam deferrentur. Id in re præſenti nec poterat, nec vt poſſet, decebat, quin potius ideo nobis Diuina bonitas communem parentem eripuerat, vt eius morte magnum aliquid imperatumq; perficeret. Quo die iuſta ei perſoluta ſunt, vnus è Neophytis (qui frequentes adfuerant) vir grauis ac litteratus, idemq; aulicorum negotiorum peritus, dum ædes ſuas repetit, cogitare cœpit, impetrari fortaſſe ab Rege poſſe humando Patri locum ſepulturæ, quæ res præterquam quod Patri erat futura perhonorifica, fidem noſtram Patrumque in hoc Regno ſtationem erat confirmatura. Viſa eſt ei res non indigna, quæ ad Socios referretur. Redit igitur, conſilia ſua exponit, facileq; perſuadet, vt explorent, quem tanta res exitum ſortiri poſſet. Itaq; cum eo, quem dixi Neophyto libellum Regi offerendum delineant, eum deinde limandum concinnandumq; Leoni Neophyto (quem P. Matthæus Ricius nuper ante obitum ſacris aquis eluerat) Magiſtratui grauiſſimo & Sinenſis eloquentiæ laude celebri tradunt, qui & hoc perfecit, & Patrum conſilium non probauit ſolum, ſed direxit; & quamdiu præſens in aula adfuit, non parum promouit. Inde libellus ille familiaribus quibusdam viris Principibus oſtenſus eſt eo cõſilio, vt eorum ſententiam Noſtri audirent, nec temere quicqam aggrederentur,

Cadauer P. Matthæi Ricij domi aſſeruatur.

Noſtri libellũ Regi offerunt pro loco ſepulturæ.

rentur, & vt ſuo tempore, quod ijs auctoribus tentabatur, ijsdem fautoribus procederet: Libellum vno omnes ore comprobarunt, & auxilia ſua obtulerunt, quod eo magis mirum videri debet, quod res temeraria videri poterat: nam externo ad hanc diem nemini ſepultura ab Rege fuerat deſignata, & quibus indigenis deſignatur, eam illi licet potentiſſimi, & meritis & ſupra merita lagitionibus vix aſſequuntur. Is autem libellus in hanc fere ſententiam latine quoad fieri poteſt redditus ita ſcriptus erat. Iacobus Pantoja (is enim externa curabat, Pater Sebaſtianus Redus domeſticis præerat) regnorũ magni Occidentis cliens, libellum offero ſupplicem in gratiam alterius quoque externi regni clientis iam vita functi. Suppliciter ab inſigni tua clementia locum ſepulturæ peto, vt regia tua beneficia ſeſe ad omnes extendant, ipſoſq; remotiſſimarum regionum aduenas complectantur. Ego Iacobus Pantoja ſum aduena è Regno remotiſſimo, verum permotus virtute ac fama nobiliſſimi tui Regni triennio maris fluctus tranaui, ſupra ſexies mille leucas decurrens, non ſine continuis laboribus ac periculis. Anno deniq; octauo & vigeſimo Vanlie (nomen eſt Regis à cuius inauguratione Sinæ ſuos annos numerant) duodecima luna Ego vna cum Matthæo Ricio aliiſq; ſocijs in vniuerſum quinque ad aulam tuam peruenimus, Et nonnulla terræ noſtræ munuſcula obtulimus, ex eoq; tempore regium ſtipendium in alimenta recepimus, quod nobis fuit beneficium ſingulare. Internus animi noſtri ſenſus vix ipſo corde capitur, nec ipſa ſanguinis noſtri profuſione par illi reddere poſſumus. Anno nono & vigeſimo Vanlie, Luna prima libellum M. T. obtulimus, vt aliquem nobis viuendi locũ deſignaret, quò tua regia clementia ac benignitas in aduenas eluceret; annos plures voluntatem tuam præſtolamur, nec vnquam nobis defuit, licet nullis noſtris meritis regius cõmeatus. Deniq; triceſimo & octauo anno Vanlie, tertię lunæ die 18. Matthæu

Litterarum prototypon.

Matthæus Ricius iam ſenex ex ægritudine diem ſuum obijt: Ego alterius Regni cliens pupillus remanſi, ac ſatis dignus, cuius omnes miſereantur condoleantq; meis laboribus. Iter enim ad Patriam repetendam longiſſimum eſt, nautici homines ſuis nauibus vehere cadauera reformidant, ideoq; mihi omnino non licet feretrum eius accipere, vnaq; cum illo patriam repetere: perpendens quoque quod iam annos plures in vmbra Maieſtatis tuæ moramur, arbitror quod annumerati poſſumus inter clientes ac populum, qui regium tuum currum ſequitur, vt tua velut Yao clementia (fuit is Rex Sinarum olim, qui ab omnibus Sanctus habitus eſt) non ſolo Sinarum Regno claudatur, ſed ad extera quoque ſeſe regna protendat, cum viui regio fruamur commeatu, confidimus fore, vt etiam à te mortui terræ gleba tegamur: Idq; eo magis, quod Socius meus Matthæus Ricius, ex quo magnum hoc regnum attigit, ſedulo dedit operam, didicitq; litteras veſtras ſeſeq; ijs virtutibus exercuit, quas veſtri libri docent, idemq; magna animi munditie externaq; corporis compoſitione die noctuq; ſacros odores in ara cæli Domini accendebat, eumq; rogabat pro M. T. incolumitate, vt hac ratione minimam horum beneficiornm partem adæquaret: eius porro purum fidelemq; animum ſummus in aula tua & infimus quisque cognoſcebat (neque enim audeo quod non eſt comminiſci) ideo enim omnes diſcendi cupidum appellabant, loquendi modus eſt apud Sinas ac ſi virum probum appelles) itaq; libros plures edidit, & in regnis transmarinis celebris ſapientiæ laude habebatur. Ex quo etiam hoc tuum regnum attigit, ab Magiſtratibus colebatur. Ego Iacobus Pantoja & reliqui Socij Clientes ſumus externi regni, qui fieri poteſt vt audeamus ſperare plus quam deceat noſtram paruitatem. Triſtitia nobis magna eſt, quod mortuo Socio noſtro ne puſillum quidem terræ poſſideamus ad eum humandum: ideoque cum multis lachrymis petimus,

vt hanc nobis inſignem præſtes humanitatem, & agrum no-bis aliquem, aut partem alicuius fani aſſignes humando cadaueri hominis è regionibus remotiſſimis aduenæ; & nos qui ſuperſtites ſumus, ego Iacobus Pantoja cum reliquis & viui & morientes ſimiles erimus, & ſedulo vſitatum Socij noſtri inſtitutum obſeruabimus, cæli Dominum venerantes ab eo petemus Parenti tuæ ac tibi millenos vitæ annos, vt quoniam tanto noſtro ſolatio fruimur pace & quiete magni tui regni, velut tenuiſſimæ formicæ hanc gratiam rependamus. Impetrato hoc tam inſigni beneficio maximo, grati animi præſtādi pondere prememur. Præſtolamur regium tuum mandatum. Libellus in hunc modum ſe habebat: in quo vertendo ſi ſtilum Sinicum ſecutus ſum quam proximè, conſulto feci, ratus ita fore gratiorem; facile enim intelligent omnes ſuum cuique idiomati proprium nitorem ac lepôrem ineſſe.

Sed priusquam vlterius in re narranda pergam, nonnulla ſunt neceſſario breuiter præmittenda, ſine quibus non facile, quæ ſum narraturus, intelligentur. Ac in primis ingeſſerit fortaſſe dubitationem aliquam, quod in libello dicebatur, Patres permotos regni Sinici famâ huc nauigaſſe, cum Euangelij promulgandi cauſa id factum ſit: Sed omnino ſciendum eſt, aduenas regno Sinico omnes excludi, præter tria eorum genera, quæ legibus permittuntur. Primi ſunt, qui è vicinis regnis annuum Regum ſuorum vectigal ſua ſponte adferunt, neq; enim id admodum Sinæ laborant, nulla Imperij propagandi cupiditate flagrantes. Alij etſi vectigales eſſe nolunt, tamen huius regni magnitudine permoti, Regem Sinarum velut Regum caput veneraturi adueniunt: quanquā hi lucri fere cauſa aduentantes ab ſuis ſe Regibus miſſos mentiuntur; tales ſunt qui ab occaſu adueniunt Negotiatores Saraceni, in quorum comitatu vnus ante annos aliquot Frater Noſter è Mogorum regno Cataium luſtraturus, Sinarum regnū petijt. Tertij ſunt

Qui Regno Sinico nō excludantur.

ij,

ij, qui huius Regni fama permoti ad virtutis, vt ipſi arbitrantur Sinę, odorem accurrunt, perpetuam in eo ſedem figere cupientes: ex ijs olim fuere permulti, ſed nunc fortaſſe non ita benè olet, vt ipſi arbitrantur. Ex hoc vltimo genere gerere nos oportet, ne legibus excludamur, ideo quod Superiores alij ad ſua proculdubio regna remittuntur, habiti pecorum potius quam legatorum loco, ideo quod nondum nouit Sinicum Imperium Regem vllum, qui cum amicitiæ iura velit habere communia. Hic vero titulus etſi aſcititius eſt, retinet nos in hoc regno, & ſocios imposterum non excludit, neq; tamen opinandum eſt, nos hic Euangelij promulgandi voluntate aduentus noſtri cauſam celare. nemo enim eſt, qui nobiſcum agit, qui hoc neſciat, ſed eo quem dixi prætextu ſeſe Magiſtratus amici tuentur, ad nos in hoc Regno per leges retinendos.

Modus regnũ Sinicum administrandi eſt Monarchicus.

Alterum, quod pręmittendum duxi, eſt modus hoc regnum adminiſtrandi. Is eſt plane monarchicus, vt omnia ab Rege ipſo ſtatui neceſſe ſit. Id fit per libellos, quos cum Rex non admittit, ſeponi iubet; quos admittit, ad ſummos Regni Magiſtratus bis remittit, vt videant, quid fieri deceat, quod ad Regem denuo redit approbandũ, qui vix à Magiſtratuum ſententia vnquam recedit. Sed hæc ex ipſa narrationis ſerie clarius patebunt. ſcriptus erat hic libellus cum ſuis ſigillis, forma, imo ipſo charactere peculiaribus: multi enim ad hanc rem ritus inuiolabiliter obſeruantur. Prius hi libelli quam ad Regem admittantur, recognoſci eos neceſſe eſt, approbarique à quodam grauiſſimo Magiſtratu, qui eos aut transmittit, aut retinet pro arbitratu, præter eos, qui ab Syndicis Regijs profi eiſcuntur: ij enim quoties volunt, abſq; vllius approbatione Regi libellos ſuos mandant. Veritus itaque Pater, ne hoc in limine obex obijceretur, qui rem omnino diſturbaret, effecit auctoritate Syndicorum Præſidis, de quo ſupra memini, apud libellorum Cancellarium, vt libellum noſtrum admitteret,

Libelli Regi offerendi a quibus prius recognoſci oporteat.

quem

quem eo quo accepit die, ac prope momento ad Regem trãſmiſit. Moris eſt, vt libelli omnes qui Regi offeruntur, ſæpius ab eo qui offert, exſcribantur eo conſilio, vt ſingula exemplaria ad eos Magiſtratus deferantur, ad quos id quod petitur ex officio ſpectare poteſt. Id Pater præſtitit, libellumq́; primo detulit ad duos, qui hoc tempore maximo Colai Magiſtratu funguntur. Alter eorum è Fuquiana prouincia oriundus, priusquam ad hunc Sinicæ dignitatis apicem contingeret, Nanquini cum gereret magiſtratum, Noſtris familiariter vtebatur, Pequini quoque cum in hoc eſſet Magiſtratu conſtitutus, domi ſuæ P. Matthæum Ricium bis familiariter exceperat. Is cum hunc libellum inſpexiſſet, magno ſenſu viſus eſt excipere Patris obitum, eumq́; ſæpius perhonorificis nominibus compellauit; ſed quod ad præſens negotium pertinebat, reſpondit: tantum virum plus etiam aliquanto mereri, quam quod petebatur, cum etiam templo, in quo ei ſtatua erigeretur, dignus eſſet (quod fieri ſolet in hoc regno publice bene meritis) verum nullam eſſe talem apud Sinas vel legem vel exemplum, quo nixus talem ſepulturæ locum homo externus impetrare poſſet, cogitaturum ſe tamen attentius, ecquis modus eam rem procliuem faceret. Hæc omnia renunciari Patri iuſſit per vnum è Magiſtratib⁹ ſibi ſubditis, ipſe cauſatus ægritudinem, viſendum ſe non dedit. Id autem ſtudio fecit, quod fauere vellet. Eſt enim in hac aula poſitum in more, vt quo quis impenſius alteri patrocinari cupit, eo ſtudioſius eius colloquia conſuetudinemq́; deuitet, ad tollendam omnem largitionum ſuſpicionem. His perſolutis officijs, domi res impenſe Deo commendabatur, dum Regia voluntas, quod tertio fere die fit, innoteſceret. Ad Regem cum perueniſſet libellus, effecit ſine dubio is, qui Regum corda manu tenet, vt permotus forte Rex memoria noſtrorum quondã munerum & horologij portatilis conſpectu, quod ab eius conſpectu nunquam

quam recedit, ſeſe ad annuendum inclinaret. Itaq; libellum noſtrum cum alijs ad Colaum, quem dixi, miſit, vt ex more reſponderet; fecit ille, negotium remittens ad tribunal, cuius erat de ea re iudicare. Exijt igitur die tertia libellus cum hac approbatione, redditusq; eſt ei Magiſtratui, qui ad Regem transmiſerat, cuius eſt etiam ſententiam ferre, ad quem quælibet cauſa pertineat Magiſtratum. Reſpublica quippe Sinenſis vniuerſa ſex tribunalibus continetur; videlicet Magiſtratuum, rituum, quæſturæ, operum publicorum, rei militaris, ac denique criminum puniendorum. Is ſententiam tulit, eam cauſam quod munus eſſet regium, ad tribunal quæſturæ, pertinere, quo etiam libellum mox transmiſit, vti reſponderet. Non arriſit hoc admodum Patribus, quod in eo tribunali nullus eſſet admodum familiaris Magiſtratus, à quo fauorem ſibi poſſent polliceri. Pater eam rem retulit ad amicum illum Sindicorum Prȩſidem, qui operam ſuam obtulit ad eum libellum à Quæſturæ tribunali, ad rituum tribunal, in quo plurimi noſtris impenſe fauebant, auocandum. nam ad illud quoque, cui externi omnes ſubditi ſunt, iure poterat pertinere: nec minus fecit, quam promiſerat, quare præter auxilia diuina, humanam quoque opem ſpes fuit non defuturam: in eum finem contulit ſe Pater ad duos, quibus hoc negotium à Tribunalis Præſide nominatim fuerat demandatum, ad eos detulit tenue librorum, quos noſtri iam Sinicè fecerant munuſculum, ſimul cum orbis terrarum Coſmographica deſcriptione: Vterq; tametſi noſtris non erat notus, & poſtulata noſtra comprobarũt, & opem ſuam quam liberaliſſimè obtulerunt, eorumq; alter cum viſitationis officium de more rependeret, recepit ſe reſponſum ex animi noſtri ſententiæ Regi redditurum, idque non ſolum ex propenſa in nos animi ſui voluntate, ſed quod ea res impenſe ab ipſo Colao propinquo ſuo ſibi eſſet cōmendata: quæ verba Noſtros non parum de rei fælici ſucceſſu ſecuros

Reſpublica Sinenſis continetur tribunalibus.

Ad rituum tribunal libellus defertur.

curos reddiderunt. Leo quoque Neophytus noſter ad rituum Tribunalis ſummum Præſidem ſe contulit, is vir erat grauiſſimus vel officij maieſtate, vel litterarum fama vitæq; integritate venerabilis. Cum eo is velut cum Magiſtro quondam ſuo multis egit de re noſtra, ad quam ille opem ſuam, quoniam nunc in eo res tota vertebatur, & promiſit liberaliter, & exoluit poſtea cumulatè. Interim dum Patres hoc rituum tribunalis reſponſum taciti præſtolantur, non defuit vnus aliquis ex eodem tribunali, qui perſuadere conaretur, ſufficere ſi Noſtris pars aliqua Cœnobij profanorum cœnobitarum aſſignaretur, in qua vna cum illis Noſtri morarentur. Hoc ipſum ex itinere, dum ad munus ſuum gerendũ ex aula recedit Doctor Leo Patribus ſcripto renunciat: Idem addit ad eum illum, qui hæc ſpargebat, litteras, quibus rogabat vti noſtris in hoc negotio fauere ne grauaretur, nec vero in animum ſibi induceret, poſſe noſtros aliquid cum profanis illis idolorum miniſtris habere cõmune, quorum educatio, vita, lex, eruditio tantopere ab eorundem inſtitutis diſcreparet. Perculit ea res Noſtros, quod ſatis per ſe procliuis videretur, quæ ſi contingeret, non erat noſtris inſtitutis perincõmoda ſolum futura, ſed etiã ſanctiſſimæ legi noſtræ minus honorifica. Verum paulo poſt reſcitum eſt, eum inanem fuiſſe metum, alia omnia multum ex animi noſtri ſententia comparari. quo audito Noſtri non parum reſpirarunt. Id ſecundũ reſponſum intra menſem ad Regem redijt, quod pro Sinenſium negotiorum cunctatione properum inprimis videri poteſt, quod reſponſum Tribunalis rituum nomine ita ſcribebatur. Initio ex more libellum ſuperiorem ad verbum repetebat, deinde ita proſequebatur. M. T. mandauit, vt de hac re illud Tribunal ad quod pertinet iudicaret: cum itaq; ad me perueniſſet regni noſtri leges conſtitutionesq; euolui, vnam reperi in hanc ſententiam: ſi aliquis ex ijs aduenis, qui ad hoc regnum ſolent ventitare, in

Reſponſum tribunalis rituũ.

itinere

itinere moriatur: Si cliens eſt (nam ipſi quoq; Reges aliquando venere) & nondum ad aulam noſtram peruenerat, Quæſtor noſter in ea Prouincia, in qua diem ſuum obire contigerit, ei locum ſepulturæ deſignabit; & ad eam lapidem eriget, in eoq; ſculpet, quis is erat, qui vita functus eſt, & quorſum venerat. Alia quoque lex ait: Porro ſi mori contigerit, poſtquam aulam attigerat, ſi non regia fuerat munificentia ex more donatus, vrbis Regiæ Gubernator illi ad feretrum ſumptum ſuppeditabit; porro ſi iam fuerat regia munificentia ex more donatus, ſuo ſibi ſumptu comparabit. Nunc vero tametſi Matthæus Ricius cliens non erat ab ſuo Rege huc legatus, è remotiſſimis nihilominus partibus huc aduenit, permotus huius regni fama etiam annos plures regio fruebatur cõmeatu, nunc vero vrgenti ætati conceſſit: Iter ad eius regnũ remotiſſimum, ideoque eius feretrum in patriam reuehi minime poteſt: quid igitur cadauer in ſumma humo expoſitum commiſeratione dignum non erit? quod ſi dignum eſt, an non quoque iuſtum eſt, vt ego me Iacobi Pantoja poſtulatis accõmodem, & aliquã allatis legibus interpretationem inueniam? vt denique ei detur ager, quem ad ſepulturam poſtulat, vt hac ratione noua veteribus M. T. beneficijs beneficia cumulentur. Quando hic in manus meas libellus venit, vidi planeq; perſpexi inſignem virtutis tuæ regiminiſq; tui famam ad ſe pellicere regna, terraſq; remotiſſimas, ex ijſq; viros qui nunquam ſuperioribus ſæculis ad hæc regna peruenerunt, nunc vero permoti allectiq; bonis regni tui moribus ac legibus, huc adueniunt pro vt nobis exemplo Matthæi Ricij Sociorumq; eius conſtat, qui iter immenſum emenſi ad aulam deniq; tuam peruenerunt M. T. dona obtulerunt, tuaq; beneficia iam plures annos receperunt, idem quoq; Matthæ9 Ricius ſedulus in diſcendo fuit ſenſimq; proficiẽs multa aſſecutus eſt, libroſq; celebres edidit, ac deniq; vita functus eſt, cadaueris externi è regionibus re-

motiſſimis quis non miſereatur? Nunc eius Socius Iacobus Pantoja in eius ſepulturam agri particulam petit; cuius licet cauſa non eadem ſit cum legatis ſuorum regum, tamen cum ita diu vixerit in vmbra T.M. vt ſe iam pro noſtro populari haberi velit, eidemq; viuo ac Socijs ſtipendium in alimenta largitus ſis, eius mortui cadauer in ſumma terræ ſuperficie iacere quis ſinat? Præterea Iacobus Pantoja cum reliquis ſocijs cupit vitam ac mortem ſibi inuicem reſpondere, vt inſignis tua clementia mortuos non ſecus ac viuos complectatur. Ideo me cum prioribus eius poſtulatis conformando peto, vt Tua Maieſtas iubeat ex hoc tribunali ad Gubernatorem huius vrbis Regiæ mandatum mitti vt fanum aliquod deſertum abſq; incolis conquirat, ac ſimul agri partem ad Matthæi Ricij ſepulturam, & ad Iacobi Pantojæ ac Sociorum habitationẽ vti ſuo arbitratu ſuam legem obſeruent, cæli Dominum venerantes eumq; pro T.M. deprecantes: hæc eſt res digna tua magnitudine, arida ipſa ligna (id eſt cadauera) complecti beneficijs & aduenas è longinquo benigne humaneq; tractare, quod valebit etiam ad eos magis magiſq; extimulandos, vt fama tui regni in perpetuũ propagetur. Cenſeo iuſtum eſſe eius annuere poſtulatis: verum nihil auctoritate propria ſtatuere audeo. Ideoq; M.T. certiorem reddo, vt id ſtatuat, quod è re ſua magis eſſe iudicarit. Anno Vanlie octauo ac trigeſimo, quartæ Lunę tertio ſupra vigeſimum. Hactenus libellus. Eum Rex cum accepiſſet, inſequenti die ad Colaum ex more remiſit, vti reſponderet: qui ſubſcripſit ita ſibi videri faciendum, ac remiſit ad Regem, qui propria quoq; ſubſcripſit manu, Xi, id eſt, fiat, vel ita ſit, tertioq; die redditum eſt hoc vltimum reſponſum, quo res omnino tranſigebatur, qua ex cauſa ingentes noſtri Deo gratias, vt par erat, habuere, cuius numine res tanta ad Euangelij in hoc regno promulgationem ſtabiliendam iam perfecta erat. Porro non in executione minus quam in impetratio-

Rex annuit & ſubſcribit Patrum libello.

tratione eius eluxit potẽtia, cum difficultates omnes ita reſciderit, ac ſi totius aulæ magnatum animos in pauperum aduenarum patrocinium conſpirare mandaſſet.

His feliciter peractis, Noſtri de agendis gratijs cogitarunt ijs, quorum beneficio, tantum à Rege beneficium acceperũt: Pater Iacobus Pantoja, nonnulla pereleganti opere, in quo eſt ſane admirabilis, conſtruxit horologia Solis, Lunæ, ac ſtellarum ſimul vna in lamina eburnea, paupertas noſtrorum præſtantiora non patiebatur, quæ vt noua fuere gratiſſima, ac præ cupiditate eorum vſum ediſcendi Patrem admiſit in intima horum Primatum penetralia; quod auctoritatem ſimul ac facultatem negotij planè conficiendi dedit. Ipſe Colaus in primis Patrem humaniſſimè tractauit, in muſæum ſuum ſanè familiariter admiſit, vſum horologij didicit ipſe ita fæliciter, vt mox in ipſo ſole experimentum fecerit magna ſua voluptate. Ab eo tum petijt Pater, vt à Pequinenſis Regiæ Gubernatore peteret, vti locum nobis quempiam opportunũ curaret. Recepit ac præſtitit deinde cumulatè, vt infra narrabitur: gratias quoque referre verbis ac ſimili munuſculo non omiſit Pater Præſidi Tribunalis rituũ, cuius nomine ſecundum hoc regium reſponſum fuerat impetratum. Is Patrem tanta humanitate excepit abeuntemq́; proſequutus eſt, vt maior ante hac ei non contigerit ab vllo Magiſtratu nec ſperari potuerit, cum ante datum Regi reſponſum adijt eum Pater, rogaturus vt nonnulla immutaret, quæ videbantur Euangelij promulgationẽ in poſterum poſſe velut è transuerſo non nihil impedire. Verum ille ſubſcripſit: Solemnia ſunt iſta, inquit ille, verba, & tribunalium loquendi modus, qui nihil addit aut demit. Quod porro eſt, ait ille, tota hac aula tribunal, quod non intelligat legem illam quam prædicatis iuſtam eſſe, veram eſſe? Et ſane negotium veſtrum hactenus protuli, quo ſummus fauor poterat peruenire. Nec hoc contentus ſcribam Gubernatori Pequinen-

Præſidis rituũ fauor erga Socios.

quinenſi, cuius nunc in manibus eſt negotium, vti locum ex animi veſtri ſententia conquirat: hunc amici imo Fratris loco habeo. Præſidis exemplo adducti cæteri eiuſdem tribunalis Magiſtratus pro ſe quiſq; Noſtros honoribus colere, fauore proſequi nunquam deſtitere. Nec hi ſolum, ſed ipſi quoque Curiales, qui ſæpè moleſtiores ſunt heris ipſis, nullum noſtris negotium ſpe alicuius largitionis emungendæ faceſſerunt, ita vt res tanta nullo propè ſumptu perfecta ſit. Hactenus noſtri Neophyti ſeſe præ gaudio vix capiebant, & vbi tantā tanti viri in nos humanitatem vidêre, ſtupuerunt, aſſerentes, ſibi nunc demum exploratum eſſe, totum hoc negotium à Deo optimo maximo præter ordinem gubernari.

Gubernator Noſtris conciliatur.

His viſitationum officijs hoc euentu expletis, ad Gubernatorem conciliandum applicuit Pater animum. Noſtris erat ignotus ille, ſatiſq; metuendum, ne nihil admodum de re noſtra laboraret: ſed qui omnium corda manu tenet, hunc præ cæteris omnibus nobis ita conciliauit, vt in cauſa noſtra nihil dubitauerit maximorū inuidiam incurrere, noſtroſq; contra multos incurſus deinde tutari. Is prima Patris viſitatione ita captus eſt, vt omnia cumulate ſpoponderit, & opportunè accidit, quo tempore Pater cū eo colloquebatur, litteræ ab vno, ab altero preces, vtroq; grauiſſimo Magiſtratu venêre, vti noſtris impenſe faueret, quod propenſum iam eius animū plane in noſtram partē impulit, cum videret, quo loco nos haberent maximi aulæ primores. Die inſequenti magno apparatu domum noſtrā miſit ſe dignū munus, ipſe deinde ſubſecutus eſt, qua ex viſitatione tam intimus repente haberi voluit, vt in poſterum in libellis viſitationis eo ſe titulo compellaret, qui domeſticū ſonat, quo non æquales ſolum, ſed intimi quiq; ſe cōpellant. Forte hoc ipſo tempore contigit, vnum ex Magiſtratibus, ſine cuius ſigillo mandatū Regium intimari Gubernatori non poterat, aliquot menſes nominatū illum quidem, ſed

ab

ab Rege nondum confirmatũ ſigillo carere, quæ res noſtrum negotium vna cum reliquis retardabat. Eo tempore ex amicorum Magiſtratuum cõſilio noſtri locum aliquem ſibi commodum conquirebant, ſed nihil inuenêre, quod omni ex parte arrideret. Itaq; ſtatuerunt rem ipſis Magiſtratibus permittere, Deo fidentes, quod vt optimè poſtea ceſſit, ita valuit multum ad eximendos inuidia Noſtros, quos conſtabat ſepulturæ locum ab Rege petijſſe, ab Magiſtratibus accepiſſe.

Dum hæc geruntur, reſq; in longum abitura videretur, Patribus nec opinantibus, ſcripſit amicus quidam è rituũ tribunali, tempus eſſe cum Gubernatore agendi, nam die inſequenti Regis mandatum in eius manus deuenturum erat. Stupuêre Noſtri, cum conſtaret eum quem dixi Magiſtratum ſuo nondum ſigillo vti permiſſum, vnde nam illis tam repentinus fauor adueniſſet. Pater Colaum denuo adit, in memoriã reuocaturus, ſi fortaſſe tot inter negotia noſtrum illi excidiſſet, vt cum Gubernatore ſuam ipſe authoritatem interponeret. Is vbi Patrem conſpexit, præripuit ei ſermonem: Negotium mihi veſtrũ, ait, minimè excidit, nam cum vererer, ne in longũ res abiret, præter reliqua vnum hoc ad me ſine ſigillo adferri iuſſi, & ad Gubernatorem deſtinaui, cui etiam ipſemet rem cõmendaui, tametſi nihil erat opus: nam & ille propenſiſſimo erat in vos animo, magniq; omnino vos facit. Idem quoq; cõmendaui alteri cuidam gentili meo ex eodem tribunali, ad quem ea quoq; res neceſſario pertinebit. Hæc ille coram complurimis ſtupentibus omnibus, maximeq; ipſo Patre, qui tum demum intellexit, vnde nobis tam inopinus fauor affulſiſſet. Reddat illi Dominus hanc beneuolentiam ſua tandem aliquando luce donato. Ab ipſo quoq; quem dixi rituum Præſide litteræ impetratæ ſunt in eandẽ ſententiam ampliſſimæ, nec ipſum Gubernatorem rogari à tantis viris pigebat, vel quod eos hac ſibi ratione obligaret, vel quod eorum virorũ auctoritate factum

Colai fauor erga Socios.

ſuum

ſuum tueri aduerſus obtrectatores fortaſſe aliquos deinde poterat, prout fecit. Eum quoq; Pater eodem die cum ſuo munuſculo viſitauit, quod vt ille acciperet, vix tandem perficere potuit. Die inſequenti pro tribunali iuſſit, vti duo alij Gubernatores ei ſubditi, qui propius negotia popularia attingunt, mitterent qui eiusmodi ſepulturæ locum inueſtigarent quam celerrime, ſibiq; renunciarent. Eos quoq; Gubernatores cum Pater viſitaſſet, reperit plane beneuolos: nam infimi omnes ad nutum ſeſe ſuperiorum mirè accomodant: ij quos huic negotio deputarunt, iuſſi domum noſtram venêre, vti ex Patribus intelligerent, cuiusmodi locum vellent, iuſſi enim erant Gubernatores Patrum, quoad fieri poſſet ſequi voluntatē, tridui quatriduiue ſpatio quatuor ipſi loca deſignarunt, rogauerūtq; vti noſtri diſſimulanter, quaſi qui locum aliquē ſuburbanum, in quē ex more Sinico ſeſe reciperent ſtudiorū cauſa, eo ſeſe conferrent, electuri quodnā è deſignatis potiſſimū arrideret.

Locus pro Socijs deſignatur

In his erat fanum quoddam, prius villa ſuburbana, Eunuchi cuiusdam è maximis Regij Palatij, qui cum neſcio quid peccaſſet, ab Rege capitis damnatus, in vinculis viuit, etiamnum neſcius, qua eum die iubeat Rex extremo ſupplicio affici. Is cum ſe videret non gratia ſolum Regia excidiſſe, ſed in has anguſtias redactum, quo hanc ſuam villam raptorū manibus eriperet, (Eunuchorū enim in hoc regno bona fere ſunt occupātis) eam villam in fanum conſecrauit, idque ſpecioſo nomine diſciplinam bonitatis appellauit. leges in hoc Regno non ſinunt priuatum quempiam fana erigere (etſi conniuentibus Magiſtratibus permulti maxime potentiores Eunuchi erigūt) quæ tamē erecta quolibet modo fuerint, eo ipſo ſub rituū tribunalis recidūt poteſtatē. Ita q; ille meditatus fuerat ad ſuę villæ conſeruationē, id ei nocuit ad iacturam. Neſciebant Patres, cum hunc locū luſtrarūt, Eunuchū illū adhuc eſſe ſuperſtitē; q; ſi ſciuiſſent, nō facile hūc locū cæteris prætuliſſent; id cū reſciuere,

Eunuchus in vinculis tenetur.

uere, iam non erat in eorũ poteſtate fani alterius electio. Hæc igitur villa erat accõmodatiſſima, nec amplius quam vnũ Idolorum Miniſtrum alebat, quoniam ementitum erat fanum, re autem vera villa ſuburbana. Eum noſtri locum cæteris cum facile prætuliſſent, mox qui miſſi erant Gubernatores illos inferiores certiores reddiderunt: quorum alter vt à noſtris largitionem fortaſſe aliquam emungeret, vnum ex ijs remiſit, vt pretium eius loci æſtimaret, ſciretq; ex ipſis loci cuſtodibus, quanti eum ęſtimarent. Reſpondit qui mittebatur in munere Regio pretium nõ ſpectari, inquiri vero de pretio omnino nõ poſſe: nam ſi quid forte poſſeſſor ſubodoraretur, cælũ ac terram proculdubio moueret ad ſuam villam conſeruandã, quod etiam alio in fano futurum erat, cum nullum eſſet plane ab omni cuſtode ac poſſeſſore deſertum. Gubernator nihil ominus ille qui numos non cauſas volebat, imperauit homini faceret quod iubebatur. Ibat ille parum lætus, & ecce Diuino ſane conſilio pro foribus amici cuiusdam magiſtratus vnum è domeſticis noſtris famulis, quem ille nouerat conſpicatur, ad eum accedit, narrat quò & quorſum, & quam inuitus eat. Aderat in ea domo Pater, qui rem curabat, eum, iuſſo ſubſiſtere tantiſper homine, de re tota certiorem reddit. Non Patrem minus quam amicum ea res perculit, à quibus largitionis ſpem id olere mox intellectum. Itaq; amicus ille, qui longe ſuperiorem gerebat dignitatem, iubet eum qui mittebatur præſtolari, dum ad Gubernatorem ſcribat, ſe res noſtras habere pro ſuis, eas tractet vti ſuas, ac ſimul ore tenus mandat, de pretio nihil ad eum attinere, viſurum ea de re Gubernatorẽ maiorem, ſe iuſſum eſſe locum, nihil amplius inquirere. Is vt erat inferioris ordinis reſpondit quam modeſtiſſime, ſe iuſſa facturum. Idem Patri qui deinde ſubſecutus eſt reſponſum dedit, & mox Gubernatorem ſupremum monuit, qui pro tribunali ſua manu ſcripſit: Diſciplinæ bonitatis famam quod N. Eunuchi capitis

Villa Eunuchi ſuburbana pro Noſtris ęſtimatur.

Villa ſuburbana Noſtris addicitur.

pitis ab Rege damnati ſit, nihil opus eſt pretio comparari: Idolorum miniſter, qui id incolit, expellatur, & Iacobo Pantojæ ac ſocijs illico tradatur. Quanquam omnia, quam ſecretiſſimè fieri potuit, hactenus peracta ſunt, non defuit tamen, prius quam hæc vltima ſententia ferretur, è Curialibus neſcio quis, qui Eunuchi propinquos moneret, agi de ſuo fano auctoritate Regia Magni Occidentis aduenis tradendo; ſed quia id in animum ſibi inducere minimè potuerunt, nihil ante hanc vltimam Gubernatoris voluntatē mouere. Impetrato hoc mandato, ingentes Deo gratias Noſtri retulere, rati nihil iam ad rei firmitatem ſupereſſe, ſed nimirum ignorabant, quantis adhuc emenda laboribus ſupereſſet. Actis Gubernatori gratijs Pater eum rogat, vti profanū illum fani Cuſtodem ad ſe accitū ipſe amandet: nec mora; Satellites duos deſtinat, qui eum in diem craſtinū pro tribunali ſibi ſiſtant. Ibant ſatellites cū mandato in tabulis ex more deſcripto, vt eum adducerent: Et ecce illum ipſum nihil minus opinantē ex itinere offendunt, moxq; abducunt in Gubernatoris palatium, vbi in ſequentem diem mirè ſuſpenſus ſubſiſtit, ecqua ex culpa inſimularetur. qui vrbi aduenit, nixis coram Gubernatore genibus ab eo iuſſus eſt templum ſuum extemplo deſerere, & in aliud cōmigrare, quoniam illud ab Rege Iacobo Pantoiæ ac Socijs eſſet datum. Eorum lex à tua multum differt, cōmunem cum illis vitam agere nullo modo potes. Abijt ille nec verbum locutus, imo ſatis lætus, ſe metum verberum & alicuius culpę grauioris euaſiſſet nec mora, ſuam ſupellectilem conuaſauit, eoq; ipſo die abſceſſit. Ergo Noſtri eodem ipſo die Neophytis comitibus loci poſſeſſionē adierunt. Ea res facile eſt credere, quantū Eunuchum illum reum ſuæq; factionis cæteros pupugerit. Itaq; in villam mox concurrêre nonnulli, quibus Patres dixere, ſe ab Rege defuncto Socio aliquē ſepulturæ locum petijſſe, hunc ſibi ab Magiſtratibus ſua ſponte, nulla ſua poſtulatione aſſignatū: ij cum

Fani Cuſtos iubetur migrare.

eum Regem Magiſtratumq́; audierunt abiere, nondum ſatis certi, quid conſilij in re tam deſperata caperent, verebantur enim ne ſi quid molirentur, extremam Reo perniciem accerſerent: id maximè patuit, cum ad Patrem venit Eunuchus vnus aliquis qui diceret, conſtare iam ſibi Noſtros in hanc villam occupandam imiſſos eſſe ab Magiſtratu, ſeipſos non intruſiſſe, certum tamen ſibi eſſe, ius ſuum perſequi, petere ſe, eam rem Noſtri ne grauatè ferrent: Cui reſpondit Pater, ſe nihil habere quod moleſte ferat, dum ipſi rationis limites ne excedant. Interim tamen tempus illud iacturæq́; ſenſus omnem exemit metum. Die quadam explorato tempore, quo vterq; Patrum aberat à villa, non pauci Eunuchuli turmatim irrumpunt, cumq; vnum è Fratribus noſtris cum aliquot Neophytis, quod ad loci cuſtodiam Patres reliquerant, reperiſſent, nixi genibus, quo cultu Regem & venerari & appellare ſolẽt, aduenas illos loci iam Dominos licet abſentes ſalutarunt. quid enim illis deerat, aiebant, præter vnum regnum, quibus ſatis fuit virium ad Eunuchos ſuis poſſeſſionibus exuendos? hæc & ſimilia cum in noſtros conieciſſent, dixerunt; fanũ illud quidem ab Rege Magiſtratibusq; donatũ, ſed non fani ſupellectilem. Itaq; qua volentibus qua nolentibus ijs qui aderant, mobilia multa extulere. Huius generis fuere rupium quædã fragmenta, quæ Sinis ad oblectationẽ in pretio ſunt. Abiere multi cum ſupellectile quam efferebant, reliqui cum fratre noſtro ac Neophytis collocuturi conſedere. Dic amabo (ad Fratrem noſtrum cõuerſus ex illis vnus) iſte tuus Magiſter ecquod habet philtrum, quo ſibi hominũ animos & tantorum tam arcte deuincit? Magiſter, inquit, meus (ita enim Fratres hic noſtri cum de Patribus agunt, loqui ſolent) virtutem habet, litteras, libros, legem Dei ſumi, quam in omni conſeſſu prædicat, his nullum eſt efficacius pharmacũ ad Magnatum animos ſibi adiungendos. Amabo te, ait ille, cum diſcipulus eius ſis, perſuade

Eunuchi Noſtris abſentib⁹ in villam irrũpunt.

 illi

illi etiam atq; etiam vti aliud ſibi fanũ maius ac melius ab Magiſtratibus deſignari curet. Sit iſta, inquit Frater noſter, veſtra cura; neq; enim eum pro ſua modeſtia decet maiora melioraque poſtulare, quicquid ſibi ab Rege Magiſtratibusq; datur, ille id omne pro magno habet. His Fratris Noſtri prudẽtibus reſponſis, & cuiusdam è Neophytis, qui aderant longa & appoſita oratione placati, ſine iniuria receſſere. Cum in exteriorem aulam, in qua erat idolorum ara, peruenere, ex his vnus nixis genibus ita cum primario ſimulacro eſt collocutus: Vale extremum vale: neq; enim ego hanc aulam poſt hac meo arbitratu vti prius ingrediar. Verum alius ab iracundia colloquij materiam ſumens dignius veriusq; cum eodem ſimulacro eſt præfatus. Maſſa ſtercorea luteaq; (ex luto enim inaurato conſtabat id monſtrum) ſi tibi non fuit virium ſatis ad fanum tuũ teq; ipſum tuendum, ego quid opis à te ſperare poſſum? nullo honore digna es, nec vllum tibi ſignum memoris & grati animi exhibebo. Ita ille, alij dicebant, hoc ſimulacrum alterius idoli nomen olim gerebat, permutatũ eſt, alteriq; attributum, ideo nunc prius illud de vſurpatore vindictam ſumit: his alijsq; contumelijs affecta ſunt ſimulacra, fanumq; illi quondam ſuum reliquere.

Ridiculũ cum idolo colloquium.

Nondum finis fuit tragædiarum, quas Eunuchi concitarunt. Reus ille vbi vidit omnia vndiq; ita vallata eſſe, vt ſuo nomine nihil ſine periculo vltra ſibi audendum ſupereſſet, hanc ſuam villã alteri Eunucho è ſupremis, qui apud Regis matrem erat inprimis gratioſus, ea lege donauit, vt eam noſtris eripere omni ope atq; opera conaretur. Mouit is omnem lapidem, per adoleſcentes primum Eunuchulos, metu ac minis domum noſtrã infeſtare conatus eſt, ſed fruſtra. Cum enim audiſſet Noſtros iniurias apud Regem depoſituros, nec villam niſi Regis imperio relicturos, aliquantiſper acquieuit. Hic cum Eunucho congreſſus, ſi non ſuſtulit omnem de villa controuer-

Controuerſia de Villa Noſtris deſignata dirimitur.

euerſum, valuit tamen ad excludendas in poſterum importunorum hominum inſolentias. Poſt hæc Gubernator ipſe Rituumq; Præſes ſinguli ſuum edictum ſupra limen domus erigendum exſcripſerunt. Et Gubernatoris erat in hanc fere ſententiam. Narrabat quæ ratione Rex pro ſua inſigni clementia, qua etiam remotiſſimas quaſq; regni complectebatur, poſt varia ſuperiorum annorũ in nos beneficia, nunc demum velut ſui regni incolis ea omnia muneraret, atq; confirmaret hac recenti liberalitate, qua hîc Matthæi Ricij ſepulturæ Sociorũq; perpetuæ habitationi locum dabat, vt in eo nos legis noſtræ obſeruantes, Deum pro Regis eiuſq; Parentis vita & ſalute, proq; pace ac Regni ſtatu integro continenter rogaremus. Sed quoniam verebatur, ne forte quiſquã nobis aliquid moleſtiæ inferret, vetabat ne quiſquã citra Noſtrorum voluntatẽ eum locum ingrederetur aut moleſtus eſſet, qui ſecus feciſſet eum à vicorum excubijs vinciri, & ad ſuum tribunal deduci iubebat ſeueriſſime puniendum. Rituum Præſidis edictum erat in eandem fere ſententiam. Vtrumq; hoc edictum non ſolũ hominum inſolentiam petulantiamq; repreſſit, ſed magna ex parte Eunuchos competitores ſua ſpe deturbauit.

Gubernator[illegible] pro [illegible] edictum [illegible]

Sed tamen duas ad hanc arcem expugnandam extremas machinas reſeruarunt. Prior fuit Capitis Eunuchorum factum. Hoc tempore quo ſe nemini Rex videndum præbet, in Eunuchorum manibus omnia fere regni negotia ſunt poſita. E quibus vnus eſt, qui Regi proximus, alter propè Rex eſt. Effecerunt competitores Eunuchi, vt hic ad Gubernatorẽ ſchedulam mitteret, qua ſuperbè nimis & imperioſè eum inter cætera erroris arguebat, quod tam inſignem noſtris Villam Eunuchis ereptam tradidiſſet. Gubernator hac ſchedula nihil motus, nec reſponſo dignatus eſt Eunuchum, ſolum oſtendi iubet regium diploma, Tribunaliſq; ratũ ad ſe mandatũ eſſe; quæ vt vidit Eunuchus ille, ne vlteriorem ab ea ſchedula veniam de-

miſſe petijt, cauſatus regij diplomatis ignorationem. Hæc ipſe Gubernator Noſtris narrauit, idemque non ita multo poſt ſuaſit, vt ad eum viſendum ſe Noſtri conferrent, ſimul ad eum ferrent libros omnes, quos Noſtri Sinice in hanc diem ediderant, ſiue de re Chriſtiana, virtutibusq; ſiue de Mathematicis diſciplinis. hæc in diem inſequentẽ comparata ſunt, ac ſimul perelegans Deiparæ effigies, Gnomonicum horologium eburnum, & alia nonnulla, quæ ambo Patres ſecum detulerũt: Admiſſi intra Eunuchi ſepta, dum congreſſum præſtolantur, Eunuchis alijs ſua munuſcula videre cupientibus, oſtendere; quæ omnia, ſed maximè Virginis effigiem admirabantur, qua occaſione de fidei noſtræ rebus illatus ſermo. Poſt diuturnam moram miſit qui renunciaret, integrũ nunc ſibi non eſſe, ſufficere ſui negotij rationem, quam ſcripto dederant ſe legiſſe. Verum vrsêre Patres, vt aduenas è Regionibus remotiſſimis nunc primum ſe videre cupientes ne reijceret: quo ille audito, admiſit Patres Licentiatorum Sinenſium cultu indutos, quos ille cum nixos genibus, vt fere ſolet reliquos, excipere compararet, conſedit. Verum Patres quos non decebat cum hoc Eunucho aliter, quam cum ſumis agere Magiſtratibus, nihil ſe mouerunt. Senſit ille quorſum hæc tergiuerſatio, & aſſurgens eo ritu eos excepit, quo pares à paribus excipi Sinico de more ſolent. Inde ſtantes ſermonem proſequuntur; querebantur Patres ſe per Eunuchos quoſdam regia liberalitate Magiſtratuum authoritate confirmata pacifice frui hactenus minime potuiſſe: petebant vti ſuam interponeret authoritatem. Is primum ſchedulæ ad Gubernatorem miſſæ rationem dedit, ſe id Regiæ voluntatis ignoratione feciſſe, poſthac curaturum, vti nemo ijs moleſtus eſſet; neq; enim decebat ſummorum Tribunalium ſtatuta, ex Regia potiſſimum liberalitate orta in dubium reuocare: ſuam ſecuri domum incolerent, Socium humo mandarent, regia deniq; munificentia fruerentur.

Patres admittuntur ad congreſſum Eunuchi.

tur. gratijs actis eum adducere minime potuerunt, vt aliquid allatorum munerum acciperet, omnia vidit atque laudauit, Deiparæ potiſſimum effigiem, ſed vt dixi accipere recuſauit, quod apud Sinas ſine vlla inurbanitatis nota fieri ſæpè ſolet.

Altera quam competitores admonuerũt machina fuit ipſa Regis Parens, quam ideo in poſtremam aciem reſeruarunt, vt rei iam conclamatæ ſubuenirent. Hæc, vt horum annaliũ initio dixi, Vetula eſt Idolis addictiſſima, & hic Eunuchus, qui hæc miſcebat, ei gratioſus in paucis, eam igitur die quadã adit, queritur ereptum ſibi fanũ idolorum, quod multis aureorum millibus æſtimatur, datumq́; quibusdã aduenis, qui cum idola non venerẽtur, ea vel aquis mox vel flam̃is abſument, rogabat, vnum vt verbum Regi ſuggereret: Verum illa ſic reſpondiſſe fertur: vt pluris quam dicis id æſtimetur, Quid eſt hoc ad Regis munificentiã, cum Rege porro hac de re loqui, omnino ad rem non pertinet: ſanè ſi de Eunucho reo, ille quem dicis aduena dato Regi libello queratur actum eſt de eius vita. Tacuit Eunuchus, nec vltra inſtare auſus eſt, ibiq́; ſpem ſimul arteſq́; ſuas Eunuchi poſuêre. Alia controuerſia dirimitur.

Nondum humani generis hoſtis quieuit, initio dixi cauſam hanc ad quæſturæ regiæ tribunal pertinere iudicandã, ad quod etiam delata, noſtrorum ope ad rituũ tribunal fuerat auocata. Procuratum igitur, vt à rituum tribunali alterum quæſturæ regiæ tribunal ſciret, hoc regium eſſe munus; petitumq́; vi im̃unis is locus in poſterum declararetur, èque tributorum tabulis expungeretur. Res ad eum deuenit, cui prius fuerat erepta. Is forte ſenſerat ereptam ſibi ſpem alicuius lucelli, nam hoc nomine paſſim malè audiebat, ergo procurauit rem ſatis periculosè perturbare. Ad eum Gubernatorem inferiorẽ, qui locum conquiri iuſſerat, publicũ ſcriptum & publico ſui muneris ſigillo munitum mittit, quo iubet reſpõdere, cur Noſtris adeo magnificas ædes aſſignaſſet. ? Non parum ea res perculit Alia difficultas oritur de villa confirmanda.

Guber-


Gubernatorem illum, ergo ad Patrem è ſuis Curialibus vnum cum eo ſcripto mittit, petitq́; ecquid reſpondere velit. Reſpódit Pater, nihil eſſe quod reſponderet, ſe effecturum nó ſolum vt reſponſum non peteretur, ſed etiam vt ſuum ſcriptũ ipſe qui miſerat reuocaret. Pater ad eum adit, explicat Regem noſtris non ſepulturam ſolum, ſed ædes quoq; ad habitandum cóceſſiſſe, quæ ſi magnificæ, ideo erant Rege dignæ, ſi nos indigni. Petebat igitur Pater, vt hoc ſuum ſcriptũ ipſe reuocaret: non parum miratus eſt ita cõfidenter hoc ab ſe peti, intulitq́; ſe die inſequẽti pro tribunali ſeſſurum, ſi quid haberet, libellum daret. Abiens Pater ad amicum noſtrum ſe contulit eius contribulem, narrat rem totam, monetq́;, vt auctor ſit amico ſuo, ne ſe vnus tot Magiſtratuum ſententijs in reiam facta opponeret, nihil inde emolumenti, mali fortaſſe non parum ſibi poſſe ab ijs offenſis accerſere. fecit is quod rogabatur ita accuratè, vt die inſequenti litteras Quęſtor ille ad Patrem ſcriberet officij plenas, quibus ſe omnia ex eius voto facturum ſpõdebat. Cum reſponſo miſit Pater leue rerum noſtrarum munuſculũ, quod vt apparet omnia compoſuit, nam intra paucos dies publicum illud ſcriptum publicè reuocauit, ædesq́; noſtras in perpetuum tributo regio exemit. Atque hic finis fuit huius rei, quæ tantũ ad Dei gloriam, vt ſperamus aliquando valebit. Cum Noſtri quietam adijſſent hæreditatem, ad agendas Regi gratias ſolitis ritibus conceſſere, qui ritus cum ijdem ſint cum ijs, quib⁹ Patres initio cum in hanc aulam veniſſent Regi de ſtipendio gratiam habuere, nihil opus eſt repetere. Hęc omnia iam tandem aliquando pacata, ſecuriora quoq; ac firmiora reddita ſunt tribus alijs diplomatibus trium tribunalium, quæ quia in Europa inuſitata ſunt, non nomino: ſed in hac aula præ cæteris ex ſeueritatis fama terrorem incutiunt.

Ædes ſtabiliuntur.

Vrbis quoq; Gubernator nondum tot fauoribus cõtentus, ſua ſponte ſtatuit Patrem Matthæum Ricium, & in eo noſtros ornare:

Gubernator P. Matthæum in ſcriptione ſepulchrali ornat.

ornare: nam ex Sinico more, quem in annalibus in Nanqui-



PALATII SVBVRBANI
ICHNOGRAPHIA
à Rege Sinarum Soc IESV attributi Pequini Anno 1610.

Fuit olim hoc Palatium cuiuſdam Eunuchi è curia Proceribus præcipui idemq; poſtea ab eodem in Idolorum Fanum commutatum tum vero à Rege iure occupatum et anno demum 1610. Monumento P Matthæi Ricy è Societ' IESV aſſignatum ac reliquis eiuſdem soc' Patrib' conceſſum. ipſū vt incolerent atq in eo DEO cæli vero, quē adorant, deſeruirent

Reliqua verò Idolorum templa plurimū differunt ab hac Palaty huius structura ac forma

Sinenses in ſuarum ædium ædificatione, primò omnium ponunt ligneas columnas, quas in hac delineatione referunt ſuis locis deſcripti circelli columnis imponunt trabes et tectum muros verò è cemento extruūt loco poſtremo. vnde ſit, vt muris collabentibus maneant columnæ et tectum ſartatecta.

Columnarum ſitus ac ordo quem videre est in ſecundo Atrio, cōis eſt omnibus reliquis suntque Atria omnia strata latere

Eadem Atria ſunt aliquantulum cubiculis humiliora atque ex vno in alterum aſcenditur primùm aliquot gradibus ui iterū deſcenditur, et rurſum ad porticus et cubicula aſcenditur. nec opus eſt pluribus gradibus, ppterea qd ſine ſes vnica vt plurimū contignatione ſint contenti

PARTIVM DECLARATIO.

1 Duo marmora conſcendendis equis deſtinata
2 Paries humanam ſtaturam attingens ante ingreſſum Palatii
3 Viculus incluſus ante Palatium
4 Porta primaria
5 Quinque cubicula, quor portæ ſunt ad Viculum
6 Primum Atrium
7 Septem cubicula primi Atry.
8 Porta ad ſecundum Atrium cum ſuis gradib'
9 Gradus ad Ædificia lateralia
10 Porticus ante ædes coopertæ
11 Duæ Aulæ minores
13 Aula amplior olim Idolorū domus. quæ nunc Deo Seruatori conſecrata eſt, eiuſq Imagini, qua eius adoratio facta ab Angelis. et Aplis exprimitur dedicata ipſo omnium ſanctor. feſto die. quo primū miſsæ ſacrificium magna hominum frequentia celebratum eſt anno 1611
14 Duæ porticus ante Aulam cum ſuis gradib'
15 Quattuor Atriola diſcoperta, ex quibus patet aditus per cubicula ex ſecundo in tertium, et ex tertio atrio in ſecundum
16 Duo cubicula maiora.
17 18 19 Scalæ, porticus, Aulæ, cubicula tertij Atrij.
20 Duo ~~cubicula~~ diſcoperta Atriole
21 Tres porticus coopertæ cum ſuis ſcalis.
22 Aula minor olim plena Idolulis
23 Duo cubicula
24 Veſtibulū et tranſitus ad Hortum
25 Nunc sacellum S Mariæ Maioris
26 Hortus.
27 Via per medium Horti ſtrata lateribus.
28 Cæmeterium cinctum muro latericio ſtatura humana maiori
29 Quatuor baſses cum ſuis Pyramidibus.
30 Quatuor Cupreſsi ſatis proceræ et iam olim hiſce locis plantatæ.
31 Monumentum P Matthæi Ricij, in quo eius corpus depoſitum fuit eodem die, quo primum sacrificatum eſt in Templo Seruatoris, de quo n 13
32 Sacellu nouum atq eleganti concameratione faſtigiatum, ad vſum Cæmeterij.
33 Locus ante Sacellum lateribus ſtratus et vno gradu cæmeterio altior.
34 Murus Horti è lapide quadrato alt' 20 pal
35 Puteus
36 Foſsa et ſeminarium Arborum

N 2 11 Sex numero cubicula.

ornare: nam ex Sinico more, quem in annalibus in Nanquinenſi reſidentia fuſius explico, miſit magno Curialiũ ſuorum comitatu, feſtoq; tympanorum ac tubarum concentu, per nobiliores vrbis vicos domum noſtram inſcriptionem quandam cubitalibus litteris, in inſigni quadro vel opere vel pictura, quæ ad Patris Matthæi Ricij tumulum erigeretur, perpetuum vel amicitiæ monumentum, vel tanti viri ornamentum. Ea inſcriptio quatuor litteris (ita enim fere eſt in more poſitũ) expreſſa erat in hunc modum. Mô Y liẽ Yên. quod quatuor ſyllabis dubium an breuius an ſignificantius hoc ſonat. Ad Iuſtitiæ famam venienti, libroſq; celebres edenti. Et infra characterib⁹ minoribus Matthæo Ricio è magno Occidente Hoâm Kiẽ Scí. (cognomen eſt nomenq; eius) vrbis Regiæ Pequinenſis erexit. Video nũc à nõnullis fortaſſe deſiderari Typographicam loci delineationem, ſed melius erit ſpectandam hîc oculis quam legendam proponere, ex adiuncta igitur tabella in ære videri poteſt. Deſcriptio villæ ſuburbanæ.

Abeſt hæc villa ab vna è portis vrbanis octaua leucæ parte: in agro ſita: quẽ ideo fere Eunuchi Regij ſibi ad ſepulchra nõ tota villaſq; deſignãt, opus eſt firmũ opere lateritio, ſed polito pereleganter, columnæ omnes ligneæ more Sinico: neq; enim ipſi lapideas in pretio habent, ne in Regijs quidem Magiſtratuumq; palatijs: ante annos triginta non amplius extrui cæpta, multam adhuc promittit ætatem. Nihil attinet ſingula deſcribere, ex ipſo pretio colligere licebit operis maieſtatem: ſupra quatuordecim aureorum millia Exſtructori conſtitiſſe perhibetur: hoc ſi parum Europæis videbitur, apud Sinas Theſaurus eſt. Ad extremum percommodus eſt muſis locus, atque in eum ſcopum Magiſtratus ij, quorum fauore impetratus eſt, collinearunt, vt eo in loco è Noſtris aliquot ab vrbano tumultu ſemoti libros Europæos idiomate Sinenſi donent,

nent,quod à multis expetitur. Isque mos ſtudiorum cauſa in Tuſculum aliquod ſecedendi frequentior eſt aliquanto Sinis quam Europæis.

Sepultura P. Matthæi Ricij.

Sed iam tandem aliquando ad Patris Matthæi Ricij ſepulturam veniamus. Solent Sinæ defunctorum cadauera feretro incluſa ſæpè in annos aliquot domi aſſeruare, dum ſepulturæ locus quæritur, aut paratur, feretrum enim ſuo illo pellucido bitumine illitum fætorem nullum tranſmittit. Id feretrum, quo Patris Matthæi cadauer continebatur, integrum fere annum ab eius obitu in ſacello noſtro ad aræ latus aſſeruabatur; quod noſtri poſtquam nullo renitente ſecuram ſuæ villæ hæreditatem adierant, eo detulerunt ibi aſſeruandum, dum Eccleſiaſtico ritu cœmiterium, & in eo ſacellum pararetur. Delatum eſt eo feretrum, non tamen ea pompa qua Sinæ aſſolent, quæ multo apparatu, triumpho quam funeri ſimilior videtur; eam enim pompam neque noſtra tenuitas, neque religioſa modeſtia patiebatur. Delatum eſt inquam Matutinis horis magno Neophytorum comitatu, qui cereos manu geſtantes Crucem geſtatorio conopæo inſignem ſequebantur. Collocatum eſt in cubiculo quodam ad latus ſacelli domeſtici Sinico apparatu ad excipiendos eos, qui defuncto ſolitos ritus exhibituri aduenirent. Non ita multo poſt Pequinum peruenit P. Nicolaus Longobardus Superior totius miſſionis, in cuius aduentum Socij Patris funus diſtulerant. Eius authoritate delineatum eſt mox primum in hoc Regno cæmiterium. In extrema parte horti hexagonum ſacellum extructum eſt opere lateritio, fornicatum, à lateribus è ſacello parietes duo egrediũtur in hemicyclicam fere figuram, & tumulis noſtrorum deputatam aream complectuntur. In area media quatuor erant Cypreſſi (nam etiam Sinis eius generis arbores funeſtæ ſunt) eas dudum plantatas diceres, vt futurum

Patris

Patris tumulum continerent. Ibi excauata humo feretro cõtinendo locus extructus eſt, opere lateritio, Diuinoq; conſilio factum eſt, vt qui per vniuerſam vitam idola expugnarat, moriens ea ſecum ſepeliret. nam ex confracto idolo primario (vt mox dicam, cæmentum omne tumulo exſtruendo ſtudio confectum eſt. Interim dum paratur ſepulturę locus, idolorum quoque fanum in Chriſti Seruatoris ædem conſecrandum ſuis abominationibus expurgabatur. In aula primaria ara erat ingens è lapide latereque pereleganter laqueato, rubeus aram tingebat color ex more fanorum: priuatas enim ædes hoc vti colore fas non eſt, ſuper mediam aram monſtrum ingens ſedebat, horrenda mole luteum, ſed à capite ad calcem inauratum: Id Sinæ Tí cám vocant, quod telluri theſauriſque præeſſe fabulantur. Pluto denique Veterum eſt, manu ſceptrum, in capite coronam, vtrumque noſtrorum Regum inſignibus non abſimile geſtabat. Vtrimque ſtabant quaterni eadem ex materia Miniſtri: ad vtrumque aulæ latus poſitæ erant grandiores menſæ duæ, ſingulæ quinos habebant inferni regulos: In vtroque pariete picti viſebantur iidem Reguli pro tribunali conſidentes, qui Reorum ſcelera pro ſuo quiſque foro ſtygijs pœnis damnabant. Ante eos ſtabant Dæmones permulti, terribiliores vel figura vel pœnarũ inſtrumentis ijs ipſis quos pingimus, nihil enim mirum, ſi ſe ipſos ad viuum effingere docuerint. Inferorum quoque pœnæ miſeros ita torquebant reos, vt viuis horrorem incuterent, nam alij in lecticis ferreis torrebantur, alij feruenti oleo frigebantur, alij in fruſta diſcerpebantur, alij medij ſecabantur, alij à canibus lacerabantur, alij pilis conterebantur, alij tormentis excruciabantur. E Regulis primus ſcelera cognoſcebat quæ illum in obiecto ſpeculo cernere fabulabãtur. Ab eo rei ad cætera tribunalia regulorum pro ſce-

Sepulturæ locus paratur.

Aulæ deſcriptio.

Idolum monſtroſum.

Dæmones depicti.

Inferorum pœnæ.

lerum varietate dimittuntur. Ex ijs præerat vnus hominibus illis, quorum crimina transmigratione plectuntur; nam ſæui in tygres, ſpurci in porcos, pro ſcelerum ſimilitudine demigrabant: nonnulli etiam quorum leuiores erant culpæ, in pauperum ac plebeiorum ſortem tranſibant: toto enim hoc Regno Pythagorica Metempſychoſis mire recepta eſt. Verum enimuero hæc inferorum terriculamenta ita dæmon compoſuit, vt non ſolum ſceleratos non cohibeant ſed incitent. nam quam horribilia pingit tam facile vitari poſſe fingit, ſi ſceleribus addant maximum Idololatriæ ſcelus. Erat prægrandis bilanx, in altera lance homo ſceleribus onuſtus, in altera, profanæ idolorum ſectæ precum libellus, qui tot ſceleribus præponderabat, ſuumq; recitatorem pænis eripiebat. Per medios inferorum fines cruciatusq; fluebat horribili colore fluuius, quo plurimi rapiebantur. Supra enim fluuium pontes erant duo, aureus alter, alter argenteus. per eos pontes tranſibant ij, qui idolorum cultores in primis fuerant, geſtabantq; varia idolis exhibiti cultus inſignia: hi duces habebant profanos eorum miniſtros, quorum pręſidio per medios inferorum cruciatus, demũ deueniebant ad lucos lætos & amæna vireta. Alia in parte depicta erant inferorum antra, flam̃is, ſerpentibus, dæmonijs horrenda. ad æneas eorum portas accedebat neſcio, quis idolorum miniſter, qui matrem inuitis dæmonibus flam̃is eripiebant: alia quoq; viſebantur huiusmodi. Ita quas pænas Deus optimus maximus hominibus notas eſſe voluit ad ſceleratos eo metu à ſceleribus deterrendos, has ipſas impoſtor humaniq; generis hoſtis adhibet ad homines in ipſa ſcelera concitando, qui plus aliquanto ſibi ſuisq; miniſtris licere voluit, quã ipſemet harum pænarum auctor iuſtus Deus, dum vel ſcelera ſine pæna permittit, vel è pænis leuiſſimis ex cauſis eripit. Nullum enim apud inferos erat pænæ genus, quod nõ haberet adſcriptam

Prægrandis bilanx.

Fluuius infernalis.

Inferorum antra.

ſcriptam huiuſmodi inſcriptionẽ. Quisquis talis idoli nomen millies inuocauerit, ab hoc pœnæ genere liber erit. Ita euadendi facilitate peccandi licentiam diabolus inuehit, vnoque verbo hanc falſæ religionis faciẽ oblitterat. Idola pulueri tradita ſunt à nobis, quæ lutea erant, & lignea flamis, poſtquã fuerunt à Noſtris aræ detracta, qua in re ſpectabiles ſeſe famuli domeſtici præbuere, qui certatim in hac idolorũ carnificina alter alterum ſuperare nitebatur, quam ad rem quoq; ſpes eos alicuius lucelli prouocabat. Solent enim Sinæ vacuos idolorũ ventres votiuis numiſmatibus ac ſæpe gemis farcire, quæ omnia ſibi famuli, velut harpaſti ludum in ſimulacrorum anatomia exercentes, alter alteri præripere nitebantur. hæc idolorum opprobria tametſi non ignorata ſunt ab ijs ipſis villæ poſſeſſoribus, eorum tamen nemo ſe mouit, poſtquã ſpe recuperandi decidêre, ipſi enim hoc ſimulacrorum domicilium ſeu patrocinium ad ſua repetenda, non etiam ad ea tuenda prętexebant. Ara quoq; ipſa diruta, parietum pictura calce incruſtata eſt. Tum in recenti ara locus Seruatoris imagini præparatus. Eam vnus è noſtris Fratribus in ea ipſa villa per eos dies perbellè pinxerat. Sedet in magnifico ſolio Chriſtus Dominus ac Redemptor noſter, vtrimque Angeli ſuperni, Apoſtoli infernè, eum velut docentem audiebant. His omnibus ita comparatis, in humando Patri Matthæo Ricio, ædique conſecrandæ dies eadem dicitur, quæ Diuis omnibus ſacra eſt. Pridie eius diei imago inauratis thecis incluſa, reſtituto Deo viuo & vero ſuo cultu in ſimulacrorum locum reſtituitur. Ipſo die omnes conuenêre Neophyti, cereis ſuis ſuffitibusq; ad agendã celebritatem inſtructi. Miſſa, qua potuit pompa, celebrata eſt, organo alijsq; Muſicis inſtrumentis. Qua peracta Patris feretrum è loco vbi aſſeruabatur in ædem delatum, cæptumq; recitari officium defunctorũ, cui altera funebris miſſa ſucceſſit, hanc

Idola deſtruuntur.

Idolorum Anatomia.

Ara diruitur.

Dies ſepulturę P. Matthæi.

P. Matthæus terræ mandatur.

hanc excepit breuis & appoſita cohortatio, tum ad ſepulturæ locum inſtituta Eccleſiaſtico ritu ſupplicatio; feretrum Neophyti primarij geſtabant, cæteri comitabantur, omnes cõplorabant. Cum ad ſepulturæ locum ventum eſt, feretrum è regione hexagoni ſacelluli collocatũ, in quo effigies alia Chriſti Seruatoris fuerat quoq; collocata, ad eam officium ſepulturæ celebratum, quo expleto, feretrũ in præparatũ demittitur locum, magno omnium doloris ſenſu, velut in cõmunis Parentis obitu, ſed potiſſimum Doctoris Pauli, qui præter eum quo nos remq; Chriſtianã complectitur amore, nec ſecus ac ſi in media Europa natus eſſet ac educatus, ſingulari Patrem amore ſemper fuerat proſecutus. Is multas lachrymas magnumq; mœrorem præſetulit, nec ſe continuit vir in ſumma dignitate conſtitutus, quin funes ipſos quibus feretrum demittebatur, arriperet, nihil aliud reperiens, quo ſuum vel amorem vel mœrorem teſtaretur. Expletis Eccleſiaſticis ritibus Neophyti politicos ſuos minime omiſere, primum ad Chriſti Seruatoris imaginem, deinde ad tumulum ex more ſuas inclinationes ac genuflexiones perfecêre. Tum deinde Noſtris pro honore ſibi exhibito gratias referẽtibus, ipſi ad ſua rediere. Multos deinde dies inſequentes amicorum Ethnicorũ ad ſolitos defuncto ritus exhibendos concurſus facti ſunt, pari fere doloris ſenſu: quam ob cauſam vnum è Patribus ibi ſubſiſtere ad eos excipiendos neceſſe fuit. Præter ædem publicã atque ſacellulum

Ara priuata Deiparæ. funebre, priuatam Deiparæ aram Patres alio in loco opportuno ex voto erexere. Nam initio cum hoc negotium ſuſcepe runt, eo ſe ad eliciendum eius patrociniũ obligarant. Nec ſine Numine factũ eſſe videtur, vt quotquot id temporis inſigniores ex voto cecidere ſucceſſus, omnes prope in aliquã ex eiuſdem celebritatibus inciderẽt. His omnibus ex ſententia procuratis, ſupra Primarij liminis Epiſtylium appoſita eſt duobus

Sinicis

Sinicis characterib⁹ hæc inſcriptio: Regia munificẽtia: quod apud Sinas eſt perhonorificum, & magis quam in Europa credi poſſit. Inde ſenſim fama multos ad viſendũ excitabat, quibus omnia mirum in modum arridebãt, ſimulq; adorato Deo aliquam ſui conditoris notitiam ex imaginum conſpectu noſtrorumq; ea occaſione colloquio referebant. Atque hunc ea res finem habuit, quam ſperamus magno rei Chriſtianæ adiumento futuram: nam tametſi nondum eam ab Rege, quam optamus, liberam Euangelij propagandi facultatẽ habeamus; qui tamen nouerit, quot obſeratam clauibus huius regni tyrannidem humani generis hoſtis occuparit, non nihil hac re perfectum intelliget. Et amplius fortaſſe, quam retrolapſis annorum triginta ſpatijs magna cõtentione fuerat impetratum. non ſolum quod honorato huius expeditionis auctore, magnam inde ipſa expeditio capit firmitatem, ſed maximè quod noſtrorum ſtatio, profeſſio legiſq; ratio Regi Magiſtratibusq; non innotuit, ſed propè probata eſt. Cui enim non mirum videatur, pauperes aduenas ab Rege honorifica ſepultura & habitatione donatos? quod in hoc Regno neque adhuc externo cuiquam contigit, & rariſſimè ſumiſq; tantum Magiſtratibus, atque ijs de Republica optimè meritis conceditur? quis non ſtupeat, eosdem in oculis non ſolum clariſſimæ ciuitatis, ſed prope totius Regni, conſcia vniuerſa Regis aula, ipsâq; adeo Regis Parente, approbantibus Tribunalibus, approbante vniuerſo Magiſtratuum Senatu, idola excuſſiſſe, aram diruiſſe, & in eorum locum Chriſti Seruatoris effigiem & Virginis erexiſſe, ad aram pro Regia ſalute iuſſos preces fundere, in qua ipſa ara voluntatis Regiæ teſtis eius nominis inſcriptio legitur. Deniq; quam id è Diuino conſilio profectum fuerit, arbitror ex ipſa narratione conſtare, in qua tot in vno miraculo miracula leguntur, quæ non ipſi ſolum agnouimus, qui huius

Inſcriptio.

Beneficium regium extollitur.

regni

regni iam ſenſa penetramus, ſed ipſi Noſtri Neophyti, amici, Ethnici, aduerſarij denique ipſi aduerterunt. Nam ſum̃os Magiſtratus nullo emolumento, nulla ſpe tam impenſe fauere, contra ſuos ipſos Collegas indigenasq́; obſiſtere, denique non niſi re confecta conquieſcere, non opis humanæ fuit aut induſtriæ, ſed eius qui vt cætera ſic hominum corda nutu moderatur. Sed neque omittendum eſt, P. Matthęum Ricium primum propè huius expeditionis auctorem, primum quoque in hoc regno ſepulturæ locum ſibi inueniſſe ac Socijs aperuiſſe, nam qui hactenus in hac excolenda vinea diem obierant, tametſi intra Regni Sinici fines, in Amacaenſi tamen Collegio, vt ſupra dixi, communem Sociorum ſepulturam obtinuerãt. Nunc qui ſuperſtites ſumus non vitam ſolum, ſed ipſum quoque cadauer in teſtimonium illis & gentibus relinquemus.

Finis libri Quinti.

INDEX

INDEX
RERVM MEMORABILIVM, QVÆ in hoc opere continentur.

A.

Accuſatores Patrum 207. 214
Accuſatio noua 278
Accuſator veniam petit, 539
Actus Chriſtianæ legis, 446
Actus Pœnitentiæ, 478
Adultorum capita apud Sinas, 7
Adminiſtratio Prouinciarum, 54
Aduenæ, 62
Aduenæ quomodo tractentur, 420
Aedificia Sinenſium, 14
Aedificium extruitur pro Patribus, 165. 185
Aethiops Sinenſes fugat, 210
Aera campana, 21
Ager Sinenſis 9
P. Alphonſus virum erudit, 594
Aleæ vſus & latrunculorum, 90
Aluarus Franciſco Xauerio aduerſatur, 131
P. Alexander Valignanus rem Sinicam ſtabilit, Idem moritur, 192. 222
P. Almeida in morbum incidit, 258
Idem moritur, 263
Alchimia, 101
Amacaum Sedes prima Sociorum, 141
Amacai capta diſturbantur 147. *Sacellum erigitur* 148. *Fama ſpargitur de Socijs* 248 *Area pro ædificio deſignatur,* 164, *Patres appellunt* 193. *Rector ibid. capitur,* 162
Amacaenſes ſe muniunt, 526
Anni totius celebritas 85
Antiquitatis ſtudioſi Sinenſes, 89
Appellatio varia Sinenſis regni, 3
Argentum 13
Arundinum genus 14
Aromatica, 18
Artes liberales, 25. *Artes Mechanicæ,* 18
Arma Sinenſes nõ geſtãt, 63. *Architectura* 19
Arithmetica Sinenſis, 253
Ars memorandi docetur, 303. 305. *Regi offertur,* 312
Artificioſum plauſtri genus, 346
Aſtrologiæ vſus, 30. 31
Aſtrologorum imperitia Sinenſium. 390
Aurum 13
Author expeditionis Sinenſis, 127

B.

Baccalaurei, 34
P. Bartholomeus Tedeſchius moritur, 605
Bellaria 69
Benedictus Goeſius habitu mercatoris Sinas proficiſcitur ex regno Mogoris 546 *Inuaditur à latronibus* 550. *Regem* [illegible] *Mahometem* 553, *Mahometem iubetur inuocare* 554. *Saltat coram Rege,* 556. *Ad P. Matthæum ſcribit,* 553. *Moritur ac ſepelitur* 566
Bibendi ritus. 78
Biblia regia eripiuntur è fluctibus 435
Bituminis genus, 17 *Bombyx* 12

C.

Cadauer humanum viſitur, 608
Calumnia grauis, 175. 201
Calumnia detegitur, 207. 215. 219
Calumnia ſpargitur, 452. 454
Cannabus Sinenſis, 12
Canceu vrbs, 287. *Caſtigandi ratio* 58
Canton vrbs 286. *Cataium* 544. 19

Cænobia 111. Cænobium Nanchoæ antiquũ 243
Cænobitæ arrogantia, 441
Cera quomodo conficiatur, 15
Cequiana Sedes, 194.199
Ciuitatum multitudo, 332
Chriſtianæ doctrinæ volumen, 173
Chriſtianorum veſtigia, 120
Chiutaiſo Chriſto aggregatur, & Ignatius appellatur, 510
Comœdiæ ſolis nutibus aguntur, 22. 399
Commercia Sinarum cum Luſitanis, 141
Conniuia, 70. 431. Conuiuales ritus, 71.
Connubia, 83. Conſtantiæ exemplum, 595
Contemptus externorum apud Sinas, 99
Coniuratio contra Patres, 276. 590
Conuerſiones ad fidem Chriſtianam, 444. 447. 476. 500. 508. 593.
Coria regnum infeſtatur, 412
Coſmographicæ tabulæ, 182. 184
Cupiditas vitæ producendæ, 595
Crux, 112. Eiuſdem veneratio 503. S. Crucis miracula, 601

D.

Dæmon expellitur. 499. 593
Dæmones conſuluntur, 94
Dignitatum permutatio, 60
Diſputatio cum Cænobita, 373. 438
Doctoratus gradus 39.40
Domus Sociorum frequentatur 231. 510
Lapidibus obruitur. 231. 315
Domicilium ſpectris infeſtum emitur, 379
Dominus vniuerſitatis, 6

E.

Edictum pro Patribus, 204
P. Eduardus ſuperior renunciatur, 201. Sciauquinum reuertitur 209. Moritur, 321
Ædes Pequini ſtabiliuntur, 638
Ethnicorum humanitas, 393
Effigies Chriſti, 401. 502. Effigies Deiparæ, 342
Effigies Patrum à Rege petuntur 412
Elephantes excubant, 421
P. Emmanuel rem Chriſtianam promouet, 500 In Sinas mittitur, 474. Pechinum nauigat, 475. Apologiam ſcribit, 572
Emporia præcipua, 335
Energumenus fide ſuſcipit, 223
Error confutatur, 59. Error Coſmographiæ 183
Equus inuocatione Nominis Ieſu ſeruatur, 556
Eunuchus Socios prodit 39. Ad Regem libellũ ſcribit, 399. Iniurioſè P. Matthæũ tractat, 401. Nuncium indigne tractat 404. P. Matthæum inuitat 398. Munera petit 397. Nauigia vendit 334. Effigies Chriſti criminãtur, 401, Sarcinas Sociorum includi iubet, 303.
Eunuchi docentur moderari horologia 409
à Rege munerantur, 410
Eunuchorum rapacitas 432
Eorundem cupiditas. 377
In villam erumpunt, 633
Euchariſtia cum pompa ad ægrotum defertur, 517
Europæ authoritas augetur 221
Examen graduum litteratorum, 33
Examinis tempus & modus 36. 37. 43
Examen militare 41. Excurſiones 520

F.

Fana 108. Fanum celebre, 262
Feracitas regni Sinarum, 9
Flumen Yamſu 293. Nanchinenſe, 330
Flumina celeberrima 286
Flabellorum vſus 24
Focus quibus rebus alatur 14
Franciſcus Xauerius primus author expeditionis

tionis Sinenſis, 127. Goam peruenit 128 Malacam peruenit, 129. Eiusdem prudentia, 130. Vaticinatio 133. Numen diuinum placat, 133. Sinarum fines attingit, 134. Eiuſdem zelus animarum, 134. Conſtantia, 135. Febre corripitur, 135. Eiuſdem fiducia in Deum & charitas, 136. Luſitanum ægrotum humeris portat, 137. Eiuſdem Patientia, Eiuſdem obitus, 137

Franciſcus de Petris in Sinas mittitur, 263
Idem moritur, 279. Eidem B. Virgo apparet, 280. Eiuſdem funus, 280

Franciſcus Martinez verberatione euocatur, 534. Idem ſepelitur, 541

Fumohan accuſatur & in vincula conijcitur, 435

Funebris apparatus 521
Funerales ritus, 80
Funera regia, 78. 80
Fuchina prouincia, 526

G.

Gradus litteratorum. 33
Graduum examen, 33, 41
Gradus affinitatis, 84
Geographica deſcriptio P. Matthæi Ricij 363

H.

Habitus Magiſtratuum, 57
Habitus P. Matthæi Ricij 370
Hanuana expeditio, 603
Herbæ, 10
Herbarum modicarum vſus, 57
Holandi Indiam infeſtant, 525
Regnum Sinarum ingredi tentant, 525
Honor erga Magiſtratus, 78
Hortus amœniſsimus, 365
Horologiorum admiratio, 214

I.

Iapones regnum Coria infeſtant, 324
Iaſpidis ſpecies, 552
Idolorum multitudo, 115
Idolorum cultus differt à figmentis poëtarum. 457
Idolum moleſtiam parit, 457
Idola liquefiunt, 588
IESV nomen explicatur 412
Ignes ingenioſi, 351
Imago Chriſti honoratur, 578
Immortalitas Sinarum, 102
Immunitates Ducum, 46
Imperium Sinenſe, 44
Imperatoris Humouii ſtatua, 45
Impoſtores 95. 205
Innocentia Patrum detegitur, 181. 207
Incendium, 454
Infamiæ nota deletur, 588
Inferni directorium, 501
Inuitantium ritus, 70
Infantes aquis præfocantur, 97
Infantum caſtratio, 98
Iſaac ſocius Benedicti inhumaniter tractatur 567.
Iter è Cantone Pechinum. 336
Iudæi, 118. 120

L.

Laborum fructus, 223. 600.
Lacus celeberrimus, 293
Lana. 12 Lapides 16
Lapidibus Patres petuntur, 177. 211
Lapidatores capiuntur, 260
Latrones ſociorum domum infeſtant, 272, 275
P. Lazarus Cataneus in Sinas mittitur 282
Leges Reipublicæ, 44

Lex poſt obitum Regis. 63
Legati munerantur. 150
Leo fidem agnoſcit. 434
Librorum imprimendi ratio. 19
Librorum educatio. 79
Liber de amicitia, Sinenſi idiomate ſcriptus. 309
Libellus de arte memoriæ. 312
Libellus Regi offertur. 423.426
Libellus infamis. 441
Libri P. Matthæi Ricii. 486
Licentiatorum gradus. 34
Lineamenta corporis. 86
Linum. 10
Litteratorum habitus. 87
Litteratorum ſecta. 109
Litteratus viſione illuſtratur. 472
Literarii Regii. 493
Litteratorum ſecta defenditur. 440
Literatuli infamia notantur. 579
Luctus ob mortem P. Matthæi. 616
Ludorum genera. 90
Ludimagiſtri. 33
Luſitanorum erga Patres affectus. 607
Luſitani Sinarum fines attingũt. 140
Domum pro Catechumenis ædificat 147
Commeatum poſtulant à Sinis. 529

M.

Magiſtratuum ordines. 48. *Eorundem officia.* 49.53 56. *Ornamentum pileus.* 57. *Habitus.* 57. *Simmetria.* 60. *Fauores erga Socios.* 257
Magiſtratus condemnati. 61
Magiſtrorum veneratio. 90
P. Matthæus Ricius ex India Amacaum reuocatur 147 151. *Calumnia graui liberatus* 175. *Eiuſdem authoritas,* 186. *Præpoſiti tenet.* 230. *A Prorege reiectus* 230. *Pecunias reſpuit.* 233.239. *Eiuſdem animus intrepidus.* 240. *Ad Tribunal accerſitur.* 239. 298. *Proregem placat, nouam ſedem impetrat.* 240. *Nobilem virum & ſenem quendam primarium inſtruit.* 251.256. *Eiuſdem clementia* 261. *Naufragium patitur.* 291. *Idolum venerari recuſat.* 292. *Nanchinum ingreditur.* 296. *Nanchino eiicitur.* 294. *Somnium diuinum ei obiicitur.* 300 *Cum Regiis propinquis familiaritatem init* 307. *Librum de Amicitia ſcribit Sinicè.* 309. *Veritatis tenax.* 310. *Nanchinum redit.* 319. 323. *Superior conſtituitur.* 220. *Sedem in Sanceù ſtabilit* 345. *In Regiam penetrare conatur.* 389. *In Mathematicis diſciplinis erudit.* 359 363. *Cum ſacrificulo diſputat* 370. *Eiuſdem habitus.* 370. *A Cænobita inuitatur.* 373. *Eiuſdem ratio dicendi.* 387. *Inuitatur ab Eunucho.* 398. *Cantilenas illuſtrat ſententiis.* 415. *Eiuſdem Vaticinium* 428. *Titulum Doctoris aſſequitur.* 434. *Eidem Sinenſis adminiſtratio traditus.* 483. *Eiuſdem occupationes.* 610. *Erga Neophytos amor.* 610. *In morbum incidit.* 611. *Eidem Pharmaca præbentur.* 612. *Sacramentis munitur.* 612. *Eiuſdem documenta.* 613. *Moritur.* 614.
Machinæ Serariæ. 390
Mathematicis rebus creſcit authoritas Sociorum. 356
Mathematicæ machinæ. 361
Matronarum feruor. 452.471
Menſas Sinæ non ſternunt. 17
Metempſychoſis error. 97
Metalla. 18
Militare examen. 41
Militum conditio. 100.101

Mimi Sinenſes. 398
Mulieres Sinenſes, 86.88
Munitiones Sinarum, 8
Munerum ritus. 67
Munuſcula. 67
Munera deſtinantur. 320.384
Munera Regia cohoneſtantur. 389
Munera reyciuntur. 569
Muri contra Tartaros. 561
Muſica conducit ad linguam Sinenſem. 344
Muſica exhibetur Confutio Philoſophorũ principi. 368

N.

Natalis dies Regum, 84
Nauigia, 90
Naufragium Patres ſubeunt. 160.291.288.485
Naufragio infamis locus. 289
Nancianum vrbs. 301
Nanciani ſedes erigitur. 301. Ibidem Aedes comparantur. 311
Nancianæ ſedis geſta. 497
Ibidem tumultus. 569
Nangan vrbs negotioſa. 286
Nanchinum vrbs. 269
Nanchinum Socÿ redeunt. 349. Ibidem ſtatio offertur. 351. Sociorum authoritas creſcit. 355. Socÿ ibidem primores adeunt. 364
Nanquinenſis progreſſus. 468. 590. Sodalitium erigitur. 529
Nauis oneraria intercipitur. 483
Negotiatores ſpoliantur. 549
Neophytus aram aſſeruat. 163
Neophyti primi baptiZantur. 191
Neophytus Inſpector. 205
Neophytis præcepta traduntur, 234. Iis valedicunt Patres. 235
Neophytorum feruor. 271.578
Neophyto B. Virgo apparet. 516
Nemora. 12
Nobilis ſenex baptiZatur. 286. Ibidem Sociorum profectus. 509. Inter Nanchinum & Pechinum ciuitatum multitudo. 332
P. Nicolaus Cataneus Martyrÿ cupidus. 467. Eiusdem labores. 468. Rem Chriſtianam proſequitur. 506. Ad ſtationem redit. 535. Libellum mittit ad Proregem. 536. Eiusdem innocentia. 550 Falſo accuſatur. 542. Operatur in oppido Scianhi. 600
Nomen Ieſu explicatur & Mariæ. 412
Nomina Sinenſium varia. 88
Numen vnum Sinenſes colunt. 104
Numen triplex. 113

O.

Oleum. 10
Opera opificum. 18
Opuſcula varia. 437

P.

Palatium Regium 76. Eiusdem deſcriptio. 418. 295. 337. 421.
Palatium pro examine. 36
Panis apud Sinas nullus apponitur. 74
Papyrus. 16
Patres Societ. Ieſu Amacao euocantur ad Proregem 152. Sciauquino dimittuntur. 153. In Sinas euocantur tertium. 153. Amacaum reuertuntur. 157. Sciauquinum reuocantur. 158. Examinantur. 162. Sinas docere incipiunt. 169. Eorundem veſtitus. 169. Publico honore afficiuntur. 174. Horum inopiæ ſuccurritur. 175. Lapidibus petuntur. 177. Amacaum ex India veniunt. 192. In Sinas nauigant 193. Vexantur. 201. 209. Eorundem effigies ad Regem mittuntur 412. Immunitatibus donantur. 519 Pechini excipiuntur. 341. Ad Regem vocantur. 408

Patres humaniter excipiuntur. 279
Paulus Doctor renunciatur. 473
Parentem conuertit.494. Baptizatur. 473
Pechinum vrbs Regia & eiusdem ſitus. 336
Pechinenſe ſolum ſterile. 333
Pechini Socij excipiuntur.341. Ad Regem vocantur. 408
Pechinum Cambalù vocatur. 440
Pechini locus pro Sociis deſignatur. 630
Pænitentiæ vſus. 495.503
Philoſophorum author. 29
Philoſophiæ moralis ſtudium. 31.29
Philoſophorum poteſtas. 59
Plauſtri genus artificioſum. 364
Pictura Sinenſis. 21
Pileus ornamentum Magiſtratus. 57
Piſces Sinenſes. 12
Pietatis ardor. 455
Pontifex Romanus honoratur à multis. 388
Potio. 16.70.74
Prædictio admiranda. 255
Principes Iaponenſes Romam proficiſcuntur. 148
Prorex Patres vocat.152. Idem iterum dimittit.153. Sociorum negocia tractat.326. Eiusdem dexteritas.327. Effigiem Saluatoris veneratur.329. Eiusdem vitæ exitus terribilis. 267
Prouincia Catonienſis. 149
Prouincia Quimſi. 197
Prouincia Cequiana. 194
Prouincia Vquam. 293
Pueri conuerſio miranda.514. Vocem Dei audit. 515

R.

Rex Sinarum Dominus vniuerſitatis appellatur 6
Cæli filius appellatur. 45
Veneratur imagines. 408
Reſponſum dat pro Patribus. 427
Eiusdem ſuſpicio. 321
Patribus fauet 423
Cupit Patres videre. 411.
Eiusdem lepidum factum. 424.430
Eiusdem habitus. 76
Eidem fit fauſta precatio 366
Eiusdem ſeueritas. 410
Patres vocat 405
Rex Tartarorum Pechini ſedem fixit. 340
Regum Palatium. 337
Regum inſolentia. 421
Reges tres fidem Chriſtianam profitentur. 500
Rex petit Geographicam deſcriptionem. 583
Regnum Sinarum innotuit. 341
Regni amplitudo. 6.7
Regna vectigalia. 8
Regni ſitus Sinarum. 5.7
Reſpub. Sinenſis. 42.623
Ritus ſalutantium & viſitantium.
Ritus Bellariorum porrigendorum. 69
Ritus abeuntium. 69
Conuiuales. 71
Bibendi 73
Circa Regum venerationem. 74
Sepulchrales. 78
Connubiorum. 83
Ritus ad thronum Regis. 421.
Quatiendi frontem. 511

S.

Sacramentorum vſus. 494

Sacrificuli eorumque habitus, 87. 112
Sacrificulorum mores impij, 244
Sacrificandi munus, 107
Sacrificuli Socios excipiunt 244
Sacrificulus relegatur, 503
Saccarum 15
Sal 15
Salutantium ritus, 64
Saraceni 420
Saracenus malorum auctor 527
Sciauchinum vrbs eiusque ſitus, 220
Sciauchinenſis Patrum Sedes 220
Ibidem Patrum labor 225
Sciauchini Socij dimittuntur 227.232.242.
Schiauchinum reuocantur, 237
Scianhai vrbis deſcriptio, 597
Scribendi ratio 25
Scriptiones examinantur 38
Sepultura 20
Sectæ tres apud Sinas, 15
Sella ſpectatoria, 89
Senex octogenarius conuertitur, 516
Sermo communis, 28
Sepultura, 78.79
Sepultura pro Patribus petitur, 617. deſignatur. 630
Seruitus, 96
Siccitas terræ, 467
Sigillorum cuſtodia, 89
Sinenſis regni varia appellatio, 3
Eiusdem Situs 5. 7
Sina rerum omnium ferax, 9
Sinarum regnum Patres ingrediuntur 142
Sinenſis idiomatis diſcendi difficultas 144
Sinenſes conciliantur à Patribus 66
Sinenſium cultus. 170
Sinica res promouetur muneribus, 197
Sinarum regnum innotuit 31
Sinenſes capiuntur ſcientiis Europæorum, 356
Sinenſium error circa elementa, 385. 390
Sinenſis Muſica, 368
Sinenſe Regnum Cataium appellatur 420
Sinenſium concurſus ad Patres, 382
Sinenſes impatientes tyrannidis 44
Sinæ domum Sociorum occupant Amacai 526
Sinarum regnum Cataium dictum, 544
Sinenſis adminiſtratio Monarchica, 621

Socij Sinarum regnum ingrediuntur 124
Sinenſes ſibi conciliant, 166
Rem Sinicam promouent 197
Sciaquini laborant, 225
Sciauquino dimittuntur, 232. Reuocantur 237. Xaucenm ingrediuntur, 245. In Sinas aliqui deſtinantur 250. Cum viris primariis familiaritatem contrahunt. 255. 428. Lapidantur 254.315. à latronibus inuaduntur 272. Eorundem habitus 283. 302 Pro Europæis litteratis ſe gerunt 284 Pechinum nauigant 390. Nanchino ſoluant, 391 Sarcinas recuperant, 406. Ab Eunucho ſe liberant 414. Iuuantur à Magiſtratu 414 Comprehenduntur 416. Cauſas aduentus aperiunt 422. Stationem urgent 425. à periculo liberantur 460. à Nauarcho excluduntur 607. Ignominiosè tractatur 326. Pro Iaponenſibus habentur 342. Nanchinum redeunt 343. 349. Linguæ Sinenſi dant operam 344. Hybernare coguntur, 345. Epigrammatis honorantur 367. Nanchinum ex hybernis perueniunt, 379. Eorundem domicilia quatuor 481. Vexantur 484 à Neophytis excipiuntur, 506.
Sociorum numerus 518

Soda-

Sodalitium B. Virg. erigitur, 589
P. Soërius moritur 569
Somninm P. Matthæo obijcitur diuinum 300
Somnium Proregis & vxoris 393
Suceu caput regionis 347
Ibidem Sedis figitur, 348
Statuæ Sinenſes, 21
Statua Imperatoris Humouij, 45
Superſtitiones 92
Suſpicio Regis 31

T.

Tartari confines Sinenſibus 339. *Eorum ratio viuendi* 560
Tauli Socios defendit, 538
Templum regium 369
Textorum multitudo Scianhai, 598
Titulus Regius, 77
Typographiæ antiquitas 19
Toga vrbanitatis 68
Tumultus excitatur 459. 528
Turris extruitur pro machina horaria 411
Turcæ ad Regem veniunt, 340

V.

Vectigalia Regia, 8. 48. 562
Villa ſuburbana noſtris addicitur, 631
Eiusdem deſcriptio, 639
Vindicta diuina, 132 439. 581
Viſitator ſocios deſtinat in Chinam, 319
Vitri Trigoni mira æſtimatio 347
Vocum ac dictionum vſus, 25
Vrbes variæ 90. *Contra Tartaros,* 561
Vrbs Pequinenſis 336
Vrbs Nancianum metropolis 301
Vrbs Suceu, 345
Vrbs Nanchinum, 269
Vrbs Lincinum, 345
Vrbs Canceu, 287
Vrbis Sciauccinæ ſitus 220
Vrbis Xauceanæ ſitus, 246
Vrbis Scianhai deſcriptio, 597
Vrbium numerus, 7

X.

Xauceana domus luſtratur 536
Xauceanæ Sedis ſtatus, 444, 503. 603
Xauceanæ vrbis ſitus, 246
Xaucei locus ad habitandum eligitur, 247
Xaucei noua Sedes erigitur 237
Xauceum Socii ingrediuntur. [illegible]

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGENTVR.

Prior numerus deſignat paginam, alter verſum.

FOl. 12 Verſ. 13. adducti. 12. 31. oues præbent 13. 15. noſtratibus. 19. 25. Typographia. 27. 10. non loqui. 58. 16. Magiſtratuum 94. 23. vti metus. 105. 17. litteras. 107. 4. plecterentur 107. 5. regia. 108. 3. ſalutem. 109. 27. capiant. 111. 7. ſtipem. 111. 8. magnam. 112. 25. illigati. 113. 2. obequitans. 114. 15. auribus. 116. 7. accipiant. 121. 27 imponerent. 123. 25. cum. 124. 9. irrupiſſent. 130. 17. prohiberet. 131. 5. quo Apoſtolico. 131. 17. coniunctas. 131. 24. deludendis. 133. 6. prohibebat. 134. 18. peregrinus. 136. 15. illum. 145. 10. diurnum. 146. 17. poſſeſſionem. 154 30. conſilium. 157. 16. quam ante. 157. 31. viſis. 159. 30. quibus, adde, animus. 161. 32. eorum, adde, virtute. 162. 5. erigebat. 162. 20. vt mox. 164 20. vtcunque. 168. 26. ab ijs viſebantur. 169. 2. nouitate. 180. 32. demiſſa, adde, licet. 187. 18. pecuniarium. 196. 13. omnes. 200. 29. vrbis. 205. 1. argenti, adde viui apud Iapones. 207. 19. iniecta in os offa. 209. 10. profeſſus. 210. 5. fore. 221. 4. aut altius. 244. 6. amoribus. 249. 24. nouæ ſtationi. 252. 8. Ignibus. 253. 18. præceptis. 272. 22. concubia. 276. 14. in iudicum. 276. 22. ſolius. 279. 20. rependendum. 285. 30. poſſent. 335. 30. tertijs gradus, 338. 6. primoribus. 371. 30. Ethicis. 371. 31. de quo. 379. 24. vtrique. 418. 6. voluiſſe. 435 Apologus, marg. 3. 441. 20. cum hac. 443. 24. Magiſtratu. 470. 19. qui duobus. 470. 29. commiſſa. 491. 3. mortis. 499. 32. fuiſſet. 505. 4. iniuria. 508. 8. extruxerat. 525. 30. ſed triti. 546. 30. appellatum. 551. 18. fratri noſtro. 554. 4. Prophetæ ſui. 557. 12. exiguus, adde, numerus. 558. 9. dimiſſus. 567 9. Ferdinando. 572. 7. plecterentur. 579. 5. prohibere. 590. 12. fidem. 598. 14. numero. 599. 1. adminiſtratæ. 608. 1. Socijs. 608. 14. decertabant, adde, ſub. 610. 16. ſcriptio. 611. 26. aut horam. 615. 2. miſſa. 623. 29. ſententia. 631. 32. bonitatis fanum. 632. 25. euaſiſſe. 633. quos. 635. 5. qua ratione. 637. 5. admouerunt. 637. 25. vt immunis. 642. 23. eripiebat. 642. 27. concitandos.

AVGVSTÆ VINDELICORVM,
apud Chriſtophorum Mangium.

M. DC. XV.